Digitized by Google

Hi 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

90000

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

ANNO

M DCC XII

publicata,

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Elect. Sax. Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes,

JOH. FRID. GLEDITSCH & FIL.

THOMAM FRITSCHIUM

&

FRID. GROSCHUF.

TYPIS JOH. CASP. MULLERI,

A. M DCC XII.

Digitized by Google

N. I.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Januarii, Anno MDCCXII.

HOMERI ILIAS ET ODYSSEA GRÆCE, & in easdem Scholia sive Interpretatio Veterum, item Notæ perpetuæ in Textum & Scholia, Variæ Lectiones &c. cum Versione Latina emendatissima. Accedunt Batrachomyomachia, Hymni & Epigrammata, una cum Fragmentis & gemini Indices. Totum Opus cum pluribus MSS. vetustissimis & optimis Editionibus collatum, auctum, emendatum, & priscæ integritati restitutum. Opera, studio & impensis JOSUÆ BARNESII, S. T. B. in Academia Cantabrigia Regii Græcæ L. Prof.

Volumina II.

Cantabrigiæ, apud Cornelium Crownfield, 1711, 4 maj. Alph. 11 pl. 4.

CUltissima gens Græcorum, quæ tot tantisque sapientissimorum & eloquentissimorum Virorum, imo & Mulierum ingeniis, a plurimis retro seculis olim superbiebat, quantis vix ulla potest natio; nullo se magis Scriptore semper jactavit, quam illo omnium fere vetustissimo, Homero inquam. Hunc admirabantur, hunc ediscebant, ex hoc ingenium, mores & linguam formabant Poetæ, Historici, Oratores, Philosophi, & quicunque his accenseri possunt: plena sunt eorum monimenta hujus sententiis, plena præconiis. In hoc Scriptore Autor aureoli libelli *περὶ ποιήσεως Ὁμήρου*, sive is Plutarchus, sive Dionysius Halicarnassensis est, ex professo ostendit omnis humanæ sapientiæ, virtutis & eloquentiæ inesse semina; ac proinde hunc præ omnibus merito & cum maxima utilitate legi dicit, initio statim: *Ὅμηρον τὸν ποιητὴν χρόνῳ μὲν τῶν πλείστων, δυνάμει δὲ τῶν πάντων*

πρῶτον γενόμενον, εἰκότως ἀναγινώσκομεν πρῶτον, ὠφελούμενοι τὰ μέγιστα εἴς τε φωνὴν καὶ τὴν διάνοιαν καὶ τὴν τῶν πραγμάτων πολυπειρίαν. Hunc Dio Chryſoſtomus Viro cuidam illuſtri expetenti conſilium in legendis Autoribus ita commendat, ut dicat ab omnibus legendum eſſe, & omni ætati eſſe idoneum: Ὅμηρος δὲ καὶ πρῶτος, καὶ μέσος, καὶ ὕστατος, παντὶ παιδὶ καὶ ἀνδρὶ καὶ γέροντι· τοσοῦτον ἀφ' αὐτοῦ διδοὺς, ὅσον ἕκαστος δύναται λαβεῖν. Hunc tanto conſenſu veterum & probatiſſimorum hominum probatum & ſpectatum Scriptorem omnes Græcarum literarum veri amatores & cultores debent habere commendatiſſimum: eorumque laboribus honeſtiſſimis, qui in illo perpoliendo illuſtrando atque ad uſus noſtros accommodatiore reddendo operam & ſtudium ſuum ponunt, ex animo favere, atque illorum conatus grata mente excipere. Id ſi quis eorum, qui poſt inventam typographiam Homerum ediderunt, eſt promeritus, erit is certe noſtro tempore Vir Clariſſ. *Joſua Barneſius.* Qui non de improviſo, nec imparatus, aut ad rem poeticam ineptus, ut ceteri fere videntur, adjecit animum ad hanc Editionem; ſed poſtquam potuiſſet ingenium & ſtylum Poetæ penitus cognoſcere, eumque in ſuccum & ſanguinem quaſi convertere, diu admodum multumque ſibi tritum. Ita quippe de ſe ipſo ait in Præfatione ad Iliada: *Ego ſane divinitus, ut puto, φιλόμηρος factus, a teneris annis in illius amplexus ardens irruebam, nec ab eo unquam divelli potui. Hunc unicum ſtudiis meis ſcopum propoſui, hunc nocturna verſabam manu, verſabam diurna.* (Ubi errore, ut videtur, typographico, utrobique ſcriptum *verſabar.*)

Eſt omnino tantum in hac Editione præſtitum, quantum in nulla alia. Non eſt neceſſe ut omnia recenſeamus; Titulus, quem excerptum hic præmiſimus, ea indicat. Tantum addimus, quorum nulla ibi mentio. Nam loco προλεγομένων præfixi ſunt Iliadi, optimo conſilio, Græcorum Autorum Tractatus de Homeri Vita & Poeſi, Herodoti περὶ γενέσιος καὶ βιοτῆς Ὁμήρου, Procli γένος Ὁμήρου, quem ex Leonis Allatii Libro de Patria Homeri adjecit, uti & duos Anonymos de eodem argumento. Sequuntur quædam ex Suida & Pauſania de Homero: deinde

deinde Plutarchus de Vita Homeri; Certamen Homeri & Heſiodi; Libellus egregius Plutarchi, ſive ut ipſi & aliis quibusdam Doctis videtur, Dionyſii Halicarnaſſenſis περὶ ποιήσεως Ὁμήρου, quem recte ſeparavit a priore Plutarchi tractatu: Porphyrii Quæſtiones Homericæ: ejusdem de Antro Nympharum ad Odyſſ. v. 102 ſeqq. denique Dionis Chryſ. Oratio de Homero. Hæc omnia Græce tantum, quibus etiam paſſim Notulæ adſperſæ. Præterea Notæ habentur perpetuæ & variantes Lectiones non tantum in Iliadem & Odyſſeam; verum etiam in *Batrachomyomachiam, Hymnos*, Epigrammata, & in Fragmenta, quæ primus ipſe coacervavit, & cum Homero ſimul edidit.

Dum autem hanc Editionem omnibus aliis præferimus, ipſique Editori præcipuam laudem ſtudii, induſtriæ & facultatis in re Poetica Græcorum deferimus; non poſſumus interea quin illud etiam indicemus, nondum videri omnino ſatisfactum deſiderio doctorum hominum, hac etiam Editione. Hoc autem demonſtrandum nobis putavimus, partim ne videremur cœci de coloribus velle judicare: partim ne Lectores deciperemus, ἁπλῶς omnia laudando: quibus etiam non ingratum, nec inutile fore ſperamus, de erroribus quibusdam hic moneri, & aliqua emendari. Nec debet pro malevolis nos habere Vir optimus, ſi veritati plus tribuimus, quam affectioni.

Antequam autem ad contextum ipſum Homeri veniamus, & ad variantes Lectiones & Scholia, & Notas, quædam ex iis hic afferemus, *quæ* in Prolegomenis ſubinde notavimus; nam digni utique videntur illi etiam Autores, ut eorum aliqua ratio habeatur. In vita Homeri ſecundum Herodotum pag. V lin. 8 a fine, edidit: ὠφέλημα κάρτα καὶ πολλὸν ἔπαινον ἔχει minus recte, pro ὠφέλημα, καὶ κάρτα πολλὸν ἔπαινον ἔχει· vel κάρτα πολλὸν ὠφέλημα καὶ ἔπαινον ἔχει· ſed illud hic pejus, quod, cum tres addiderit voces, hoc tantum monet in Var. Lect. *Γρ. ἔπαινον Henr. Steph. &* MS. *Barocc. Oxon.* Aliæ enim Editiones, ut Loniceri, H. Steph. Oxonienſis, & Cantabrigienſium, tantum legunt κάρτα πολλὸν ἔχει· vox autem ἔπαινον eſt ex conjectura Henr. Stephani; certiſſima illa quidem, nam & Noſter eam videtur inveniſſe in MS. Barocciano, & nos eam videmus

Digitized by Google

in MS. Paulinæ noſtræ Bibliothecæ, ubi ita: *κάρτα πολλὸν ἔπαινον ἔχει·* nihilominus tamen monendum erat, ab ipſo nunc primum eam inſeri: reliquas autem voces, præterquam quod perperam inſeruit, etiam non bona fide reticuit a ſe inſertas eſſe. Illud etiam hic ſemel monemus, maximam eſſe confuſionem in Variis Lectionibus paſſim, dum promiſcue inchoantur ab iſtis literis: Γρ. ut neſcias, num *γράφεται* velit, ut ſit indicium Var. Lect. quemadmodum ſolet: an *γραπτέον*, vel *γράφε*, ut ſit conjectura, aut indicet quomodo velit ſcribi: an *γράφω*, ut ſit indicium mutatæ ſcripturæ. Sed ad alia. P. XIII lin. 7, in Proclo, plane contrarium ejus quod Proclus volebat, Noſter edidit: *ὅτω δὲ ἐκεῖνον ἀθυμήσαντα σύννουν ἐπιέναι·* lege *ἀπιέναι·* nam triſtem abiiſſe Homerum a piſcatoribus vult dicere, non, triſtem ad illos veniſſe. P. XIV lin. 4 in Anonymo: *τάδε δὲ ποιήματα αὐτοῦ ἀληθῆ--Πεισίστρατος, Ἀθηναῖος συνέταξε.* Lege *τὰ δὲ ποιήματα αὐτοῦ τὰ ἀληθῆ* &c. ut eſt in MS. Paulinæ Bibl. Ibid. lin. 15, pro *αἰσθάναι*, quod non eſt Græcum, lege *αἰσθάνεσθαι*, vel potius *αἰσθέσθαι*, ut eſt in eodem MS. P. XXI lin. 7, in Certamine Hom. & Heſ. *Χῖοι δὲ πάλιν τεκμήριον φέρουσι ἴδιον εἶναι πολίτην αὐτῶν·* hic *αὐτῶν* ſe dicit addidiſſe, quod tamen rectius abeſt. Ibid. p. ſeq. ad Oraculum de morte Homeri - *ἀλλὰ νέων παίδων αἴνιγμα φύλαξαι* (ita enim ſcribendum in Imperativo, ut ſit *cave*; non *φυλάξαι*, quod eſt *cuſtodire*) hæc annotat: *De hac re Herodotus in Vita Homeri, & ab illo alii &c. Suidas tamen negat, illum ex dolore, ob ænigmatis perplexitatem concepto, fato conceſſiſſe.* Putares, aliud Suidam, aliud Herodotum tradere; atqui idem uterque dicit, & Suidas ipſa Herodoti verba deſcripſit. Ibid. p. XXIII lin. ult. *Ἔκλυον ἱδρώοντας· ἐπεὶ πολέμοιο κορέσθην·* hic lege *πολέμοιο κόρεσθεν*, aut *πολέμου ἐκόρεσθεν*, ut apud Ariſtophanem habetur in Pace v. 1282, ubi iidem verſus extant. Ibid. p. XXV poſt med. *Κοινὰς ὠφελίας ἰδίαις μόχθοισι πορίζειν*, ubi lege *ἰδίοις*. Ib. p. XXIIX lin. 5, *παραγενόμενος δὲ ἐκεῖθεν εἰς Ἀθήνας αὐτὸν ξενωθῆναί φασι*, lege *παραγενόμενον*. Audacter ſane in eodem Certamine p. XXIIX poſt lin. 10 omittit hunc verſum: *Λαὸς δ' εἰν ἀγορῇσι καθήμενος εἰσοράασθαι*, nulla omnino urgente cauſa

cauſa. Ibid. p. XXIX lin. 9 mutavit, ubi minime debebat, cum enim antea legeretur: *Ἄνδρες ἀπ᾽ Ἀρκαδίης ἁλιήτορες ἢ ῥ᾽ ἔχομέν τι·* ipſe finem verſus ita edidit: *ἢ ῥ᾽ ἔχετ᾽ ἰχθῦς·* deinde annotat: *γρ. ἔχομέν τι olim; male.* Imo optime inquam: nec in antecedentibus ſuſtinuit quicquam mutare aut monere, ubi duobus in locis, nempe p. XIV & XV, verſus hic recte legitur. P. XXXVI in med. in Libro de Poeſi Homerica: *ὅταν - ἐπιλαμβάνεται*, lege *ὅταν -- ἐπιλαμβάνηται*, ut Editio Loniceri. Ibid. p. XXXIX lin. 13 negligentiſſime: *περὶ δὲ τὰς πτώσεις γίνεται ἀλλοίωσις παρ᾽ αὐτῷ εὐθείας μὲν καὶ ἐναλλασσομένης·* ubi omiſſa vox omnia turbat in poſterioribus, lege *εὐθείας μὲν καὶ κλητικῆς ἐναλλασσομένης*, ut Edd. Loniceri & Cantabrigienſium. Geminus plane error in Scholiis ad Iliados *δ* v. 2, ubi, cum Edd. Romana & Veneta habeant: *τοῦτο γὰρ βούλεται αὐτοῖς ἥ τε ἀμβροσία, ἀβροσία τις οὖσα· καὶ τὸ νέκταρ παρὰ τὸ νεάζειν λεχθέν*, recte, niſi quod diſtinctiones fere omiſſæ erant; Noſter edidit: *τοῦτο γὰρ βούλεται αὐτοῖς ἥ τε ἀμβροσία τις οὖσα, καὶ τὸ νέκταρ, παρὰ τὸ νεάζειν* &c. P. XLII lin. 10, *ἠῶνοὶ δ᾽ ἑτέρωσε* ſcribit *οἱ δ᾽ ἑτέρωσε·* ſed ſine dubio ſcribendum *οἷον Οἱ δ᾽ ἑτέρωσε.* P. L lin. 16, ubi de Mundo & Univerſo eſt ſermo, pro vulgato & vitioſo *ἐν δὲ τῷ ὀνόματι σημαίνει τὸ σιωπᾶν*, ipſe edidit: *ἐν δὲ τῷ ὀνόματι σημαίνει τὸ καλλωπίζειν*, mira & audaci mutatione; nos pro *σιωπᾶν* ſcribendum *σύμπαν* putamus. P. LXXXV lin. 3, in Quæſt. Porphyrii, pro *ὅσοι πῦρ καὶ ἑστίας ἔχουσι* ſine cauſa ſcribit *ὅσοι πῦρ καὶ ἑστίαν ἔχουσι.* Ibid. p. LXXXVIII in med. *τάς τε γὰρ οἰκείας τιθεμένας φωνὰς* lege potius *οἰκείως*. Ib. p. C lin. 6 ipſemet edidit: -- *χόλος ὅς τε καὶ ἄλλων Οἰδάνει ἐν στήθεσσι νόον*, & tamen hæc annotat: *Aliæ Editiones νόον addunt* (quaſi ipſe non addidiſſet) *quod potius ad φρονεόντων pertinet cum οἰδάνει neutrum ſit.* Non poteſt illuc referri *νόον*, & *οἰδάνει* poteſt eſſe activum; nam invenitur hujus paſſivum *Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη* Il. *ι* v. 642, & *τὸν νοῦν φρονεῖν* ineptum. Id quod poſtea in contextu Homeri videtur agnoviſſe Il. *ι* v. 550, ut ex diſtinctione & verſione patet. P. CIII lin. 11 a fine *εἰ παρέχωσι* ſcriptum, & annotatur, Henr. Stephanum velle *περιέχωσι·* ſed propter *εἰ* ſcribendum eſt

περιέχουσι nam *παρέχουσι* minus hic placet. P. CXVI in med. De Antro Nympharum, pro *διὰ τοῦτο δεδήλωται* lege *διὰ τούτων δεδήλωται.* mox lege: *ἐκ διαφόρων μέν τοι καὶ οὐ τῶν αὐτῶν ἐννοιῶν ἑρμώμενοι*, exciderat *αὐτῶν*. P. CXXIII lin. 4, *εἰς τοῦτο τοίνυν φησὶν ὁ Ὅμηρος δεῖν τῷ ἄντρῳ ἀποτίθεσθαι πᾶν τὸ ἔξωθεν κτῆμα.* ubi hæc Notula: *γρ. τὸ ἄντρον olim, male.* Imo bene, & ita omnino lege. P. CXXIV lin. 10, in Orat. Dionis Chryſ. pro vulgato *καὶ δὴ καὶ αὐτὸς Ἀριστοτέλης--ἐν πολλοῖς διαλόγοις* ſcripſit *καὶ δὴ αὐτὸς Ἀριστοτέλης-ἐν πολλοῖς δὴ λόγοις*, obſecutus, ut videtur, Joanni Daviſio, cujus Notulam ſubjicit iſtam: *Non ſolitus fuit Ariſtoteles Dialogos ſcribere, quare reponendum puto ἐν πολλοῖς δὴ λόγοις* ſed hoc nimis inconſiderate negatur; Plutarchus certe contrarium teſtatur, in Dione Syracuſano: *ὅ, τε Κύπριος Εὔδημος εἰς ὃν Ἀριστοτέλης ἀποθανόντα τὸν περὶ ψυχῆς διάλογον ἐποίησε.* T. 1 Opp. p. 967, C. Niſi forte ibi etiam *δὴ λόγον* legendum putabit Daviſius; ſed aliud videbitur legenti fragmentum ex eodem illo Dialogo apud eundem Plut. in Conſolatione ad Apollonium T. 2 Opp. p. 115, B. C. D. Idem Daviſius ibid. Not. 5: Hæc ſic recte diſtincta & edita a Morello: *οὐ γὰρ ῥᾴδιον διαστῆσαι τὸ τοιοῦτον καθάπερ, οἶμαι, δύο φίλων ἀνδρῶν, ἀμφοτέρων σεμνῶν, τοῦ ἑτέρου τῷ ἑτέρῳ ἐγκαλοῦντος, ἑνὸς αὐτῶν καταγνῶναι*, ita interpolare conatur: *οὐ γὰρ ῥᾴδιον διαστῆσαι τὸ τοιοῦτον, καθάπερ οἶμαι* KAI *δύο φίλων* &c. male. P. CXXVI in med. *δέον τὴν βασιλέων ἐπιμέλειαν πατρικὴν καὶ κηδεμονικὴν εἶναι, μετ' ἐννοίας καὶ ὠφελείας.* Legendum potius *εὐνοίας* pro *ἐννοίας*. Hæc in Prolegomena. Quod ſi in his errata etiam fuerunt typographica, quæ ſane iniquum foret imputari Cl. Editori, cum ea, ſi vel maxime omnia tollantur a diligente Correctore, tamen ſæpe negligantur a typothetis; age colligamus omnia, quæ in legendo properantes, nec ad omnes minutias nimis attenti obſervavimus, & pro typographicis habemus, ut æquitatem noſtram ſentiat. P. XXXIII circa finem *ἀπείριτες* impreſſum pro *ἀπείριτος* P. XXXVII in med. fere: *ἔλλειψις* pro *ἔλλειψις*. P. XXXVIII lin. 4 *πρὸ οὗ* pro *περὶ οὗ*. P. XLVI lin. 12 *καὶ οἱ* pro *καί οἱ*. P. XLVIII poſt med. *αὐτῇ τε* pro *αὐτῇ τε*. P. LXXXIII lin. 13 *περὶν* pro *πρὶν*. P. LXXXIV

ante

Digitized by Google

ante fin. lin. 9 *φυλακας* pro *φυλακὰς*. P. LXXXV lin. 3 *ἑστιάν* pro *ἑστίαν*. P. XCII lin. 11 a fine *ἀκριβῆς* pro *ἀκριβὲς*. Ibid. lin. ult. *ἀθρίζοντας* pro *ἀθροίζοντας*. P. XCVI lin. 9 *ἀπαλοτρεφέος, σιάλοιο* delendum comma. Ibid. lin. 6 a fine *δεικῦναι* pro *δεικνύναι*. P. CXVII post med. *ψυχὴς* pro *ψυχῆς*, p. CXIX lin. 18 *ἀποθήσκειν* pro *ἀποθνήσκειν*.

Cum præter spem nostræ in Prolegomena Animadversiones excreverint, atque in Homerum ipsum & Scholia multo plura dicenda sint; ut aliorum etiam Librorum recensioni locum relinqueremus, *volumus* illa in Menses sequentes rejicere.

THE WORKS OF DR. EDWARD STILLINGFLEET.

h. e.

OPERA OMNIA ERUDITISSIMI PRÆSULIS EDUARDI STILLINGFLEETI, Episcopi Wigorniensis, cum ejusdem charactere & vita; sex Voluminibus comprehensa.

Vol. I & II.

Londini, apud Henr. & Georg. Mortlock, 1710, fol.
Alph. 22.

EA fuit Reverendissimi Præsulis, *Eduardi Stillingfleeti*, dum viveret pariter & post fata, apud omnes Eruditos fama atque existimatio, ut ab omnibus censendus sit praclare de Orbe Erudito meruisse, quisquis est, qui hac eleganti collectione dispersa hactenus, & in ista dispersione haud dubie ex parte brevi disparitura, scripta omnia Viri doctissimi cum ejusdem Vita nobis exhibuit. Præmissa vero est biographia hæc toti Operi, continetur que adeo Volumine I, quo præter hanc nihil aliud comprehenditur, nisi L sermones sacri ab Autore diversis temporibus e suggestu sacro habiti, ipsoque adhuc vivente publicati. Natus ille est A. 1635 Cranburnæ in Comitatu Dorsettensi, ac postquam tirociniis studiorum innutritus esset in scholis, ac ab A. 1648 in Academiæ Contabrigiensis Collegio

gio S. Johannis iisdem porro vacasset, A. 1653 Socius ejusdem Collegii est constitutus. Maluit tamen aliquandiu post in secessu literario degere, atque ibidem Musis suis aliorumque institutioni ruri vacare, unde postquam redierat, Magister Artium renunciatus Cantabrigiæ, Nottinghamiam porro secessit, ac paulo post A. 1657, temporibus quidem valde periculosis ac difficilibus, noluit tamen Ecclesiasticum munus Suttonii ipsi demandatum accipere, nisi obtenta per manus Episcopi, quanquam tum temporis ejecti, χειροτονία. Ubi quidem ignorari ipsum non sunt passa scripta jam tum in ista juventute ab ipso publicata complura, quæ apud omnes amplissimam ipsi existimationem conciliabant. Qua cum imprimis frueretur apud Humfredum Episcopum Londinensem, ejus ope factum est, ut A. 1665 Londinum ad munera Ecclesiastica Parochiæ S. Andreæ obeunda vocaretur, non multo post a Sacris Carolo II Regi Angliæ esse jussus, ac mox A. 1670 peculiari Regis ipsius commendatione Canonicus Ecclesiæ Cathedralis D. Pauli apud Londinenses creatus. Paulo ante vero A. 1668 summo cum applausu obtentis Cantabrigiæ Doctoris Theologiæ privilegiis honoribusque, aliisque compluribus de Ecclesia meritis ornatus, Guilielmo Sancrofto ad Archi-Episcopatum Cantuariensem promoto, in Decanatu ejusdem Ecclesiæ Cathedralis successor datus est, statim inde Archi-Diaconus ac postea Decanus quoque Ecclesiæ Cathedralis Londinensis factus. Quibus officiis amplissimis cum præfuisset temporibus periculo plenissimis, ea tamen cum cura diligentiaque, ut neq; Parochiæ suæ curis unquam deesset, neq; tamen usquam impunitam relinqueret qualiumcunque adversariorum Ecclesiæ Anglicanæ insultandi licentiam, tandem A. 1689 vacuæ sedi Episcopali Wigorniensi a morte Episcopi præcedentis Præsul datus est. Quo munere se ipsum dudum demonstraverat dignissimum, cum obito per multos annos Prolocutoris in Domo inferiori Ecclesiasticæ Convocationis officio, tum imprimis, dum Societati, a Rege Guilielmo III ad Liturgiam Anglicanam revidendam & ubi opus fuerit, emendandam institutæ, aderat. Certum sane est, eum in isto quidem negotio inter primos fuisse habitum, multumque

Digitized by Google

tumque vel a præſtantiſſimis illius Societatis membris deſideratam fuiſſe prudentiam ejus judiciique ἀκρίβειαν, cum in medio operis nunquam deinde ad umbilicum producti podagræ vi ab iſto conventu abſtraheretur. Ceterum deinceps quoque, quanquam Epiſcopali fulgeret infula, non neglecta ſcribendi provincia, imprimis tamen curis Diœceſeos ſuæ ea fide, eaque in viſitationibus ſolemnibus, ter ab ipſo repetitis, exactitudine præfuit,ut exemplum fuerit ſollicitudinis a vero EccleſiæDei Paſtore gregi ſuo jure meritoq; præſtandæ. Tanto magis vero deſideratus omnibus obiit diem ſupremum, qui ipſi fuit 27 Martii A. 1699, Weſtmonaſterio,ubi mortuus erat,Wigornium poſtea translatus, ibique ſolemnibus exequiis, ac monimento, quod inſcriptionem a Cel. Bentlejo factam exhibet inſignem, condecoratus. Bibliotheca ejus inſtructiſſima, in qua meminimus quinquies mille libros in fol. numeratos, a Narciſſo Archi-Epiſcopo Armachano & Hyberniæ Primate integra coemta, & Dublinii loco publico eſt colloca, MSpta vero, potiſſimum res Britannicas ſpectantia, miroque ſtudio ab ipſo collecta, Bibliothecæ Roberti Harlæi, nunc Comitis Oxonienſis, ſunt inſerta. Nunc age de ſcriptis ipſius, quæ hic conjuncta ſiſtimus, quantum ex *inſtituti rationibus licet*, pauca quædam delibemus.

Primum vero locum in Volumine II occupat præſtantiſſimum *Originum Sacrarum* opus, ab ipſo,nondum octo ſupra viginti annos nato,ſtupendo quidem eruditionis apparatu judiciique acrimonia elaboratum, publicæque luci expoſitum A. 1662. At de illo nunc quidem tanto minus attinet quicquam dicere, quod liber ille non modo vernaculo ſermone, quo ſcriptus eſt, ſepties recuſus, ſed & in Belgicum idioma, inque linguam Latinam dudum translatus, & a nobis A. 1688 p. 24 recenſitus, omnibus Eruditis pridem probe cognitus ſit. Addita vero eſt illi in hac Editione ex poſtrema Cantabrigienſi pars Operis poſthumi, quo Autor intenderat, quicquid ad ſupplenda fundamenta Religionis naturalis & revelatæ ſpectaret, quinque Libris complecti,tum quidem ex Autoris ipſius MSpto publicata, ſed non niſi Libri primi Caput I integrum,ſecundum imperfectum mutilumque continens. Caput I oppoſuit tribus Atheorum

noſtri temporis cavillationibus, quibus exiſtimant, modo reli-
gionem eſſe Politicorum inventum, modo originem debere il-
lam ignorantiæ ſuperſtitioſoque timori hominum, modo inte-
gras eſſe nationes, quæ omni ſenſu Numinis deſtituantur. *Primæ*
cavillationi objicit Autor, eos, qui illa utuntur, nullo modo poſ-
ſe vel probabiliter commonſtrare viros ac tempora, quibus ac
per quos id genus fuci factum fuerit hominibus. Sane apud
pag. 3. Ægyptios probat non introductam demum fuiſſe ab Oſiride &
Hermete Theologiam, ſed in ordinem tantum & formam ſcien-
tiæ redactam, apud Phœnicios idem præſtitiſſe Hermetem il-
5. lum ſive Taautum, abſurdiſſimaque eſſe, quæ de prima religio-
nis in mentibus Phœniciorum origine ex Taauto & Sanchonia-
7, 8. thone deſcripta eſſe jactet Philo Byblius. Neque apud Græcos
demum ex Ægypto introduxiſſe ſenſum Numinis Orpheum,
ipſum ante iter Ægyptiacum in Theologia patriæ, teſte *Diodoro*
11. *Siculo*, exercitatum, Græcosque ante Orphei ſuperſtitioſos ri-
tus aſtra coluiſſe, religione multo magis cum ratione conſenta-
nea, quam Orphica. Porro ipſum Diodorum Siculum, in ori-
15 ſqq. ginibus rerum deſcribendis Epicuræum ſyſtema unice ſequen-
tem, ac productionem animalium ex putrefacta tellure dedu-
centem prolixe caſtigat & refutat, Democritique, Anaximan-
24 ſqq. dri & Epicuri ſyſtemata de fortuito animalium hominumque
ortu non minore eruditionis apparatu evertit. Denique, quis-
quis fuit præſtantiſſimorum Philoſophorum, eum aliam longe
viam iniiſſe philoſophandi docet, ac tantum abeſſe, ut illi no-
39 ſqq. tionem Numinis pro invento haberent politico, ut potius exiſti-
marent, non poſſe ſe rerum naturalium rationem reddere, niſi
ſuppoſito tali rerum omnium ſupremo principio. A quorum
58 ſq. numero ne quidem ipſe excluditur Ocellus Lucanus, cujus li-
brum de Univerſo, qui nunc exſtat, cum quod non Dorica Dia-
lecto ſit ſcriptus, tum quod laciniæ Ocelli a Stobæo in Eclogis
Phyſicis conſervatæ directe contradicat, pro ſpurio figmento Pe-
ripatetici cujusdam Athenienſis, poſt Stratonis Lampſaceni &
60 ſqq. Critolai tempora viventis, Autor habet. *Alteram* cavillatio-
nem, qua exiſtimatur ignorantia & timor hominum feciſſe De-
os, deinceps perſequitur, Hobbeſii verba utplurimum ipſa alle-
gans

Digitized by Google

gans & preſſe refutans. *Tertia*, quam impugnat, ſententia eſt eorum, qui aſſerunt dari Nationes integras, quibus nullus inſit pietatis divinitatisve ſenſus, circa quam quidem monet, diſtinguendos eſſe Populos, vix quicquam præter externam ſpeciem cum humana natura habentes commune, ab iis, qui majori rationis uſu gaudeant, deinde ſtandum non eſſe mere levibus peregrinantium ac ab ipſis iſtis Nationibus pro hoſtibus habitorum narrationibus, neque inde quicquam concludi poſſe, quod *nullum obſervare liceat* apud quasdam Gentes vel tempus vel locum *divino cultui deſtinatum*, multo minus vero fidendum eſſe iis, qui hoſtili animo apud ipſas Gentes ſint verſati, cumprimis Hiſpanis, quorum e re erat Nationes crudeliſſime ab ipſis afflictas nigerrimis coloribus repræſentare. Ipſam rem deinde ex Itinerariis prolixius dijudicat ac in lucem producit. Cap. II propoſuerat Autor conſiderare modernas hypotheſes Atheiſticas, ſed, cum easdem diſtinxiſſet in eas, quæ ad Atheiſmum tendunt, & quæ plane ſunt Atheiſticæ, vix has abſolvit, conſideratis primo iis, quæ nota & recepta Dei & providentiæ argumenta infirmant. Ibi igitur Carteſii nova divinæ exiſtentiæ demonſtratio examinatur, idemque, quod ex Philoſophia *Naturali finales* cauſas ejecerit, ſevere caſtigatur, ſeveriusque adhuc Spinoſa, omnes cauſas finales ubique profligare contendens. Procedit deinde ad eos, qui nimium tribuunt Mechanicis materiæ motusque potentiis, ubi iterum caſtigatur Carteſius, primo quod notionem materiæ vel corporalis ſubſtantiæ ſtatuerit non dependentem a potentia divina, tum quod conatus fuerit omnium phænomenorum, hujus univerſi rationes reddere ex legibus Mechanicis motus ſine ſpeciali providentia, in quo quam infeliciter proceſſerit, dum demonſtravit Stillingfleetus, ſubſtitiſſe & operi immortuus eſſe videtur. Succedit vero huic operi Epiſtola ad Deiſtam ſcripta a Stillingfleeto A. 1675, de cujus Latina verſione pluribus dictum eſt in Actis Anni 1695 p. 160. Sequitur deinceps ejusdem *Irenicum*, primus ejus fœtus, publicatus A. 1657. Eo cum conaretur fatales in Eccleſia Anglicana de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ forma controverſias ſopire, primo Libro, quid Lex Naturæ circa Eccleſiæ gubernationem ſuadeat, inquirit,

p. 68 ſqq. — 83 ſqq. — 86 ſqq. — 93 ſqq. — 102 ſqq. — 107 ſqq. — L. I. Cap. I, II.

p. 178 ſqq. quirit, poſitisque principiis, quid ſit Legis Naturæ, obiterque probato jure Magiſtratus Politici circa Sacra, duo circa guber-
Cap. III. nationis Eccleſiæ formam exiſtimat Lege Naturæ dictari, I neceſſariam eſſe inſtitutionem Societatum inter homines ad cultum divinum, quo trahitur Gen. IV, 26 & nomen בני אלהים Gen. VI, 2, nec non ſocietates Paganorum in cultu Deorum.
IV. II Eam ſocietatem ſuſtinendam regendamque eſſe ea ratione, quæ ſit convenientiſſima, ubi exiſtimat ſex ſequentia fluere ex Lege naturali: 1 diſtinctionem quarundam perſonarum in ſocietate, earumque præ reliquis ordinis poteſtatisque prærogativam: 2 venerationem debitam perſonis iſtis ſpecialius ad cultum divinum adhibitis; quod cum aliunde, tum imprimis ex omnium Gentium conſenſu probatur, antiqua tamen traditio, qua feruntur ante legem Moſaicam apud Iſraelitas primo-
V. geniti Sacerdotii jure reliquis præſtitiſſe, refutatur: 3 ſolemnitatem in rebus ſacris in iſta ſocietate peragendis in gravitate & decore ceremoniarum, (ubi de loco & tempore cultus divini etiam apud Paganos, & ſeptimo die apud ipſos ſacro habito,) tum
VI. in ſolemnitate diſciplinæ: 4 viam finiendi controverſias ſubortas ad pacem ſocietatis Eccleſiaſticæ violandam ſpectantes, ubi
VII. notiones ſchiſmatis ſimul evolvuntur: 5 conſenſum omnium, qui in ſocietatem admittantur, in certas leges ſocietatis, quibus velint ſubjici, vel implicitum, vel explicitum, ſtricte ab Eccleſia primitiva olim obſervatum: 6 eorum, qui in leges im-
VIII. pingant, ad rationem Superioribus reddendam & cenſuram ipſorum ſuſtinendam obligationem, ubi ſimul Druidarum excommunicatio ex Julio Cæſare adducitur, & Judæorum חרם non fuiſſe mere civilem ſed ſacram pœnam, prolixius demonſtratur. Poſteriore Libro, numquid Lege Dei poſitiva circa Hierarchiam Eccleſiaſticam fuerit determinatum, inquiritur.
L. II Cap. I. Ubi primo conceditur, ex Lege Dei poſitiva neceſſariam eſſe in unaquaque Eccleſia particulari certam gubernationis formam.
II. Deinde conceditur, juris divini eſſe, ut in Eccleſia perpetuum ſit Miniſterium Eccleſiaſticum ab ipſo Deo fundatum, imo id probatur, cavillationique loci Matth. XXVIII, 19, qua τὸ ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος non nemo ad Judaicæ Politiæ deſtructio-

nem

nem appli-are conatus fuerat, itur obviam, & Eph. IV, 12 per Αποςόλȣς, Πϱοφήτας &c. non intelligi perſonas, ſed dona his muneribus competentia, quibus καταϱτίζονται οἱ ἅγιοι εἰς ἔϱγον διακονίας, exiſtimatur. Poſt formatur Quæſtio, an alterutra forma, vel Epiſcopalis vel Presbyteriana, jure divino ſit neceſſaria, quæque in V. T. fuerit gubernationis Eccleſiaſticæ forma, & an nos nunc obliget, disquiritur. Cap. III. Inde quæritur, an neceſſarium fuerit, ut Chriſtus peculiarem formam Hierarchiæ poſitiva lege conſtituerit. IV. Idque feciſſe negatur. Negatur porro, per ullam Chriſti actionem ſingularem Eccleſiæ gubernationem fuiſſe invectam, ubi de Apoſtolis, eorumque æqualitate, nec non præ LXX Diſcipulis prærogativa, imprimis vero de locis Matth. XX, 25, 26, 27, Matth. XVI, 15, 16, 17, 18, & præcipue Matth. XVIII, 15, 16, 17, & quid hoc loco nomen *Eccleſia* ſignificet, (quam Autor accipit pro privato amicorum ſelectorum conventu,) disquiritur. V. Ulterius, num Apoſtolica praxi ſit determinatum, quæritur, quid ſit κλῆϱος ἀποςολῆς, quid τόπος ἴδιος Act. I, monſtratur, Apoſtolos non ſibi ipſis Provincias conſtituiſſe probatur, ac prolixiſſime imprimis oſtenditur, Apoſtolos in praxi Eccleſiaſtica Eccleſiarumque gubernatione Synagogæ Judaicæ ritus ubique fuiſſe imitatos. VI. Nec porro certum eſſe, Apoſtolos in omnibus Eccleſiis eandem formam introduxiſſe, docetur, neque, ſi id concedatur, id neceſſitatem illius formæ probare, cum abrogata fuerint & Apoſtolica præcepta, Act. XV, 29, & Apoſtolicæ praxeos momenta, oſculum ſanctum, agapæ, immerſio in Baptiſmo, communio bonorum, alia. Imo poſt Apoſtolos quoque, occaſione tantum ita ferente, introductas fuiſſe Diœceſes & Provincias, quasdam etiam Eccleſias, VII. ut Scoticas ad annum 430 usque, Gothicas ad tempus Ulphilæ, ſine Epiſcopis fuiſſe, conformatamque fuiſſe Eccleſiaſticam gubernationem cum civili utplurimum, nec Presbyterorum ordinationes pro invalidis habitas fuiſſe, contendit. Unde denique Theologorum Reformatorum judicia afferuntur, & in tres claſſes diſtinguuntur, VIII. eorum, qui gubernationis Eccleſiaſticæ formam mutabilem, & a Magiſtratus & Eccleſiæ diſpoſitione dependere exiſtimant, quo refertur *Cranmerus*, ejusq; judicium in-

editum de hac re ex ipſius MSS. producitur, itemque *Whitgiftius*, Rex *Jacobus I*, *Chillingworthus*, *Chemnitius*, *Molinæus*, *Blondellus*, *Bochartus*, *Grotius*, *Verulamius*. Altera eſt eorum, qui æqualitatem Miniſtrorum pro primitiva forma agnoſcunt, ſed Epiſcopatum non damnant, ut *Auguſtani Confeſſores*, *Melanchthon*, *Confeſſores Smalcaldici*, *Georgius Anhaltinus*, *Calvinus*, *Beza*. Tertia eorum, qui Epiſcopatum Apoſtolicum eſſe putant, ſed non damnant Presbyteria. Concluditur per conſilia pacis, prudentiam ſuadentia, quæ doceat, primitivæ formæ maxime convenire præſidium Eccleſiaſtici Senatus ad vitam, ſed reſtaurata autoritate Presbyterii, imminutis Diœceſibus, inſtauratis Provincialibus Synodis. Fuimus vero in recenſendo hoc opere paulo exactiores, ut integrum ſit Lectori judicium, num debuerit Stillingfleetum pœnitere iſtius ſcripti ea eruditione ac moderatione compoſiti, ac an idem Apologia, qua illud ab eo excuſatum fuiſſe apud Eccleſiam Anglicanam vitæ ejus Autor refert, merito indiguerit. Addita huic Tractatui in ſecunda Editione fuit ab Autore *Diſſertatio de Poteſtate Eccleſiæ circa Excommunicationem*, qua Eccleſiam Societatem, eamque diſtinctam a civili ſocietate eſſe, ac proinde habere jus infligendi pœnas, idque non ex ſolo membrorum conſenſu, ſed ex legibus ab Autore ſocietatis illius conſtitutis, erudite docetur. Sequitur vero, qui hunc Tomum concludit, Tractatus, titulo: *The unreaſonableneſs of ſeparation*, ſive *ingenua Narratio, Hiſtoriam, Naturam & argumenta Separationis hodiernæ ab Eccleſiæ Anglicanæ Communione detegens*. Scriptus hic liber eſt editusque A. 1681, vindicando Sermoni ſacro ab Autore de eodem argumento habito*, tribusque Partibus abſolvitur. Prima hiſtoricam narrationem de ortu & progreſſu hujus ſeparationis, curioſis monimentis ubique diſtinctam, continet. Altera naturam ſeparationis hujus inquirit, & ex re ipſa ſine ratione eam ſuſceptam docet. Tertia argumenta pro illa adduci ſolita confutat & ratione deſtitui probat. Adduntur ſcriptæ eadem ſententia de hac re Epiſtolæ ad Epiſcopum Londinenſem, Triumvirorum Gallorum, Le Moynii, Anglii, & Claudii. De reliquis Tomis alibi dicemus.

Ent-

Digitized by Google

Entdecktes Judenthum.

h. e.

JUDAISMUS DETECTUS A JO. ANDREA EISENMENGERO Prof. Orient. LL. Heidelberg.

Partes II.

Regiomonte,& proſtat Berolini,ap. Jo. Chriſtoph. Pape, 1711, 4. Alph. 11 pl. 13.

NOn obſcurum eſt eruditis, quibus fatis hoc opus fuerit obnoxium, quod a Cl. Autore jampridem elaboratum, & Francofurti ad Mœnum typis expreſſum, lucem videre poterat, niſi Judæorum conatus continuo obſtitiſſent. Legi hanc in rem ea poſſunt, quæ eruditi Commentariorum Trevoltianorum,ad rem literariam ſpectantium,Scriptores A. 1702 Tomo I p. 118 monuerunt. Nunc autem auſpiciis Potentiſſimi Boruſſorum Regis effectum eſt, ut nuper admodum idem opus, Regiomonte accurate recuſum, lucem adſpiceret & cum eruditis communicaretur. Cl. Autor, cujus accurata literarum & Antiquitatum Hebraicarum notitia aliis ſpeciminibus comprobata eſt, id egit potiſſimum, ut ex variis Judæorum ſcriptis, vel editis vel MSS. quorum ſeries in limine operis exſtat, indefeſſo labore colligeret, quæ in doctrinam diviniorem, & puriorem religionem injuria ſunt,& ineptas hujus gentis opiniones ac fabulas, plerisque hodie ignoratas, in lucem proferret. Ne autem hic calumniæ locus eſſet, Judæique de ſententiis ſibi præter rationem imputatis jure poſſent conqueri, diligentiſſimus Autor ipſa Judæorum teſtimonia Hebraico loquendi genere exhibet, eademque vernacula lingua fideliter reddit. Partis I cap. I inquirit in doctrinam eorum de Deo Patre, quæ a verbi divini præſcripto adeo recedit, ut ne cum ratione quidem conciliari poſſit. Sic in lib. Raſiel non edito Deo menſuram cer- p. 2.
tam adſcribunt, quæ quamvis ampliſſima ſit, in divinum tamen Numen omnino non cadere recte judicatur. Non minus inepte, Deum legi & ſapientiæ ſtudio operam dare Tr. Avoda Sara fol. 5.
3 & alibi, puerosque erudire, aſſeverant. In cœlo Academias va- 7-14.
riis

riis Doctoribus instructas & legibus quoque suis munitas dari, in quibus Deus aliquando disputando superatus sit, nugantur.
p. 16-26. Deum illacrymatum fuisse expugnationi templi (vide Chagiga fol. 5 col. 2) neque ullam consolationem admittere, fabulantur. Simili ratione Deum, ob expulsos in exilium Judæos, Mosis obitum, aliasque causas a lacrymis sibi temperare non posse fingunt. Eundem sibi exulibus adesse credunt in lib. *Maor hakkaton* fol.
30. 6 col. 2, cogique posse ad aliquid vel faciendum vel omittendum, aperte pronunciant Tr. Taanith fol. 19 col. 1, & passim comminiscuntur dissensiones quasdam inter Deum & Angelos
34. obortas, v. c. in *Schene luchoth habberith* f. 180. Homines Geniosque ab initio malos & depravatos conditos esse, persuasi
35. 36. sunt in Tr. Berachoth f. 61 col. 1, adeoque & causam peccati esse Deum: v. ib. f. 32 col. 1, idque exculando peccatori sufficere: v. Zeror hammor fol. 151 col. 2. Imo Deum ipsum contra legem peccasse, impie tradunt in Jalkut Schimoni f. 168 col. 2
37. num. 1025 sq. cujus rei exemplum ex eo petunt, quod Lunam
39. Sole minorem condiderit. Omittimus cetera eorum de Deo commenta, quæ non minoris impietatis quam stultitiæ argumenta secum ferunt, de quibus vel ex allatis conjectura fieri pot-
61 sq. est. Cap. II convicia in Servatorem nostrum impio ore projecta complectitur. Sic eum appellant non ישוע sed, ultima litera
67. truncata, ישו, cujus rei quinque afferunt rationes, inter quas quinta eaque potior ista est, ut hoc modo, singulis literis, per voces integras expressis, indignissimum convicium tecte evomere possint. Literas enim has ita interpretantur ימח שמו וזכרונו h. e. *deleatur nomen & memoria ejus*. Eadem de causa frequentius pronunciant Jischu quam Jeschu, ut ad verbum ימח eo re-
69. ctius alludi possit. Hac occasione exsecrandi formulæ, Judæis receptæ, enumerantur, quibus deinceps subjiciuntur formulæ
72. bene precandi. Succedunt alia nomina ignominiæ plena, qui-
73-148. bus Servatoris gloriam deturpare conantur. Appellant enim Deum præputiatorum, Deum Edom, Deum peregrinum, Tauth, Jirah, Avoda Sara, Molech, Baal, Bel Peor, Hefel varik, h. e. vanitatem & inanitatem, Talui, sive suspensum, maledictum, stultum, hæreticum & Epicuræum, impium *Adam belijaal* h. e. hominem

Digitized by Google

hominem nullius pretii, Eſavum, *Mamſer* h. e. ſpurium, qua occaſione calumniæ libri *Toledoth Jeſchu* confutantur p. 112 ſq. *ben Stada* p. 133, *ul baſſimma*, h. e. ſobolem dedecoris, *nezer naaſuf*, h. e. ſurculum adulterinum, *nezer nitaf*, h. e. ſurculum abominabilem, Deum abominationum, *otho baiſch*, h. e. virum illum. Cap. III crimina & ſcelera commemorantur, quæ Servator perpetraſſe, ſibique ipſi ſupplicium ultimum contraxiſſe fingitur. p. 148.
Sic criminantur, ſanctiſſimum Servatorem Magiam ex Ægypto 152.
attuliſſe, a divino Numine ejusque cultu abduxiſſe, miracula 154.
perpetraſſe, vel beneficio Schemhamphoraſch, vel ope Magiæ, 165.
quæ ſomnia graviter confutat Autor, ac deinde ceteras criminationes, in libro Toledoth Jeſchu eructatas refert & retundit. In 173 ſq.
Capite IV usque ad p. 227 aliæ fabulæ Judæorum leguntur, de iis rebus, quas poſt obitum Servatoris noſtri contigiſſe narrant.
Cap. V diſputatur, utrum Jeſus, cujus mentio in Talmudico 228.
corpore frequenter fit, idem ſit cum Servatore noſtro, an potius alius intelligi debeat. Judæi affirmant poſterius, nominatim Jechiel p. 20 & 21 diſputationis, quam præſente quadam Galliæ
Regina cum Nicolao quodam habuit, R. Lipmannus in Sepher 230.
Nizzachon num. 347, & R. Salman Zevi in Theriaca Judaica c. 1
n. 7. Quamvis itaque hæc aliqua veri ſpecie non deſtituantur, 237-264.
judice Autore noſtro, ſedulo tamen caveri debet, ne aſſertioni eorum fidem protinus habeamus. Non enim alium in Talmude Jeſum commemorari, quam qui Servatoris loco Chriſtianis eſt, Autor non ſolum aliorum Judæorum teſtimoniis, ſed & diligenti comparatione, inter noſtrum & Talmudicum Jeſum inſtituta, commonſtrat. Cap. VI exponitur, quid Judæi de Spi- 264 ſq.
ritu S. confingant. Per eum certam prophetiæ ſpeciem ſignifi- 265.
cari volunt, cui ſententiæ præter cetera id opponit Autor noſter, quod Spiritus S. *Schichina* appellatur, quo nomine Deum
notari, in lib. Avodath hakkodeſch parte I fol. 11 col. 1 conce- 268.
ptis verbis affirmatur. Cap. VII ſiniſtra Judæorum de ſcriptis 270.
N. T. Evangeliſtis & Apoſtolis judicia in ſummam conferuntur. Quamvis enim Judæi ipſi a Meſſia novam legem exſpectandam dixerint, per quam N. T. ab illis ſignificatur, hoc tamen eo loco habent, ut legem Edom, legem ſuſpenſi, legem

præputiatorum, legem profanam, legem erroris, &c. appellare
p. 277-293. non vereantur. Non mitius nec rectius de Evangelii præconibus loquuntur, cum in universum, tum de singulis Apostolis, quod fuse enarratur. Vicissim de Talmude præclare sentiunt, & magnifica elogia in eum conferunt, quæ ab Autore repetuntur, qui paulo post diligentem operam in Talmudicis ineptiis pro-
293-453. ponendis collocat cap. VIII. Capite proxime sequenti Judaica legem interpretandi ratio explicatur, additis exempli loco in-
454. eptis quibusdam explicationibus. Tralatitium est, varios interpretandi modos Judæos admittere, quorum alii 49, alii 70 fingunt, imo Autor libri lef arjeh f. 96 col. 4 tradit, singulos versus 600000 modis explicari posse. Reliqua hujus capitis pars recensendis ridiculis Scripturæ interpretationibus usque ad p. 494
494. impenditur. Cap. X leguntur ea, quæ profana gens de religione Christiana, & verbi divini præconibus cum singulari animi im-
495. potentia eructare consuevit. Primo quidem voces ignominiosas in promtu habent, cum religionem nostram appellant fidem Nazarenorum, fidem suspensi, fidem Edomiticam, fidem menda-
499. ciis plenam, itemque errorem. Sic verbi Ministros dicunt Cumarim, Cumere Jeschua, Cumere Edom, ut & Gallachim sive tonsos &c. Templa Christianorum indignis item nominibus affi-
507. ciuntur. Audiunt enim illis *Toefa* seu abominatio, *beth avoda sara* sive domus idololatrica, domus cultus idolorum, domus vanitatis &c. quod ex cap. XI cognoscitur. Sacramentum utrumque non effugit horum hominum calumnias, quæ cap.
533. XII proponuntur. Aquam baptismalem vocant *Me basschemed*,
537. *med*, h. e. aquam perniciei, aquam superbiæ, *me bakke deschim* seu aquam meretriciam &c. baptismum vero ipsum *Schemed* sive
540. perditionem, *Tuma* h. e. impuritatem; Sacram Cœnam di-
543. cunt *Seuda toma* h. e. convivium impurum, panem vero sacra-
552. tum *lechem tome* h. e. panem impurum &c. vinum *Jen nesech*,
553. h. e. vinum effusionis, vinum trepidationis, calicem כלב i. e. ca-
556. nem. Cap. XIII commemoratur, quid de Festis Christianorum pronuncient Judæi. Illa appellant *Ed* h. e. perniciem, item
568-588. *besel*, i. e. vanitatem, *chogga*, h. e. terrorem &c. Cap. XIV mireris incredibilem arrogantiam, qua gens superciliosa ceteris gentibus

Digitized by Google

gentibus ſe præfert, ita ut ipſis quoque Angelis cariores ſe Deo
eſſe profiteantur in Cad hakkemach fol. 64 col. 4. Cap. XV p. 588.
oſtenditur, quam abjecte de ceteris populis, ſpeciatimque de
Chriſtianis ſentiant & loquantur, quos vel inter ipſa bruta nu- 594.
merant in Bava mezia f. 114 col. 2, iisque multis modis immane
odium teſtatum faciunt. Cap. XVI nomina ignominiæ plena, 728-805.
quibus Chriſtianos inſignire ſolent, leguntur, a quibus diſtin-
guuntur ea, quæ ad totum Chriſtianorum cœtum deſignandum
adhibentur, cap. XVII. Capite huic proximo ex Judæorum
mente variarum gentium, quæ Orbem habitent, numerus ini-
tur, & ſeptuaginta recenſentur, quibus totidem Angeli præſint, 631-728.
Sammaele Chriſtianorum res moderante. His tandem extre-
mo capite doctrina Judæorum de Sammaele, Angelo mortis,
& ipſis mortuis, ſuccedit. Illis capitibus prior Pars abſolvitur;
de poſteriore alias dicemus.

GASPARIS SANCTII, SOCIETATIS JESU Theologi, in Collegio Complutenſi Sacrarum Literarum quondam Interpretis, in Librum Job Commentarii cum Paraphraſi.

Antwerpiæ, ſumtibus Jo. Friderici Gleditſch & Filii, 1712, 4 ch. maj.

Conſtat Alph. 4 pl. 3.

QUibus commentationibus in librum Jobi, præcipuam fere laudem inter omnia doctiſſimi atque in dilucidandis ſacris paginis verſatiſſimi Autoris ſcripta merentibus, Compluti die 20 Junii A. 1623, ut ex fine hujus Operis apparet, ultima manus impoſita olim fuerat, eæ biennio poſt A. 1625 typis exceptæ Lugduni apud Batavos publicam lucem aſpexerunt. Nunc vero ob ſacræ pariter ac profanæ doctrinæ, qua abundant, receſſus ſummamque raritatem ſecunda vice prodeunt, ſumtus eam in rem libenter ſuppeditante Bibliopola, qui iterata hac editione communi utilitati conſulere voluit. Poſt præfationem Autoris, in qua propoſitum ſuum in exponendo Jobi libro ſenſum literalem perpetuo ſcrutandi, interdum etiam moralem

Digitized by Google

adjungendi declarat, nova alia exhibetur, quæ de vita & ſcriptis Sanctii agit. Natus videlicet eſt Centum-Puteoli in Hiſpania A. 1554, parentibus probis, ac ſodalitati, quæ a Jeſu nomen habet, anno ætatis decimo ſeptimo adſcriptus, tantam nominis celebritatem adoleſcens adhuc ſibi comparavit, ut multos in admirationem ſui traheret, ſummorumque ac excellentium Virorum benevolentiam promereretur. Operam primum præſtitit in imbuendis ad humanitatis ſtudia juvenum animis, & egregia diligentiæ documenta tum in civitate Oropeſana, tum in Collegiis Huetano & Madritano dedit. Auditores habuit bene multos, illuſtri ſtirpe etiam ſatos, cumque ſpatium triginta annorum docendo conſumſiſſet, Societas ipſum ad interpretandum in Collegio Complutenſi divinum codicem evocavit. Cui ampliſſimo officio ut ſatisfaceret, recteque eodem defungeretur, non tantum ore in gratiam ſtudioſæ juventutis ſacras Pandectas interpretari, ſed etiam ſcriptis ſuas meditationes cum aliis communicare neceſſum duxit. Eum in finem nunc in libros hiſtoricos, Ruth, Eſther, Nehemiæ, Eſdræ, Tobiæ, Judith, Maccabæorum, nunc in vaticinia Prophetarum, Jeſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis, duodecim minorum, threnos item Jeremiæ, nunc ex novo fœdere, in Acta Apoſtolorum commentatus eſt, ut de opuſculo, in tres partes diviſo, de Apoſtolorum Jacobi & Pauli in Hiſpaniam adventu, nihil dicamus. His vero omnibus palmam præripere videtur ultimum eruditionis minime vulgaris ſpecimen ac Operum Sanctianorum complementum, quod præ manibus jam habemus; ut adeo Sanctium noſtrum inter celebriores divinorum oraculorum Interpretes ex Jeſuitarum choro non infimum locum occupare exiſtimandum ſit. Ipſe liber in prolegomena & annotationes diſpeſcitur, ubi ad priorem claſſem neceſſariæ quæſtiones referuntur, atque vario eruditionis apparatu modo ventilantur, modo illuſtrantur, modo explicantur. Expendit enim Cl. Autor, an hiſtoria Jobi ſit vera, vel tantum parabola ad patientiæ exemplar conficta? an Moſes, cum eſſet paſtor in Midian, eam compoſuerit? cur Arabiſmi nonnulli in Jobo inveniantur? Diſſerit etiam de genere & patria Jobi, de ejuſdem regia dignitate regiisque operibus, ſanctitate, pro-

Digitized by Google

prophetico munere, ſacerdotio aliisque antiquorum Patrum de Jobo ſententiis & præconiis. Inquirit porro in hujus libri ſtylum, auctoritatem, linguam, obſcuritatem, nec examinare omittit, num liber ille Canonicis annumerari mereatur? ut alia ſilentio involvamus. In commentario hanc methodum obſervat Sanctius, ut præmiſſo ſemper cujuslibet capitis argumento textum perpetua paraphraſi ornatum afferat, eundemque ſenſu literali expoſitum cum ingenti doctiſſimarum lucubrationum copia reddat. Ex his vero animadverſionibus nonnullas ſpeciminis loco excerpere nec inſtituti noſtri ratio patitur, nec indoles libri, jam pridem quippe editi, requirit. Sub finem demum hujus editionis neceſſarii indices tum rerum memorabilium, tum locorum Scripturæ Sacræ, regularum item ac proverbiorum in his Commentariis occurrentium adjiciuntur.

C. A. H. ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ *IN SPECIMEN COMmentarii MS. in Iobum, Hieronymo tributi, relatum Anno ſuperiore 1711, p. 270--275, & p. 513--520.*

SCriptum eſſe ab Hieronymo Commentarium aliquem in Iobum, *ipſius nobis* conſtat teſtimonio. Id enim ipſe fatetur Comment. in Amoſum cap. V, 19, *T. VI Opp. p. 77, a:* Coluber,* inquiens, *qui in præſenti loco Nobas, in Iob appellatur Leviathan. De cujus natura & terrore multiplici plenius in ipſo Volumine diximus.* Equidem in ſuo Catalogo ſcript. Eccl. cap. 135, ubi ſuos ipſius libros enumerat, hujus commentarii mentionem nullam fecit. Sed iſtud quidem leve eſt. Nam & alios quosdam ſuorum commentariorum ibi prætermiſit, ejusque rei cauſam ipſe ibidem reddit, ſcribens, *ſe multa alia de opere prophetali habere in manibus, quæ nondum ſint expleta.*

Iſte commentarius utrum perierit, an ſuperſit adhuc, diſpiciendum jam nobis eſt. Exſtat commentarius aliquis in Iobum inter opera Hieronymi Tomo VII. Verum falſo ejus Autorem haberi Hieronymum, jam conſentiunt Critici, maluntque cum Bedæ fœtum agnoſcere. Alium igitur eumque ve-

* Utor editione Fridericiana Francof. 1684.

rum Hieronymi in Iobum commentarium ſibi poſſidere viſus eſt Marcus Meibomius: cujus Specimen his Actis inſertum examini libet ſubjicere, & exponendis rationibus declarare, cur nec iſte commentarius pro Hieronymiano ſit habendus. En igitur rationes meas. I Solet Hieronymus in Procemiis ſuorum Commentariorum nominatim laudare eos, qui ante ſe eundem librum ſuſceperunt illuſtrandum. Atqui hoc in hujus MS. Commentarii procemio non eſt factum, cum tamen ante Hieronymum multi ſint in Iobum commentati, Ambroſius Alexandrinus, Didymus, Origenes, Hilarius Pictavienſis, de quibus ipſe teſtis eſt in Catalogo ſuo. II Hieronymus in ſuis commentariis creberrime adducit verſionem τῶν LXX, Symmachi, Aquilæ, & Theodotionis, item textum Hebraicum. Sed nec hoc in iſto ſpecimine fieri videmus: cum tamen vel maxime in ſuo ad Iobum commentario id feciſſe videatur Hieronymus. Nam *T. III p.17* exſtant duæ Hieronymi præfationes in Iobum: in quarum priore docet, ſe bis vertiſſe Iobi librum, primum ex editione τῶν LXX, deinde ex Hebræo. Idem repetit *T. II p. 81.f.* III In certis Hieronymi libris habentur interpretationes locorum quorundam Hieronymi ex Iobo, plane iis contrariæ, quæ in iſto MS. Commentario leguntur. Legas, Lector, ſupra* *p. 272* ſq. explicationem capitis III, 8, & tum audi ipſum Hieronymum, *T. VI Comm. in Ionæ III p. 103, f* hæc ſcribentem: *De Domino* (Chriſto) *Iob myſtice loquitur: Maledicat ei, qui maledixit diei, ille, qui magnum cetum capturus eſt. Præcipitur ergo huic magno ceto, & abyſſis & inferno, ut terris reſtituant Salvatorem, & qui mortuus fuerat, ut liberaret eos, qui mortis vinculis tenebantur.* Sic relege ſupra *p. 517* interpretationem Cap. XXXI, 27: & nunc ipſum conſule Hieronymum, qui plane aliter, idque erudite, illa Iobi verba exponit. Ita enim *T. V Comm. in Ezech. cap. VIII p. 336, 9* ſcribit: *Iob inter ceteras virtutes etiam hoc habuit, quod nunquam aſpiciens cœlum & Solem & Lunam & aſtra fulgentia oſculatus ſit manum ſuam, id eſt, adoraverit creaturas.* Eandem interpretationem repetit *Comm. in Hoſeæ cap. XIII T. VI p. 39, f.* Vel hic unus locus ſufficit ad commen-

* in his Actis A. 1711.

Digitized by Google

commentarium MS. Hieronymo abjudicandum. In eo enim prodit se magna ignorantia phraseos : *osculari manum suam*; quam absfuisse ab Hieronymo e citatis duobus locis luculenter patet. IV In commentario hoc MS. observavi opinionem aliam scriptoris, cui contrarium sensit Hieronymus. Nimirum ad Cap. XXXIIX, *7, p. 517* dicit Commentator MStus, *angelos fuisse primos in tempore creatos, non in initio*, id est, angelorum creationem incidisse in hexaemeron Mosaicum. Contra Hieronymus cum aliis ecclesiæ doctoribus, quorum loca citantur a Francisco Messanensi in *Explicatione difficiliorum locorum Hieronymi*, sub voce *Angelus* num. IV, statuit, ante visibilem hunc mundum creatos fuisse angelos. En ipsius verba ex *Comment. ad Tit. I, 2* : *Sex millia nec dum nostri orbis implentur anni, & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas seculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, ceteraque virtutes servierint Deo, & absque temporum vicibus atque mensuris Deo jubente substiterint.* V. Ad Cap. XXIV Iobi *p. 515* & ad cap. XXXIX *p. 517* provocatur ad Patres Ecclesiæ. Quæ appellatio in Hieronymi scriptis non occurrit, nec ejus ævo fuit usitata. Ex quinque his argumentis, credo, conficitur, Hieronymo perperam MS. illum Commentarium tribui. Omitto dicendi genus, quod passim sapit recentius sæculum : omitto, quod, notante Cl. Relando in commentario hoc MS. ad Cap. XXXIX *p. 517*, verba de ibicibus etiam legantur in Isidoro Hispalensi, qui longe post Hieronymum vixit. Ea enim verba ex Isidoro transscripta esse non dubito. Nam etsi notum sit, Isidorum sua pleraque descripsisse ex aliis, adeoque reponi possit, Isidorum ex commentario isto MS. ea hausisse : comparatio tamen verborum facile Lectori persuadebit, Isidorum scripsisse priorem.

Hactenus, quis non sit MS. Commentarii Autor, vidimus. Jam breviter indicabo, quis verus mihi Scriptor ejus fuisse videatur. Quanquam non pari hic uti possum fiducia in pronuntianda sententia, sed simpliciter tantum expositurus sum, quid mihi in mentem venerit, curatiorem indagationem relinquens aliis, vel aliud in tempus mihi reservans. Crediderim

itaque,

itaque, autorem hujus commentarii fuiſſe Rabanum Maurum: in quam ſuſpicionem me adduxit lectio Commentarii in Threnos, qui exſtat in Tomo V Operum Hieronymi, & non ſolum Rabano illi jamdudum a Criticis vindicatus eſt, ſed etiam inter Rabani opera editus. Certe ſumma ſtyli eſt convenientia, & eadem methodus. Expromam ex eo exempli cauſa aliquot loca, quæ & ipſa ad Iobi ſententiam declarandam ſcripta ſunt: ut Lectores ea contendere poſſint cum Commentario MS. In illo igitur in Threnos Commentario *cap. III p. 304, c* hæc leguntur: *Per beatum Iob dicitur: Elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. Quid per animam, niſi mentis intentio? quid per oſſa, niſi carnis fortitudo deſignatur? Omne autem, quod ſuſpenditur, procul dubio ab imis elevatur. Anima ergo ſuſpendium elegit, ut oſſa moriantur: quia, dum mentis intentio ad alta ſe ſublevat, omnem in ſe fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri certiſſime ſciunt, quia habere in hac vita requiem nequaquam poſſunt: & idcirco ſuſpendium eligunt, quia nimirum deſideria terrena deſerentes, ad alta animum tollunt. Suſpenſi autem mortem ſuis oſſibus inferunt, qui amore ſupernæ patriæ in virtutum ſtudiis accincti, hoc, quo fortes prius in mundo fuerunt, vinculo humilitatis inſequuntur.* Jam conſidera, quæ in Comm. MS. leguntur in Prœmio, *p 270*: *Quædam nequeunt ad litteram accipi, -- ut: --* Elegit ſuſpendium anima mea: *quaſi tam patiens velit ſuſpendio vitam finire.* Judicat ergo, allegorice illa verba eſſe capienda: idemque ſentit, ut modo vidimus, Rabanus Maurus. Porro *Comment. in Thren. cap. III p. 306, a,* poſtquam citaſſet Iobi XXII, 12, ſcribit: *Sunt plerique ita hebetes, ut formidare neſciant, niſi quod corporaliter vident, unde fit, ut Deum non metuant, quem videre non poſſunt.* Jam cum his verbis compone commentarium MS. ad Iobi XXII, 11 *p. 275,* & eadem fere verba deprehendes. Porro *Comment. in Thren. cap. III p. 303, e* hæc legimus: *In Iob ita ſcriptum eſt: Pharetram enim ſuam aperuit & afflixit me. Quid per pharetram Dei, niſi occultum judicium vel conſilium deſignatur? Sagittam vero de pharetra Dominus ejicit, quando de occulto judicii conſilio apertam ſententiam emittit. Quia enim flagellatur quiſque,*

Digitized by Google

que, agnoſcimus: ſed ex qua cauſa flagellum veniat, ignoramus. Cum vero poſt flagella vitæ correctio ſequitur, & ipſa conſilii virtus aperitur. Pharetra igitur clauſa eſt conſilium occultum. Sed aperta Pharetra affligimur, quando per id, quod poſt flagellum ſequitur, quo conſilio flagellemur, videmus. Cum peccata Dominus videt, & tamen manum ad vindictam non commovet, quaſi clauſam pharetram tenet: ſed feriendo indicat, quantum ei in nobis diſplicuit hoc, quod videndo toleravit. Denique *Comment. in Thren. cap. IV p. 309, c, d* hæc exſtant: *De hoc ſtruthione & in libro Iob* (cap. XXXIX, 6) *legitur: Induratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui: fruſtra laboravit, nullo timore cogente. Indurata eſt ergo crudelis ſynagoga Judæorum contra Apoſtolos & prædicatores Novi Teſtamenti, qui de ipſa gente nati fuerant, quaſi non eſſent ſui: odio eos habens & externos deputans, crudeliter illos ubique in deſerto gentium perſequebatur propter Evangelium Chriſti. - - Fruſtra ergo laborat, nullo timore cogente: quia cum Chriſtum perſecuta eſt tanquam everſorem gentis & deſtructorem regni, nec ſtatum regni, nec ſalutem gentis ſervavit, ſed magis perdidit.* Quæ duo poſteriora loca eo conſilio attuli, ut tractandi commentandique ratio lucidius cognoſci poſſit, & cum commentario MS. conferri. Ceterum ex Excerptis commentarii MS. ſupra adductis diſco, non magnopere de Rep. litteraria meriturum eſſe, ſi quis in lucem producat integrum illum Commentarium, plenum quippe indoctis & ridiculis etiam interpretationibus. Rectius fecerit, ſi ex illo ſterquilinio id, quod utile viſum fuerit, colligat & ſeorſim edat: quod comprehendi poſſe una vel altera plagula ſuſpicor.

Subjungam poſtremo aliquot emendationes Codicis MSti ſupra neglectas. Igitur *p. 273 lin. 30* deleatur prius *Iob.* Sermo eſt enim de antagoniſta Iobi. *P. 275 lin. 1* lege: *Et id adhuc cogitant hæretici, qui ſe. Pag. ead. lin. 21* lege: *fundamenta pro ſtatum ejus.* Ibidem *lin. 25* lege: *quod, dum ordinat.* Irrepſerunt vero & typographica ſphalmata in Excerpta iſta ex Commentario MS. Meibomiano, quæ hic annotabo. Nimirum *pag. 270 lin. antepen.* lege: *perdit, ut dum. P. 273 lin. 29* lege: *formicis, & eas. P. 274 lin. 1* leg. *quia virtutem. P. 515 lin. 13*

D lege:

Digitized by Google

lege: *& sitiunt.* *P.517 lin. penult.* lege: *lib. XII cap. 1.* *P. 518 lin. 2* lege: *cervi.* Ibidem *lin. 7* lege: *Ipsa.*

C. A. H. OBSERVATIO IN MATTH. XXIV, 51.

Legi in Anni sup. M. Oct. p. 450 novam Martianæi sententiam de loco Matthæi cap. XXIV, 51, ubi herus domum redux improbum servum dicitur *διχοτομήσων*, *medium divisurus.* Primus sibi verum hujus loci sensum invenisse videtur Martianæus, eumque ait omnes adhuc fugisse interpretes. Ipse autem de sejunctione animæ & corporis, quæ morte fit, interpretatur. Verum nec hæc sententia admitti potest, cum Christus apud Matthæum non de divina pœna loquatur, sed de pœna, qua herus ille servum sit affecturus. Itaque videndum est, quæ humanarum pœnarum hic locum possit habere. Jam vero *medium aliquem dividere* proprie significat corpus alicujus dissecare, discindere: quæ pœna olim non inusitata. Vid. Livius lib. I cap. 28, & lib. VIII cap. 24; Suetonius in Caligula cap. 27; Gellius Noct. Attic. lib. XX cap. 1. Herodotus quoque in Polymnia memorat, Xerxis jussu Pythium quendam *medium dissectum esse*, & dimidiam corporis partem alteram a dextro viæ latere, alteram a sinistro positam esse. Aliis etiam gentibus id supplicii genus usitatum fuisse, ex monimentis historicorum demonstrat Rupertus in Floro illustrato ad lib. I cap. 3 §. 8 p. 96, 97. Verum hoc quidem supplicium præsenti Matthæi loco minime potest accommodari, tum quia Servator noster loquitur de domino & patre familias, cujus tantam in servos potestatem eo ævo fuisse, nemo dixerit: tum quod meminit fletus & stridoris dentium, illam pœnam secuturi: id quod punitum servum vivum conservari probat. Apud Horatium Lib. I Sat. 1 v. 100 *securi medium dividere* est decollare aliquem, caput alicui abscindere. Sed hunc in modum explicari verba Matthæi, eædem, quas modo attuli, rationes prohibent. Aliunde igitur lux quærenda hisce verbis. Aut egregie fallor, aut Homerus & Arrianus ferent suppetias & tenebras illius loci dispellent. Apud hunc enim Epictetus lib. III cap. 22 haud procul initio, eadem, qua Christus, simi-

ſimilitudine uſus ita diſſerit: *Si quis* (ſervus) *in domo ſibi arroget gubernationem, non videtur ferendus: aut ſi non deſiſtat, revertens paterfamilias, atque videns turbulente ipſum ſe gerentem, tractum ad ſupplicium dividet medium.* In Græco eſt: *ἑλκύσας ἔτεμεν.* Apud illum Odyſſ. lib. XVIII v. 345 Ulyſſes ancillam ſibi contumelioſis verbis inſultantem ita locutus reprimit:

Certe cito Telemacho dicam, canis, qualia dicas,
- - ἵνα σ' αὖθι διαμελεϊστὶ τάμῃσιν,
Ut te membratim incidat ſive *diſſecet.*

Si quæris, quænam pœna innuatur, non dubito, ſervilem pœnam flagellorum ſignificari & ab Homero & ab Arriano, itemque a Matthæo. Notum quippe eſt, *horribili flagello* (ita vocat Horatius Lib. I Sat. 3 v. 119) dominos uſos eſſe ad puniendos ſervos. Flagellis autem terga eorum quaſi *ſecabantur* &, ut Plautum alicubi loqui memini, *rumpebantur.* Certe iſthoc dicendi genere utuntur Cyprianus ac Prudentius. Ille *Libro de lapſis cap. 9 p. 127: Cum duriſſimi judicis recrudeſcente ſævitia jam fatigatum, jam laſſum corpus nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes.* Hic in *Romano martyre:*

Mox & remota veſte virgis verberent,
Tenerumque ductis ictibus tergum ſecent.

Jam igitur claram eſſe puto ſententiam verbi illius apud Matthæum: quod an hunc in modum a quoquam Interpretum jam ſit expoſitum, me neſcire fateor.

DEMONSTRATIO DE DEO SIVE Methodus ad cognitionem Dei naturalem brevis ac demonſtrativa. Cui accedunt Epiſtolæ quædam Miſcellaneæ de Animæ natura & immortalitate, de veritate Religionis Chriſtianæ, de univerſo &c.

Londini, apud Guil. Taylor, 1710, 4 maj.
Plag. 16.
Lipſiæ, ſumtibus Jo. Frid. Gleditſch & Fil. 1712, 8.
Plag. $10\frac{1}{2}$.

Digitized by Google

EX quo Mathesis cum Philosophia a semiseculo & paulo amplius conjungi cœpit, multi viri ingeniosi demonstrationes Mathematicæ certitudinis etiam in rebus Metaphysicis, & maxime circa Deum & Animam nobis dare conati sunt. Et laudandum est eorum propositum, & spes etiam est paulatim ad scopum perveniri posse. Sed hactenus raro successus conatui respondit. Autor ingeniosus hujus libelli, Josephus Raphson, multa quidem habet egregia, (præsertim circa naturam Mentis,) ut mox patebit: sed in demonstrando & ipse versari videtur paulo laxius. Equidem in Præfatione rationibus *brevissimis* & *maxime perspicuis* rem (nempe demonstrationem Dei) se aggressum ait. Et fatendum est, brevitatem tenuisse; sed optandum foret, ut par esset evidentia. Itaque veniam nobis pro candore suo dabit, si interdum explicationem ulteriorem desideremus. Incipit a Definitionibus: *Finitum* (inquit) dicitur, quicquid actu terminatur, sive essentia, sive actione, (seu mavis activitate) seu quovis alio modo; seu quod limites undiquaque habet suæ essentiæ, actionis, &c. Sed hic videtur magis Synonyma substituisse pro finito, ponendo terminatum, vel limitatum, quam rem explicuisse. [Imo sunt qui dubitant, an omne terminatum sit finitum: quidam enim concipiunt rectam infinitam, & tamen terminatam; ponatur enim infinite parva α & recta ordinaria b, seu LM incipiens a puncto aliquo dato L, & sint in continua proportione rectæ α, b, c, d, omnes ab eodem puncto dato L incipientes, & ad easdem partes per L & M ductæ, dico ipsam tertiam c fore infinitam, sed tamen terminatam, quia quarta d infinities major est, longiusque protenditur; etsi ipsa quoque non sit interminata, sed per quintam proportionalem infinities vincatur; & ita porro. Quanquam autem revera Autor calculi infinitesimalis quantitates infinite parvas non habeat pro realibus, nec tales consequentias admittat; sunt tamen alii, qui admittunt, atque ideo notiones bene distinctæ sunt afferendæ.] Porro Corollarium Cl. Autor infert ex sua definitione, quod duo infinita in eodem genere essentia distincta dari non possint. Sed non explicat, quid sit *in eodem genere* esse? an idem quod convenire essentia? sed ita enuntiatio foret iden-

tica

Digitized by Google

tica. In ſcholio notat, ſe non agere de infinito potentiali ſeu Mathematico. Sed dubitari poterit, an omne infinitum Mathematicum ſit potentiale. Deinde, afferenda ergo definitio erat, qua infinitum, de quo agit, ab infinitis Mathematicis diſtingueretur. *Ens a ſe ipſo* definit, quod vi ſuæ naturæ ſive eſſentiæ exiſtit, ſeu exiſtentiam natura ſua involvit, adeoque exinde neceſſario exiſtit.

Poſtulat deinde (1) *aliquid exiſtere*, (2) *omne finitum poſſe ut non exiſtens concipi*, (3) *omne finitum majus & minus in eodem genere admittere*; Sed fortaſſe Epicuri ſectatores negabunt poſtulatum ſecundum, nam putant atomos ſuas exiſtere neceſſario & ideo fingi quidem poſſe ſeu concipi confuſe, quod non exiſtant, ſed hoc non poſſe concipi diſtincte. Sequuntur *Axiomata:* (1) *Nihil nil poteſt*, (2) *nihil fit absque cauſa determinata*, (3) *quicquid eſt, aut a ſe eſt aut ab alio*. Ad tertium Axioma Epicurei dicent: quæ æterna ſint, ut atomi & vacuum, nec a ſe eſſe, nec ab alio. Quidam etiam fortaſſe addent tertium: poſſe aliquid eſſe partim a ſe partim ab alio, concurrentibus plurium naturis & ſe mutuo adjuvantibus. Sequitur *Propoſitio I: Ens a ſe ipſo exiſtit*. Demonſtratio: Aliquid exiſtit per poſtulatum 1, ſed *nihil nil poteſt* per ax. 1. Ergo aliquid exiſtit a ſe ipſo. Ergo Ens a ſe ipſo, quodcunque illud ſit, exiſtit. Hic fatemur ingenue evidentiam nexus deſiderari, nec facile apparere, quomodo forma argumenti hinc exſculpi poſſit. Dum brevis eſſe laborat Autor ingenioſus, fit obſcurus; ſuam tamen demonſtrationem in ſcholio illuſtrare conatur. Nempe ſi adverſarius dicat, Ens exiſtens produci ab alio, & hoc rurſus ab alio, & ſic in infinitum; reſpondet, Ens a ſe ipſo exiſtens debere eſſe coefficiens cum ſerie cauſarum infinita, alioqui non-ens fieret cauſa rerum, contra ax. I. Sed hæc omnia accuratiore comprobatione indigerent. Adverſarii dicent, ſeriem infinitam Entium non neceſſariorum ſibi ſufficere, ſemper enim adeſſe cauſam determinatam, etſi nulla ſit prima. Nec iis ſatisfieri poteſt, niſi per aliud altius & generalius axioma, quod Ill. Autor *Theodicææ* nuper præclare urſit, toto pene opere, ei inædificato, nempe *quod nihil ſit ſine ratione ſufficiente, cur ſit potius quam non ſit*; quod locum habe-

re debet, ſive res cauſam habeat ſive non, ſive æterna ſit ſive non. Ita enim patet, in ſerie tali non reperiri rationem exiſtendi ſufficientem, cum ſemper iterum quæratur ratio.

Prop. 4 probare ſtudet Cl. Autor *Ens a ſe eſſe infinitum.* Ita autem argumentatur: Ens a ſe ipſo eſt abſolute independens, & neceſſario omnes involvit perfectiones, (per Coroll. 3 propoſitionis 3) ergo & eſſentiam ſine limitibus. Sed in corollario illo 3 hæc tantum enuntiabantur: *Eſſentia Entis a ſe omnes perfectiones involvit, quæ exiſtentiam a ſe ipſo ſeu neceſſariam conſequantur*; quod quidem non poteſt non admitti, ſed nihil probat de omnibus perfectionibus abſolute. Bene ergo fecit, quod hanc eandem prop. 4 binis adhuc aliis modis comprobare conatur & primum hoc modo: Omne finitum (per poſt. 2) concipi poteſt ut non exiſtens, ſed Ens a ſe non poteſt concipi ut non exiſtens. Ergo Ens a ſe non eſt finitum. Hic ſyllogiſmus eſt probæ formæ; ſed poſtulatum, cum parum differat a concluſione, vix admittent adverſarii ſine probatione, ut jam ſupra monuimus. Tertiam adhibet probationem hujusmodi: Non poſſe non eſſe, Enti a ſe competit (recte) ſed non poſſe non eſſe, Enti actu infinito competit, (quod ait a ſe probatum libello de Spatio reali c. 3) Ergo Ens a ſe ipſo eſt actu infinitum. Hunc ſyllogiſmum forma laborare, dicent adverſarii, & negabunt procedere argumentum, niſi probetur prius τὸ non poſſe non eſſe, competere Enti infinito, ſoli. Et neſcio an huic objectioni ſatisfaciat remedium, quod Autor afferre tentat his verbis: *quod hæcce duo prædicata maxime ſint ſingularia, de quibus illud τὸ non poſſe non eſſe prædicatur, vix operæ pretium erit oſtendere.* Innuit credo: Ens a ſe, & Ens infinitum eſſe unica; & ideo procedere conſequentiam. Sed hoc aſſertum probare utique maxime operæ pretium erat. Quod ſi aliud intelligit, non ſatis mentem ejus capio. Et ſane demum Prop. 5 probare conatur *Ens a ſe, eſſe unicum*, ſed ibi a ſe demonſtratum ſupponit, Ens a ſe eſſe infinitum.

Parte ſecunda Cl. Autor ſtatuit, Deum, ſeu (quæ jam pro iisdem habet) Ens a ſe eſſe infinite extenſum, eſſe infinite activum, eſſe infinito intellectu præditum; citatque ſubinde Cab-

Digitized by Google

baliſtas & Helmontium juniorem in Seder Olam; cum Platonicis etiam diſtinguit divinum intellectum in νοῦν νοερὸν, & νοῦν νοητὸν; hunc eſſe rerum exhibitivum, illum perceptivum, & bene ſtatuit divinum intellectum eſſe eſſentiarum radicem. Addit autem, etſi infinita ſint poſſibilia, non tamen eſſe poſſibile, corporum ſyſtemata actu & quaquaverſum infinita ſimul coexiſtere; ob impoſſibilitatem motus ex eorundem impenetrabilitate orituram. Sed hoc argumentum an validum ſit, dubitatur. Bene etiam ſtatuit Cl. Autor, Deum a ſua perfectione ad agendum determinari, & hominem tum maxime libere agere, cum ſecundum rationem agit.

Sectione tertia Deo, cui infinitam extenſionem tribuerat, nunc (vocabulo Henrici Mori) tribuit *Holenmerianiſmum*, (p. 69) ut ſit totus in qualibet parte, pro contradictione autem habet Deum dici inextenſum. Creaturas autem ex Auguſtino lib. 4 Geneſ. c. 12 & Proſpero a Deo continue produci judicat. De Epiſtolis libro huic ſubjunctis cum multo plura dicenda ſuperſint, eas in proximum Menſem ſervabimus.

Acht Bücher vom Natur- und Völcker-Recht ꝛc.

h. e.

SAMUELIS L.B. DE PUFENDORF LIBRI octo de Jure naturæ & gentium, notis JOHANNIS NICOLAI HERTII, JOHANNIS BARBEYRAC & aliorum illuſtrati & in Linguam Germanicam converſi.

Francofurti ad Mœnum, apud Fridericum Knochium, 1711, 4. Alph. 12 plag. 1.

NObiliſſimum hoc B. Pufendorfii opus, ut etiam qui linguæ Latinæ rudes ſunt, utilitatem ex eo capere poſſint, feliciter admodum noſtra lingua expreſſum comparet. Præterquam quod ipſa interpretatio multis locis optimi commentarii loco eſſe poſſit, eruditiſſimus Interpres notas virorum quorundam celebrium ſelegit, ſuasque etiam, quibus multa loca egregie illuſtrantur, adjecit. Harum ut ſpecimen quoddam præbeatur, ſeligemus ex univerſo opere, quæ paſſim diſſerit de pudore naturali,

Digitized by Google

rali, quem homines in ſe ſentire ſolent, & de quo multa eſt inter Juris Naturalis conſultos quæſtio. Statuit, pudorem hunc humano generi innatum legis inſtar eſſe habendum. Optat, ut magiſtratus Chriſtiani veſtitum omnem libidini excitandæ aptum prohibeant, utque ſequantur exemplum Papæ, qui ante annos non ita multos ſolis proſtibulis publicis denudationem
Tom.I p.178. mammillarum permiſit, idque eorum ſignum eſſe juſſit. Longe vero diſſentit a Cl. Barbeyracio, qui in annotationibus Gallicis ad Puſendorfium opinatur, detectionem membrorum genitalium eſſe rem indifferentem & quæ non niſi per abuſum ad jus na-
390. turæ referatur. Ad locum Puſendorfii, ubi dicitur, parum gravitatis ineſſe actui Venereo, & viros ſapientes, citra illecebras, quibus illum natura condivit, ab eo ſe abſtenturos, Cl. Interpres annotat, ea, quæ Puſendorfius de turpitudine cum actu generationis conjuncta diſſerit, videri favere ſententiæ Virorum quorundam celebrium, qui ſtatuunt, Adamum, quem Interpres
845. corpore ſpirituali creatum fuiſſe in ſuperioribus jam docuerat, cum adhuc imaginem divinam gereret, pudenda hæc membra non geſſiſſe, ſed in uno Adamo duas naturas ſeu eſſentias vel principia, maſculinum & fœmininum, ita fuiſſe conjuncta, ut modo non turpi per commotionem internam & ſanctam cupiditatem multas imagines divinas videndi, propagari genus ſuum poſſet, neque commixtione externa brutis etiam communi opus haberet, quamvis, poſteaquam a Deo deficere aliquantum incepiſſet, non amplius bonum fuerit Adamum eſſe ſolum, id quod tamen ab initio valde bonum Deo fuiſſe viſum, in S.Literis
Tom. II dicatur. Ex eodem pudore ſenſuque turpitudinis clarum eſſe
p. 262. ſolo lumine naturæ exiſtimat, poſt reſurrectionem non eſſe poſſe inter beatos aliquod matrimonium, id quod confirmatur dicto Chriſti Matth. XXII, 25 ſqq. veritatem hanc contra Sadducæos ex eo probantis, quod beatis angelis puritate & ſpirituali natura ſimiles ſint futuri: ubi ſimul notatu dignum videtur Interpreti, quod Chriſtus Sadducæos ad S.Literas ablegarit, ut ex iis diſcerent, quam ſanctus ab initio homo fuerit creatus, ſimulque eos meminiſſe potentiæ divinæ juſſerit, ut crederent, Deum poſſe hæc omnia in priſtinum ſtatum reſtituere, quamvis id mirabile

Digitized by Google

bile ſit in oculis rudium & infidelium. Cum Pufendorfius pudorem ac faſtidium, quo homines a conjugiis proximorum conſanguineorum abhorrere ſolent, educationi potius quam voluntati divinæ cordibus ipſorum inſcriptæ tribuendum eſſe judicat, noſter Autor cum Conſultiſſimo Hertio ab eo hac in re diſſentit. Uti enim, inquit, multa in rerum natura a priori demonſtrari non poſſunt, etſi ſenſibus percipiantur, ita ab intellectu recte conformato ſeu ſenſu interno multa etiam intelligi ait, quæ cur ſint, exponere nequeat. Quod autem non omnes idem circa eadem ſentiant, id non magis quidpiam ad rem hanc facere, quam ſi quis dicat, hominem providum aliquid non vidiſſe, quia id ab oculo vago, vel clauſo, vel negligente non fuerit animadverſum. Optime itaque facturos homines, ſi ad Deum ſe convertant, hujusque revelationem piis precibus implorantes, cordi ſuo probe attendant: tum enim facilius longe cognitum iri, quid a Deo prohibitum ſit, & quas ob cauſas.

pag. 297. 335

Pudoris ejus, qui circa generationem hominis ſentitur, ſecundum ſententiam, quam de prima creatione Adami jam recenſuimus, Interpres noſter definitionem hanc profert: eſſe ſenſum ſecretum de eo, quod res & facta quæpiam, pro iis circumſtantiis, quæ nunc ſunt, cum primæva inſtitutione Dei & cum dignitate hominis pugnent. 361.

Cauſam efficientem hujus pudoris Pufendorfius naturam eſſe dicit: per quam Interpres intelligi hoc loco vult gratiam caſtigantem Spiritus Sancti, omnibus hominibus in univerſum propter Chriſtum tributam. Hanc enim, quia eo tempore adſit, quo homo naturam ſuam accipit, ſæpe naturam ipſam eſſe credi ejusque nomine exprimi, a Theologis vero gratiam antecedentem appellari. Ad hæc probanda allegat Rom. V, 15 ſeqq. Ioh. I, 9, Rom. I, 19 ſeqq Ioh. XVI, 8, Geneſ. VI, 3. 338 & 342. 345

Ceterum diſſimulare non poſſumus, in verſione ipſa, ſi partem poſteriorem cum priori componamus, quandam ſtyli diſcrepantiam obſervari; unde facile conjectamur, non unum fuiſſe operis Interpretem.

DESCRIPTION DE DEUX NIVEAUX D' UNE nouvelle Conſtruction.

h. e.

DESCRIPTIO DUARUM LIBELLARUM *nova ratione conſtructarum. Autore* NICOLAO HARTSOEKER.

Amſtelodami, 1711, in 4.

Plag. 1 Tab. æn. 3.

EQuidem tam a veteribus, quam recentioribus tot excogitata ſunt libellarum genera, ut in inſtrumentis libellatoriis inveniendis ac perficiendis nullius induſtriæ aliquid amplius relictum videatur, præſertim poſt ea, quæ *Picardus, Hugenius, Rœmerus* & *de la Hire* invenerunt, in Tractatu de libellatione, *Tom. I Supplem. p. 96 & ſeqq.* commendato, deſcripta; novam tamen libellæ conſtructionem eamque geminam dedit Vir celeberrimus *Hartſœkerus*. Prioris conſtructio talis eſt: ABCD eſt fulcimentum ferreum, cui in E & F afferruminantur tubi cum lamina orichalcea, qualem *Fig. 2* repræſentat. Eorum alter vitrum objectivum; alter oculare recipit. Pars inſtrumenti AK ſimiliter ex orichalco paratur, & inferius acu ex optima chalybe confecta, ſuperius autem cochlea H inſtruitur. Intra partem HK afferruminantur duæ lamellæ crena pertuſæ & cardinibus recipiendis aptæ, quos inter crux LMNO ſuſpenditur tubo PQ firmiter affixa, cujus utramque baſin filum horizontaliter extenſum bifariam ſecat. Lamellas illas in ſchematiſmo non expreſſit Autor. Tota hæc machina capſæ ligneæ ſecuritatis ergo includitur & tamdiu elevatur aut deprimitur HK, donec fila crenis lamellarum tubis afferruminatarum exacte reſpondeant: quem in finem non modo pondus alterutrum R vel S aut verſus T promovendum, aut inde removendum; verum etiam integra machina ope cochleæ L aut elevanda, aut deprimenda. Poſterioris libellæ, quam priori præfert Autor, ſtructura hæc eſt: AB eſt tubus quadratus, cujus utramque baſin A & B filum horizontale bifariam ſecat. In ejus medio infiguntur duo pedes cuſpidati D & C foraminibus tubi majoris EF immittendi, ex chalybe optima parati; quod etiam de reliquis in G & H notandum. Tubo quadrato EF

TAB. I. Fig. 1.

Fig. 2.

afferr-

Fig..



Digitized by Google

afferruminantur utrinque alii rotundi cum laminis orichalceis, qualem *Fig. 2* repræſentat, ut eorum uni vitrum objectivum, alteri oculare inſeratur. Tubus autem AB alteri EF ita immittendus, ut centra filorum ſint in axe utriusque lentis, ipſa vero fila crenis lamellarum exacte reſpondeant. Tota hæc machina capſæ ligneæ imponitur, quæ ſuper corpore firmo ac ſtabili collocata ope cochleæ L elevatur, donec cuſpis G fundum tubi EF relinquat. Tubus AB invertitur, altero EF immoto, & ſi H eodem modo foramini *a* reſpondeat, ſive elevetur, ſive deprimatur, objectum, quod fila tegunt, eſt in linea horizontali apparente; ſin minus, pondus alterutrum M vel N aut verſus P promovendum, aut inde removendum, donec idem contingat. Beneficio cochleæ K tubus EF elevatur ac deprimitur, prout e re viſum fuerit. In utroque inſtrumento cochlea L ſub vitro oculari collocatur.

Johann Gauppens allgemeine Mechaniſche Sonnen-Uhr-Kunſt.

h. e.

JOHANNIS GAUPPENII GNOMONICA Mechanica Univerſalis.

Auguſtæ Vindelicorum, apud Paulum Kühtzen, 1711, 4.

Conſtat $2\frac{1}{2}$ Alph. Tab. æn. $21\frac{1}{4}$ plag.

PRopoſitum eſt Cl. Autori via facili ad horologiorum Solarium deſcriptionem perducere etiam illos, qui in theoria Mathematica parum ſunt verſati. Quamobrem *Cap. 1* ex Geometria practica & *Cap. 2* ex Aſtronomia repetit, quæ ad Gnomonicam cum fructu percipiendam cognitu neceſſaria ſunt, atque *Cap. 3* terminos Gnomicos & diverſa horologiorum ſolarium genera declarat. Cumque *Henricus Bierum*, Architectus militaris, A. 1676 idiomate Batavo Tractatum brevem, quatuor nonniſi plagulis conſtantem, de horologiorum ſolarium deſcriptione publicaverit, in quo fundamentum perquam facile horologia ſolaria mechanice deſcribendi continetur;

 eun-

eundem Germanice verſum & notis uberrimis inſtructum a *Cap.* 4 usque ad *10* exhibet. Notæ partim textum *Bierumii* illuſtrant, partim prætermiſſa ſupplent. Fundamentum vero illud mechanicum hoc eſt. Si in ſuperficie globi, cujus axis cum axe mundi parallelus, deſcripti ſint circuli horarii; notiſſimum eſt, umbræ ac lucis confinia in iisdem horas diurnas diſtinguere. Reſecentur prope utrumque polum quantacunque ſegmenta; & ex centro circuli C R D A ad puncta interſectionum ejus atque circulorum horariorum ducantur rectæ; erunt hæ lineæ horariæ horologii æquinoctialis ſuperioris. Eodem modo inveniuntur lineæ horariæ inferioris. Inſcribatur circulo C R D A quadratum cognomen & juxta ejus latera reſecentur undiquaque ſegmenta ſphæræ; ita prodit parallelepipedum, in cujus ſuperficie lineæ horariæ deſignantur, ſi puncta horaria C, T, R, S, P, A, &c. in quadrato ſuperiore connectantur cum reſpondentibus M, F, X, V, E, I, &c. in inferiore. Quoniam omnia plana, in quibus horologia ſolaria deſcribuntur, hoc parallelepipedum ſecare debent; ejus ope lineæ horariæ in quovis plano deteguntur. *Cap. 11* oſtendit Autor, quomodo in plano quovis ope Tabularum, quas eum in finem computavit, lineæ horariæ inveniantur, modo elevatio poli non ſit minor 30, nec major 60 gradibus. *Cap. 12* de ſignis Eclipticæ, longitudine dierum ac noctium, ortu & occaſu Solis, &c. horologio inſcribendis, agit, cumque lineæ, per quas id præſtatur, ſint ſectiones Conicæ, non modo has lineas, quantum ſcopo ſufficit, declarat, ſed & ope quarundam tabularum eas in plano delineare docet. Subjungit *Cap. 13* horologiorum ſolarium in variis corporum ſuperficiebus deſcriptionem. *Cap. 14* de uſu eorundem tractat, in motu præſertim horologiorum reliquorum temperando, & tandem *Cap. 15* duodecim horologia univerſalia cum quibusdam inſtrumentis Gnomonicis deſcribit. Utraque æri ita incidi curavit, ut figuræ ligno agglutinatæ uſui eſſe poſſint, nec opus ſit, ut ea ipſimet deſcribamus.

TAB. I. Fig. 3.

D. GOTT-

Digitized by Google

D. GOTTLOB FRIDERICI SELIGMANNI *Orationes & Programmata varii argumenti, e muſeo* HEINRICI PIPPINGII, D.

Dreſdæ, ſumtibus Godofredi Leſchii, 1712, 8. Alph. 1.

Recenſuimus nuper in Actis Anni ſuperioris Menſe Februario p. 73 Exercitationes B. Seligmanni Academicas. Nunc vero nobis ſeſe ſiſtunt *Orationes* ejusdem, quas habuit, & quæ ſcripſit *Programmata*. Ad iſtas quod attinet, *primam* dixit in obitum celeberrimi JCti Henrici Rudolphi Redekeri, quem ſummis in Athenæo Roſtochienſi pariter ac Meclenburgi Principum aula muneribus perfunctum, tanquam *virum vere bonum* delineatum dedit. Qua in Panegyri tam ſe amabilem omnibus acceptumque præſtitit Orator, ut Phyſices paulo poſt Metaphyſicesque Profeſſor communi applauſu renunciaretur. Quæ excipit hanc, *ſecunda*, pronunciata eſt inaugurali die reſtaurati Roſtochienſis majoris Auditorii: qua Rectoris munere fungens Academicæ concepit felicitatis auguria. *Tertia* eaque poſtrema Lipſiæ Profeſſionem extra ordinem Theologiæ *auſpicatus eſt*. Per multos tum annos motus in Belgio haud parvos excitaverat quæſtio: quodnam primarium illud ultimumque momentum ſit, quo infallibili fide divina Scripturarum origo queat cognoſci? Eaque cum diu ſatis multumque inter Hulſium imprimis Regiumque agitata eſſet; accuratius demum trutinata utriusque ſententia, de falſa Auditores Vir beatus præmonendos, inque vera muniendos duxit. Altera hujus opuſculi pars continet, quæ in *feſtis*, *munerum auſpiciis*, *funeribusque* ab eo conſcripta ſunt *Programmata*. *Feſtivalia* in duas iterum partes abeunt, ſuntque vel *Roſtochienſia*, vel *Lipſienſia*. *Primum* in *illis* evocat ad feſtum Chriſti natalitium; ubi vaticinium extricatur de viro Zemach, Zach. VI, 12, petitumque exin coronæ triplicis duplicisque Pontificum Romanorum gladii fulcimentum enervatur. *Alterum*, quadrageſimali ſacratum tempori, Chriſtum repræſentat virum dolorum, crucifixum & transfoſſum, ex Zach. XI, 10. *Tertium*, quod Pa-

ſchatos feſtivitatem intimat, Chriſtum generis humani Goelem, Goelisque leges & jura exhibet. In *his* autem Lutheri Reformationem *bina* recolunt, quorum *alterum* in originem feſti ac autorem inquirit, ejusque conſtitutionem tuetur ut legitimam: *alterum* vero Pontificiorum in Lutherum convitia deſtruit, eumque cum maximis veteris novique Fœderis luminibus, Moſe puta, Elia, Samuele, Johanne Baptiſta & Johanne Evangeliſta, Pauloque confert. In nativitatis Chriſti feſtivitate de λόγῳ, qui incarnatus Joh. I dicitur, commentatio fit, Platonicaque vocis uſurpatione rejecta, verus ejusdem ſenſus elicitur ac firmatur. Paſchali feſtivitate oraculum Jerem. XI, 10 evolvitur, quo ad Salvatoris ſepulturam applicato, diſſertatio inſtituitur de Chriſti ſepulcro in Palæſtina adhuc monſtrari ſolito. Ac in Pentecoſtis demum ſolemnibus, eruta feſti antiquitate, de Spiritus S. divinitate cultuque a fidelibus ipſi præſtando pluribus agitur. Poſt feſtivalia ordine ſequuntur duo *auſpicatoria:* quorum *altero* auſpicatus eſt Profeſſionem Theologiæ extraordinariam, *altero* ordinariam. In *illo* ſub incudem revocat Clerici libellum de incredulitate. In *hoc* autem convitia, quibus e Pontificiis nonnulli Beatos Confeſſores noſtros, de Eccleſiæ abuſibus in Aug. Confeſſ. conqueſtos, mordent, diluuntur. Ultimum occupant locum *funebria*, quæ annexis identidem vitæ obitusque defunctorum hiſtoriis varia lectu haud indigna inſinuant. In *primo* diſſeritur de Primitiis, quarum legibus ritibusque in Eccleſia Judaica ſolemnibus inculcatis, morem quoque iſtum apud gentiles obtinuiſſe, adſtruitur. *Secundum* cogitata ſuppeditat de væ triſti, quod parturientibus Salvator præſagit. *Tertium* caducam hominum vitam, tanquam perpetuum ſcribendi h. e. ad funera evocandi officium deſcribit. *Quartum* ſolemnioribus trium eadem ex urbe patria oriundorum Juvenum ſtudioſorum vna defunctorum exequias intimat, ſymbolumque illuſtrat, quod Anglicis Balnei Equitibus, inſignis loco tres coronas aureas in orbicello aureo expreſſas gerentibus, tributum, refert: TRIA IN UNUM. Qua ratione de ternarii ſimul numeri perfectione & ſanctitate curioſa quædam inſeruntur. *Quinti* argumentum

eſt,

Digitized by Google

eſt ſenectutis & honos & felicitas. *Sextum* numiſma, quod Palatius in Aquila Saxon. Lib. XIII c. 3 de VITA IN SALTU habet, declarat. In *ſeptimo* novi Fœderis Prophetiſſæ, Hannæ, encomium exaratum, atque in *octavo* tandem Vincentium Friderici, Mecklenburgi Principum ordinumque provincialium Ærario præfectum, victoris pacifici titulo mactatum videas.

JO. FRANCISCI BUDDEI, TH. D. ET P.P. Commentatio de Concordia Religionis Chriſtianæ ſtatusque civilis: accedunt aliæ argumenti civilis Diſſertationes.

Halæ Saxonum, ſumtibus Orphanotrophii, 1712, 8.

Alph. 1 pl. 20½.

QUas Exercitationes Hiſtoricas & Philoſophicas Autor & varia eruditione & fama meritisq; quamplurimis celeberrimus antehac, cum moralem ac civilem Philoſophiam in Academia Fridericiana doceret, publicæ ventilationi expoſuit, earum partem quartam eamque ultimam nunc communicare voluit. Nam tres priores, quas modo Parerga Hiſtorico-Theologica, modo Selecta *juris* naturæ & gentium, modo Analecta hiſtoriæ philoſophicæ appellitare amat, jam ante aliquot annos lucem adſpexiſſe novimus, quarum duæ priores a nobis in Actis A. 1703 p. *318* & A. *1704* p. *533* fuerunt memoratæ, de tertia vero dicemus in Supplementis. Hæc pars complectitur quinq; *μελετήματα*, in quorum primo religionem Chriſtianam ad Rerumpublicarum conſervationem multum conferre, vitiis ex ambitione, avaritia & voluptatis cupiditate fluentibus obviam ire, prærogativa quadam præ religione & gentili & Muhammedana in conſervando ſtatu civili gaudere, oſtendit. Contra Hectorem Gothofredum Maſium, Philippum Jacobum Hartmannum, Petrum Joſephum Aurelianenſem, ac inprimis non una vice contra Machiavellum diſputat, variasque religionis Chriſtianæ ſectas & dogmata & mores imperio civili adverſos continere, ſpeciatim Romanenſes & Anabaptiſtas pernicioſas Reipublicæ opiniones fovere, factisque comprobare, ſed per reformationem B. Lutheri imperanti-

bus

bus autoritatem atque poteſtatem, quæ ipſis debebatur, redditam fuiſſe pronuntiat. In ſecundo de ratione ſtatus circa fœdera, in tertio de eo, quod decet circa ſolennia Principum, ac in quarto de metu comparationis ad C. Cornelii Taciti Annal. lib. I cap. LXXVI multa ediſſerit, & ſingulas ſententias hiſtoricis politicisque rationibus corroborare annititur. In quinto demum quæſtionem, an Alchemiſtæ in Republica tolerandi ſint? expendit, & commemoratis aliquot artis χρυσοποιητικῆς documentis, conſtituto item triplici Alchemiſtarum genere, homines artis revera peritos fovendos & in maximo pretio habendos, impoſtores gravi crimine ſe obſtringentes pro delicti iſtius frequentia aliarumque circumſtantiarum ratione puniendos, & illos demum, qui non malo equidem conſilio animum ad hanc artem adjungunt, ſed peritia ſufficienti deſtituti, bonis ſuis dilapidatis, in extremam tandem paupertatem ſe conjiciunt; acriori cenſura coercendos eſſe judicat. Huic autem Diſſertationum pentadi Præfationem præmittit Autor doctiſſimus, in qua primam diatriben de concordia religionis Chriſtianæ & ſtatus civilis quorundam errorum a nonnullis inſimulatam ulterius defendere conatur. Docuerat nempe, majeſtatis ſive ſummi imperii originem mediate a Deo derivari debere, ſive de prima Rerumpublicarum inſtitutione, ſive de collatione majeſtatis, quæ hodie aut per electionem, aut per ſucceſſionem fit, illud capiamus. Quam ſententiam & ſacris Literis & quotidianæ experientiæ rectæque rationi conſentaneam eſſe, nec libertatem ratione ipſius agentis, nec dominium ratione rerum ſenſu deſtitutarum, nec imperium ratione aliorum hominum in ſtatu conjugali, herili aut civili viventium ullam dubitationem admittere, fuſius probat. Poſt hæc inquirit data occaſione, ſitne fundamentum moralitatis ex lege divina tantum, an vero etiam ex ipſa natura & indole actuum humanorum repetendum? ubi poſterius a gentilibus effictum, ſecuriusque a Scholaſticis receptum eſſe affirmat, & illud tanquam juſtis rationibus minime ſuffultum rejicit, prius autem non tantum ex rationis rectæ placitis, ſed etiam ex teſtimoniis Chriſti, Moſis, Pauli ac Joannis Apoſtoli omni exceptione majoribus robur accipere, propterea-

Digitized by Google

ptereaque præferendum esse docet. Ultimo loco illis, qui Cl. Autorem nostrum in calce memoratæ dissertationis Anabaptistarum similiumve hominum causæ favisse existimarunt, responsurus, tum ad ipsam capitis istius lectionem provocat, tum erroneas Anabaptistarum verboque divino contrarias opiniones nequaquam se probasse, aut etiamnum probare ostendit.

NOUVEAU DICTIONNAIRE DES PASSAGERS Francois-Allemand & Allemand-Francois.

i. e.

NOVUM DICTIONARIUM GALLO-GERMANICUM & Germano-Gallicum, in usum peregrinantium concinnatum a JO. LEONHARDO FRISCH, Regiæ Scient. Academiæ Berol. Socio.

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch & Fil. 1712, 8 maj. Alph. 5.

INter plura, quæ hactenus prodiere, Dictionaria Gallo-Germanica, præcipuam quandam laudem meretur hoc ipsum, quod nec mole sua laborat, nec deficit, sive verborum copiam, eorum etiam quæ artibus & scientiis propriæ sunt, sive sententiarum & phrasium selectum, usumque Grammaticum & etymologias spectes, in quibus explicandis felicissime versatus est doctissimus Autor. Imprimis vero cujusque vocis Gallicæ sensus varios *diligentissime* eruit, ut ad intelligendos scriptores Gallos, seu Oratores, seu Poetas, manu quasi ducat; & præterea in Germanico Indice omnia ad linguæ nostræ puritatem multo studio accommodavit, quo magis peregrinorum commodis inserviret, quod ipso etiam titulo significare voluit. Ceterum nihil nisi eximium exspectari ab Autore nostro potuit, quippe qui ob singularem linguarum notitiam dignus habitus fuit, qui Grammaticas aliosque libros scholasticos, hactenus editis emendatiores, qui scholis Borussicis & Brandeburgicis omnibus inservire posthac queant, adjuvantibus aliis Viris eruditis, concinnaret, quo in labore Cl. Autor imprimis nunc occupatur.

LEONIS ALLATII APES URBANÆ ET JO. IMPERIALIS, Phil. & Medici Vicentini, Museum Historicum, cum Præfatione JO. ALBERTI FABRICII, D. & Prof. Publ.

Hamburgi, apud Christianum Liebezeit, 1711, 8.

Alph. 1 l. 18.

POstquam celeberrimus Fabricius, edita A. 1708 *Isagoge in Notitiam Scriptorum Historiæ Gallicæ*, Duchesnii Bibliothecam Chronologicam Scriptorum ab Originibus Regni Francici ad sua usque tempora, una cum Gryphii & Meibomii similis argumenti libellis, in lucem revocavit, eoque de Gallis Scriptoribus bene meruit, nunc Duumvirorum, qui de Italis potissimum egere, scripta rarissima pari liberalitate nobiscum communicat. Clarissimum imprimis Allatii nomen est, cujus Apes Urbanæ, ab Urbano VIII, qui e Barbarinorum familia oriundus apes in insignibus monstrabat, dictæ, ac Romæ A. 1633 editæ, Viros illustres sistunt, qui A. 1630 & biennio post Romæ adfuerunt ac typis aliquid evulgarunt. De quo libro ita censuit Adrianus Bailletus, quod etsi nihil admodum singulare contineat, commendandus tamen sit vel eo nomine, quoniam ab autore optimo & doctissimo conscriptus sit. Accessit liber æque rarus, nimirum Joannis Imperialis Museum Historicum, antehac cum ejusdem Museo Physico Venetiis 1640 editum, variisque Eruditorum iconibus instructum, quas Noster, ut pretium minueret, omisit. In eo cum Autor Italorum præcipue elogia condat, non omittit tamen & aliarum gentium viros eruditione & fama illustres, quales sunt Jo. Barclajus, Cominæus, Grotius, Dan. Heinsius, Meursius, Naudæus, Sammartanus, Strada, I. G. Vossius, alii. Ceterum Cl. Fabricius nuper admodum Memoriarum Hamburgensium Tomum III edidit, quem æque ac ejus Bibliothecæ Græcæ Libri IV Partem I, A. 1708, & Partem II, A. 1711 editam, hactenus a nobis, nescimus quo fato, prætermissam, proxime, quod speramus, recensebimus.

COMENTARI DI GIO. MARIO CRESCIMBENI intorno alla sua Historia della volgar Poesia.

Digitized by Google

i. e.

COMMENTARII IN HISTORIAM POEſeos vernaculæ IO. MARII CRESCIMBENII, Cuſtodis Arcadiæ.

Vol. II Pars I & II.

Romæ, apud Antonium Roſſi, 1710, 4.

Alph. 3 pl. 19.

QUam in *Actis* noſtris A. 1699 M. Nov. commemoravimus Cl. Creſcimbenii Hiſtoriam Poeſeos Italicæ, eam doctiſſimis Commentariis, quorum Vol. I A. 1702 editum in Actis A. 1704 M. Nov. recenſuimus, nunc porro illuſtrat Cl. Autor. Duabus autem Partibus Volumen II diviſit, quarum prima complectitur Vitas Poëtarum Provincialium, quales delineavit Jo. Noſtradamus lingua Gallica, ex qua nunc in Italicam converſæ leguntur, eo nomine huc referendæ, quod ab illis origo poeſeos Italorum vernaculæ repeti debeat. Sex & ſeptuaginta in univerſum numerantur hujus generis Poetæ, quorum vitæ & in poeſin merita hic, habita ætatis, qua vixerunt, ratione, enarrantur, initio facto a *Godofredo Rudello*, fine autem in *Hugone di Sanceſario*, qui præter alia vitas Poetarum Provincialium compilavit, conſtituto. Singulorum vitis Cl. Interpres notas ſubjecit bene largas & eruditas, quibus aſſertionibus Noſtradami ex aliorum teſtimoniis fidem facit ampliorem, interdum etiam diverſam ab eo ſententiam tuetur, ac imprimis id agit, ut appareat, quinam fuſius de illis commentati ſint, aut, quæ ipſorum monimenta MSS. in bibliothecis exſtent. Sic ſæpe ad partes vocantur Codices Vaticani n. 3204, 3205 & ſeqq. ut ceteros taceamus, qui fragmentorum vel integrorum opuſculorum copiam faciunt. Sequuntur Acceſſiones ad Hiſtoriam Poetarum Provincialium, quorum notitia non facta eſt Noſtradamo, ad Cl. Creſcimbenium autem ex Codd. Vaticanis pervenit. Illa recenſio ſecundum literarum ſeriem, & majori quidem copia, quam quæ in Noſtradamo exſtat, inſtituitur. Hanc excipiunt fragmenta verſuum quorundam hujus generis Poetarum, ubi alterum p. 185 220. p. 223.

rum latus Provinciale, alterum Italicum dicendi genus repræsentat. Poetæ sunt Arnaldus Maraviglia, Giraldus Bornellus, Arnaldus Daniellus, Anshelmus Faidit Blancaſſettus, Fatius ex Ubertis, Dantes Aligerius, Falquetus Marſiglia. Hæc fragmenta Cl. Editor accepta refert Cl. Ant. Mariæ Salvinio, Prof. Gr. L. Florentiæ, qui ea ex MSS. protraxit, & in Italicum ſermonem convertit. Pars altera hujus Voluminis illuſtrat potiſſimum librum II Hiſtoriæ Poeſeos Italicæ, quo inde ab ultimis originibus ſeries Poetarum Italorum ad noſtra usque tempora eſt producta. Abit hæc Pars in Libros ſeptem, quorum primus Poetas ſeculi XIII, ſecundus ſeculi XIV, tertius ſeculi XV, quartus ſeculi XVI, quintus ſeculi XVII eodem ordine recenſet, quo in Libro II Hiſtoriæ Poeſeos commemorati fuerunt. Hoc tamen diſcrimen ubique obſervatur, quod cum in priori loco ſtrictim de ſingulis fuerit expoſitum, hic longe majori induſtriæ contentione & ampliori doctrinæ apparatu ea in medium afferantur, quæ ad vitam & merita ſingulorum literaria, ſpeciatimque, quæ in poeſin exſtant, cognoſcenda ſpectant. Propterea aliorum quoque judicia diligentiſſimus Creſcimbenius non omittit, quæ nunc diſertis verbis afferuntur, nunc in compendium miſſa, allegatis ipſorum ſcriptorum commentationibus, producuntur. Paſſim etiam deprehendas, hallucinationes aliorum in hac hiſtoriæ literariæ parte modeſte commonſtrari, & idoneis argumentis e medio tolli. In ſingulis his libris ſingulæ Poetarum Centuriæ comparent. Sic & Lib. VI exſtat Centuria Poetarum adhuc ſuperſtitum, & quidem eorum, qui in Illuſtrem Arcadum Societatem ſunt cooptati. His recenſendis ita defungitur Cl. Autor, ut præter nomina, ex ſocietatis legibus aſſumta, breviter poemata, quæ ab illis profecta vel ſeorſim, vel in collectionibus exſtant, commemoret. Denique Libro VII eoq; extremo leguntur emendationes quædam & annotationes ad Librum II Hiſtoriæ Poeſeos partim corrigendum partim perficiendum facientes. Multa quidem, nec contemnenda, erant, quæ ex egregio opere ſeligi & huc transferri poterant; ſed copia eorum tanta eſt, ut cœna fere dubia naſcatur, adeoque magis conſultum videatur nihil, quam pauca de illis dicere.

NO-

NOVA LITERARIA.

E Diarii Veneti Tomo V, anno superiori edito, & prolixa ipsius summi Pontificis Clementis XI commendatione & privilegio aucto, præcipua breviter excerpta, pro more nostro, cum B. Lectore communicabimus. Bononiæ Illustrissimus Ludovicus Ferdinandus Comes Marsigli Epistolas duas pereruditas prelo subjecit, quarum altera: *Estratto del Saggio Fisico spettante alla Storia del Mare*, altera: *Osservazioni naturali intorno alla grana detta Kermes*, inscribitur. Ibidem Eustachius Manfredus Amici quondam sui *Victorii Francisci Stancarii Schedas Mathematicas* prelo subjicere constituit. Florentiæ imprimitur Virginii Valsecchi *de M. Aurelii Antonini Elagabali Trib. Potestate I* Dissertatio Historico-Chronologica, in qua rei antiquariæ & nummariæ scientiam Autor prodit haud vulgarem. Lucæ Poetæ Itali florentissimi Ludovici Adimari, Florentiæ die 23 Jun. 1708 defuncti, Poemata Sacra & Moralia, antea Flor. 1696 in fol. vulgata, recuduntur. Prodiit vero *Dissertationum Legalium, circa materias utriusque Juris in foro ad normam recentissimarum S. Rotæ Romanæ Decisionum judicatas, Marci Antonii Paulucci ex gente Calbula, J. C. & Patricii Foroliviensis*, Liber secundus. Neapoli rudera nuper effossa sunt varia, quæ ad Templum spectare putant veteris oppidi, quod Herculaneum dictum est. In his inter alia inscriptio exstat hæc: APPIVS PVLCHER. C.F. COS. IMP. VIIVIR. EPVLONVM. Patavii Camillus Sylvester Satyras Juvenalis & Persii, Etrusco carmine translatas, notisque & Dissertationibus elegantissimis, quibus antiquitates variæ explicantur, adornatas, prelo subjecit. Parmæ Josephus Maria de Turre *Institutiones ad Verbi Dei scripti intelligentiam* vulgavit, quatuor tractatibus absolutas, quorum I de existentia Scripturæ S. ejusque Autore, de canone item & libris canonicis atque apocryphis, II de textu Hebraico & Græco ejusque variis editionibus ac versionibus, III de difficultate Scripturæ S. ejusque sensu literali, mystico & figurato, deque Interprete Scripturæ, ubi de autoritate Ecclesiæ, Pontificis ac conciliorum, ut & de modo interpretandi Scripturam, IV de perfectione

S. Scripturæ, ejusque œconomia, de Antichriſto omnibusque Hæreſiarchis & de Cabbala agitur. Regii vir doctiſſimus, Johannes Guaſcus, Academiæ *Mutorum*, quæ ibi floret, Hiſtoriographus, de ejusdem Academiæ initiis, progreſſu & inſtauratione opus elegans ad methodum Verulamii edere parat. Romæ Alexander Guidi, cujus Carmina vernacula in Actis A. 1706 M. Febr. p. 68 commendavimus, ſex Homilias ſummi Pontificis Clementis XI Etruſco carmine expoſitas prelo ſubjiciet. Ibidem auſpiciis Eminentiſſimi Cardinalis Imperialis prelo prope abſolutæ ſunt Caroli Delfini *Tabulæ Chronologicæ* quatuor, quæ Chronologiam accuratiſſimam rerum ab Orbe condito ad natum Chriſtum complectuntur, quas deinde excipient quinque aliæ, in quibus reliqua a C. N. ad noſtra tempora juſta ſerie diſponentur. Joſephus Juvencius, qui poſt Nicolaum Orlandinum, primum Soc. Jeſu Hiſtoricum, Franciſcum item Sacchinium, Vincentium Guinigi, Petrum Poſſinum, Danielem Bartoli (qui ſolus de Societate, nec pauca, Italice ſcripſit) Honoratum Fabri & Joſephum Reuſſium, qui ordine ſibi ſucceſſere in eo munere, nuper a Superioribus Hiſtoricus ejus Societatis electus eſt, librum edidit, ſub titulo: *Hiſtoriæ Societatis Jeſu Pars V Tomus poſterior, ab A. 1591 ad A. 1616, autore* Joſepho Juvencio, *Soc. ejusdem Sacerdote. Romæ, ex typographia Georgii Placchi, 1710*, in fol. Verum is liber publice haud proſtat, & Societatis uſui unice videtur conſecratus. Andreas Adami, Magiſter Capellæ Pontificiæ, ibidem opus vulgavit haud inelegans, ſub tit. *Oſſervazioni per ben regolare il Coro de i Cantori della Capella Pontificia, tanto nelle funzioni ordinarie, che ſtraordinarie*, Romæ, 1711, 4, cum figuris. Senis A. 1710 prodiit opus poſthumum Germanici Ptolemæi, Patritii Senenſis, ſub tit. *Vita B. Bernardi Ptolemai, Congregationis Olivetanæ Fundatoris*, in 4. Venetiis Bernardus Treviſanus, qui A. 1704 primum Meditationum Philoſophicarum Tomum, in Actis A. 1706 M. Jun. p. 249 recenſitum, edidit, in eo nunc eſt ut prelo ſubjiciat *Nuovo Siſtema Filoſofico*, quem librum ceu prodromum Tomi ſecundi Meditationum emittere decrevit. Illic & Annalium Eccleſiaſticorum Baronii, quorum jam octo Tomi prodiere, nova editio

Digitized by Google

tio a Bibliopola Laurentio Baſegio urgetur. Ceterum ex eodem Diarii Veneti Tomo V p. 354 diſcimus, Vincentium Pasqualigum, Prof. Publ. Philoſophiæ Venetiis, celebrem Ariſtotelicum, qui edito A. 1671 libro: *La Galleria di Ritratti Morali*, & A. 1678 *Prælectionibus Genialibus ad Philoſophiam*, inclaruit, ſuperiori anno die 20 Martii, & p. 413, Joannem Baptiſtam Comazzi, Hiſtoriographum Cæſareum, cujus varia ſcripta in Actis noſtris memoravimus, Viennæ eodem anno die 27 Martii deceſſiſſe, relictis *Virorum ac fœminarum characteribus*, libro item Italico: *Filoſofia & amore*, aliisque prelo paratis.

LIBRI NOVI.

Andreæ Chryſoſtomi in Zaluskie Zaluski, primo Kijovienſis, poſtea Plocenſis & nunc Varmienſis Epiſcopi, S. Rom. Imp. Principis, Terrarum Pruſſiæ Præſidis & ſupremi Regni Poloniæ Cancellarii, Epiſtolarum Hiſtorico-familiarium Tomus I, a morte Ludovicæ Reginæ & abdicatione Regis Jo. Caſimiri, Regum Michaelis I & Joannis III Acta continens. Tomus I Pars I. Brunsbergæ, 1709; & Pars II ib, 1710, fol.

Ejusdem Epiſtolarum Hiſtorico-familiarium Tomus II, obitum Joannis III, ſciſſionem, pacificationem, motus Lituanicos, tractatus cum Porta Othomannica, & alia Acta usque ad A. 1701 incluſive continens. Ib. 1711, fol.

Ej. Tomus III geſta in Polonia totius Decennii ab A. 1701 continens. Ib. 1711, f.

Philippi Cluverii Introductio in univerſam Geographiam, tam veterem quam novam, Tabulis Geographicis XLVI ac Notis olim ornata a Jo. Bunone, jam vero locupletata Additamentis & Annotationibus Jo. Frid. Hekelii & Jo. Reiskii. Cum privil. Ordin. Holl. & Weſtfr. 1697. Quibus in hac editione accedunt plurima ex ſcriptoribus optimæ Notæ, Cellario præſertim & Luytſio excerpta & in marginem relata; quæ una cum typis æneis inſuper additis, Editionem hanc prioribus, tertia parte ſaltem, auctiorem reddunt. Lond. impenſis Jo. Nicholſon, 1711, 4.

Analyſis per Quantitatum Series, fluxiones ac differentias cum

enu-

enumeratione Linearum tertii ordinis. Lond. ex offic. Pearſoniana, 1711, 4.

The Life and Acts of Matthew Parker, the firſt Archbiſhop of Canterbury in the Reign of Queen Elizabeth. In four Books. By John Strype, M. A. London, for John Wyat, 1711, fol.

The Hiſtory of the Life and Acts of Edmund Grindal, the firſt Biſhop of London and the ſecond Archbiſhop of York and Canterbury ſucceſſively, in the Reign of Q. Eliſabeth. In two Books. By J. S. M. A. London, for John Wyat, 1710, fol.

Antiquitates Rutupinæ, Autore Joanne Battely, S. T. P. Archidiacono Cantuarienſi. Opus poſthumum. Oxonii, e The. Sheld. 1711, 8.

An Account of ſeveral late Voyages and Diſcoveries. London, for D. Brown, 1711, 8.

The Peerage of England: or a Genealogical and Hiſtorical Account of all the flouriſhing Families of this Kingdom. Vol. II Part. II. Lond. for F. Sanger, 1711, 8.

Velleji Paterculi quæ ſuperſunt: cum variis Lectionibus optimarum Editionum, doctorum Virorum conjecturis & caſtigationibus & Indice locupletiſſimo. Accedit Annotationum libellus. Ox. e The. Sheld. 1711, 8.

Hiſtoriæ Sacræ Libri VII, in quibus narrantur res geſtæ veterum Patriarcharum, Judæorum & Chriſtianorum a primo mundi origine usque ad excidium Hieroſolymitanum. Ex Ant. Cocc. Sabellici Enneadibus concinnatum per Guil. Nicholſium. Lond. impenſis Guil. Taylor, 1711, 12.

A Treatiſe of the three evils of the laſt times, 1 the Sword, 2 the Peſtilence, 3 the famine. Lond. printed by M. J. for R. Knaplock, 1711, 8.

Tractatus de imputatione divina Peccati Adami, poſteris ejus univerſis in reatum, Autore Daniele Whitby. Londini, impenſis J. Wyat, 1711, 8.

A demonſtration of the truth and divinity of the Chriſtian Religion by Robert Green. Cambridge, at the Univerſities Preſſ, 1711, 8.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii, Anno MDCC XII.

SCRIPTORUM BRUNSVICENSIA ILLUſtrantium & religionis reformatione priorum Tomus Secundus; cura GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII.

Hanoveræ, ſumtibus Nicolai Fœrſteri, 1710, in fol. Alph. 13 pl. 2.

QVæ in primo egregii hujus pariter atque utiliſſimi Operis Tomo continentur, eorum epitomen in Actis A. 1707 p. 460 dedimus. Jam pergit Illuſtris variaque rerum hiſtoricarum ſcientia Clariſſimus Autor de erudito orbe præclare mereri, dum in ſecundo Tomo non tantum Brunſvicenſia & Luneburgenſia, ſed & res vicinarum regionum, epiſcopatuum, urbium, monaſteriorum, Principum & hominum illuſtrium, nonnulla etiam Gvelfica & Eſtenſia literis mandare, maximam partem ex MStis eruere, interdum augere & emendare prudenti conſilio allaborat. Scripta comprehendit numero LI, ac primo loco *vitam S. Conradi ex Gvelfis orti, Epiſcopi Conſtantienſis*, quam manu Joannis Gamanſii, Societatis Jeſu Presbyteri, ex antiquiore codice deſcriptam, a Conrado Janningio, ejusdem Societatis Theologo, accepit, exhibet, eandemque ab Udalſcalco, Udalrici Epiſcopi Capellano, concinnatam eſſe opinatur. Sequitur *Chronicon vetus Ducum Brunſvicenſium & Luneburgenſium*, cujus Autorem temporibus Eduardi I Regis Angliæ floruiſſe ex ipſo opuſculo evincit, ac primum eum inter extantes Scriptores eſſe obſervat, qui Brunſvigam a Brunone & Tanquardo fratribus, Ludolphi Ducis filiis, fundatam fuiſſe dixit. Qua occaſione in editione, quam Jo. Henricus Maderus olim A. 1661 iterumque A. 1678 adornaverat, errata notabiliora aliquot in locis corrigere neceſ-

ſum ducit. Porro exhibet *fragmentum Genealogiæ Ducum Brunſvicenſium & Luneburgenſium*, in quo errores nonnullos hiſtoricos notat; item *Genealogiam Ducum Brunſvicenſium illorum, qui Eimbeck, Oſterrot*, (Hamelen in titulo addendam cenſet illuſtris Leibnitius) *& Duderſtat cum attinentiis poſſederunt*, Theodorico Engelhuſio Autore evulgatam, collectioni inſerit. Succedunt *narratio Altahenſis de quorundam Ducum Bavariæ Genealogia & incrementis*, adjuvante Neſſelio, Bibliothecæ Cæſareæ quondam Præfecto, ex MSto edita; *Gerardi Maurifii narratio diſſidiorum Marchionis Eſtenſis cum Ecelino de Romano*, ideo potiſſimum ab Autore Conſultiſſimo adjuncta, quia partim ad indolem Ottonis IV penitius noſcendam facit, partim de rebus Marchionum Eſtenſium opinionem nuperi Scriptoris Romani, qui de Pontificio in Comaclum jure in epiſtola quadam egit, refellentibus nonnulla ſuppeditat: *Sententia Arbitralis Johannis Regis Franciæ ſuper controverſia honoris & appellatione ad Duellum, inter Ottonem Ducem in Brunswick & Henricum Ducem Lancaſtriæ*, quam ex Bibliotheca Cottoniana Thomas Smith, Anglicanæ Eccleſiæ Theologus, cum ipſo communicavit. Per Ottonem ibi eum utique qui ex linea Grubenhagia ortus, vulgo Tarentinus dictus vel Neapolitanus, bellis Italicis multum inclaruit, & Reginam Neapolitanam Johannam I duxit, intelligi poſſe ex circumſtantia temporis probat, adjicitque ex Theoderico a Niem & Gobelino Perſona *excerpta de geſtis ejusdem Ottonis*, ac de longinquis peregrinationibus ab hoc Duce ſuſceptis copioſe diſſerit. Poſt hæc comparent *Excerpta Chronologica de Ducibus Brunſvicenſibus, & de reliquiis Eccleſiæ Collegiatæ S. Blaſii*, tum ab Henrico Leone fundatore, tum ab aliis collectis, quæ partim Brunſvigæ, partim Hanoveræ hodierno die viſuntur: *Compilatio Chronologica a temporibus Caroli M. ad annum MCCCCX*, quamvis illa exigui ſit momenti & parvæ in antiquioribus autoritatis: *Chronicon Riddageshuſanum ad annum usque MDVIII continuatum*, non ita dictum, quaſi de monaſterio agat, ſed quod in eo monaſterio compoſitum eſt, cui *duæ continuationes Chronici Engelhuſiani* ſubjiciuntur. Poſtea de Telomonio Ornatomontano, cujus *deſcriptionem belli*

inter

inter Henricos Seniorem & Juniorem civitatemque Brunſvicenſem circa annum MCCCCXCII geſti affert, nonnulla commemorat, ac Rectorem Scholæ Brunſvicenſis eum fuiſſe, Telomoniumque pro Tilemanno appellare ſe conſueviſſe ſuſpicatur. Excerpta etiam depromit *ex necrologio Monaſterii S. Michaelis Hildenſemenſis*, cujus MStum in Bibliotheca Sereniſſimi Electoris Brunſvico-Luneburgici reperitur, e quo commemorationes aliquot Principum, Epiſcoporum & Abbatum huc transfert. Proximo loco *Chronicon Eccleſiæ Halberſtadienſis* proponit, cujus Autorem pleraque ex Chronico Halberſtadienſi Martini Rehbockii, Monachi Corbejenſis, hauſiſſe, Cl. Vir Chriſtianus Franciſcus Paullini olim teſtatus eſt. Ubi porro *hiſtoriam Alberti II Epiſcopi Halberſtadienſis ex Ducibus Brunſvicenſibus* exhibet, in libelli Autorem inquirit, eumq; M. Themonem, memorati Alberti Cancellarium, cum Guilielmo Budæo facit. Rebus Hildeſienſibus annumerari merentur *Catalogus Epiſcoporum Hildeſienſium*, nec non *præcepta Ludovici I & Henrici Sancti de terminis diœceſis Hildeſienſis*, quibus Celeberrimus Autor eruditas ac illuſtrationi inſervientes notas adjecit. Ad Mindenſes vero & Verdenſes pertinent *Hermanni de Lerbeke*, ex ordine Prædicatorum ad ædem S. Pauli in urbe Mindenſi, *Chronicon Epiſcoporum Mindenſium*, quod Cl. Editori cum Apographo manu Maderi ſcripto conferre licuit: *Chronicon Epiſcoporum Verdenſium*, beneficio Generoſiſſimi Alvenslebii, in aula primum Guelpherbytana, nunc Brandenburgica Conſiliarii intimi, ex codice authentico editum: *Vita S. Swiberti Epiſcopi Verdenſis*, item *narratio de ejusdem canoniſatione*, licet utrumque ſcriptum ſit ſuppoſititium, & tum Markelino Presbytero tum Ludgero perperam tribuatur. Nec excerpta ex opere Joannis Rhode, quod inſcribitur *Regiſtrum bonorum & jurium Eccleſiæ Bremenſis*, indigna viſa ſunt, quæ conſervarentur cum *Chronico Saxonum Quedlinburgenſi*, haut pauca continente, quæ alibi fruſtra quæras. Locum quoque in hac collectione occupant *Annales Corbejæ Saxonicæ antiqui*, ſed ſubinde interpolati, & ad annum MCCCCLXXI continuati ab Antonio ex gente Snakenburgiorum, Corbajæ Monacho, & poſtea Hersfeldæ,

G 2 ubi

Digitized by Google

ubi A. 1476 deceſſit. Plura vero ad res Gandeſianas ſpectantia afferuntur, videlicet *Roswitæ* Poetriæ Germanicæ non incelebris, quam cum Angla quadam ejusdem nominis imprudenter nonnulli confundunt, *carmen de primordiis & fundatoribus cœnobii Gandeſienſis: Supplementum ſyntagmatis Gandeſiani* ab Henrico Bodone, Cluſini Monaſterii Ordinis S. Benedicti Monacho, conſcripti & hactenus imperfecte editi: ſelecta *ex ejusdem Chronico Cluſino* excerpta, ac *diplomata Gandershemenſia*, ubi poſt Bodonem ſeries Abbatiſſarum Gandershemenſium & Abbatum Cluſinorum ab Autore noſtro in multorum gratiam abſolvitur. Porro *de fundatione & reſtauratione Monaſterii S. Michaelis in Luneburg* nonnulla commemorantur, a Viro Cl. Pfeffingero, Gymnaſii Luneburgenſis inſpectore, qui notulas ſimul ex diplomatibus adſperſit, ſuppeditata, quibus privilegium indulgentiarum Monaſterio A. 1281 conceſſum ſubjungitur. Repetuntur etiam, quæ Otto Kulzing, Præpoſitus in Hilgenthal Ordinis Præmonſtratenſis, *de fundatione Monaſterii ſui & translatione in urbem Luneburg* olim narravit. *Chronica* deinceps *Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti*, tum *S. Michaelis*, tum *S. Godehardi* in civitate Hildeſienſi, quorum poſterius Autore Jo. Legatio Monacho concinnatum eſt, exhibentur, ac de origine cœnobiorum *Montis S. Mariæ Canoniſſarum Regularium S. Auguſtini prope Helmſtadium*, ac *Fontis S. Mariæ in Diœceſi Magdeburgenſi* ſitæ, notatu digna producuntur, inſerto catalogo Præpoſitorum Mariæbergenſium, quem celeberrimus Vir, Hermannus ab Hardt, hodie Præpoſitus, communicavit. Circa recenſionem *Chronici Monaſterii Marienrode* (antea Backenrode dicti) *Ordinis Ciſtercienſis prope Hildeſiam* obſervatur, quod Henricus de Bernten Abbas hanc ſui monaſterii hiſtoriam conſcribere cœperit, & Franciſcus Borſemius eandem ad annum usque 1579 continuaverit. Poſtea, quid *fundationi cœnobii S. Crucis* (extra muros urbis Brunſvigæ ante portam Petrinam ſiti) *Monialium Ordinis Ciſtercienſis* occaſionem dederit, exponitur, atque *ex Ordinario Eccleſiæ S. Matthæi apud Brunſvicenſes*, quæ a Templariis per Johannitas ad fratres Calendarum ſeu Sancti Spiritus translata fuit, nonnulla excerpta traduntur. Qua occaſione inquirit

quirit

quirit Illuſtris Autor in cauſam denominationis Fraternitatis Calendarum hodie adhuc florentis, ac credibile eſſe opinatur, quod, cum calendæ menſium initio præſertim in parandis conviviis eligerentur, nomen inde iſtis ſocietatibus hæſerit. Ubi *Libros IV de Reformatione Monaſteriorum quorundam Saxoniæ* ex codice MSto Monaſterii Hamerslebienſis, vel plenius ex duobus aliis a Sebaſtiano Kortholto, Profeſſore Kilonienſi, & Zeppenfeldio, cœnobii Sultenſis Præpoſito, publicæ luci donat, vitam Autoris, Joannis Buſchii, Ordinis Canonicorum Regularium *S. Auguſtini*, *Præpoſiti* in Sulta prope Hildeſiam & in novo opere prope Halam Saxonum, copioſe enarrat, ac inter ſcripta ejus librum de origine Congregationis Windeſemenſis, ejusque Viris illuſtribus, ab Heriberto Rosweido evulgatum, commemorans, teſtimonia Buſchii & Rosvveidi in gratiam illorum, qui celebratiſſimum opus de imitatione Chriſti Thomæ a Kempis adſcribunt, notat & uberius illuſtrat. *Narrationem* quoque *de Baſilica Goslarienſi ejusque Præpoſitis*, a Monacho quodam Hamerslebienſi relictam, communicat, & *Joannis de Polda*, Canonici Senioris Eccleſiæ Collegiatæ Hamelenſis, *Chronica modo dictæ Eccleſiæ*, ab Henrico Meibomio Juniore corruptiſſime antehac edita, auctiora reddit ac emendatiora. Porro *hiſtorias memorabiles Cæſarii Heiſterbacenſis*, Monacho Ordinis Ciſtercienſis, poſtea Priore, ſcriptas, excerpit, ac *diſputationem carmine conſcriptam inter Romam & Papam de Ottonis IV deſtitutione* ex Bibliotheca Cottoniana, opera Thomæ Smith celeberrimi Eccleſiæ Anglicanæ Theologi, depromit. Poſt hæc *Chronicon parvum Eccleſiæ S. S. Simonis & Judæ Goslarienſis* in lucem protrahit, ac *Chronica Slavorum* ab Helmoldo, Presbytero Boſovienſi, ad annum 1170 perducta & ab Arnoldo, Monaſterii Ordinis S. Benedicti ad D. Johannis apud Lubecenſes Abbate, ad annum 1209 continuata, nec non *loca in Hermanni Corneri Chronico inedito ex Helmoldo vel Arnoldo citata*, quæ tamen apud eosdem vel plane non, vel aliter leguntur, ex MSto ſuperaddit. De opere autem Helmoldi atque Arnoldi judicat, illud magis Hiſtoriam Henrici Leonis & majorum ejus ac filiorum, quam Chronicon Slavorum dici mereri. Progreditur ad *Otia*

Digitized by Google

Imperialia Gervaſii Tilberienſis, quorum partem ex duobus codicibus MStis, ut in Actis A. 1707 p. 464 monuimus, in lucem emiſit. Poſtquam enim R. P. Longus, ex congregatione Oratorii Pariſina, Otia Gervaſiana a Noſtro edita cum codicibus aliquot in Regia & Colbertina Bibliotheca extantibus contuliſſet, ſupplenda de Aſia Orientali, de parte Aſiæ meridionali, de Septentrionali, de Aſia minore, de Europæ parte ſeptentrionali, de Italia ac ſitu Romæ communicavit, paſſim, ubi opus fuerit, emendata. Hisce enarratis *Chronicon Epiſcoporum Hildeſienſium Abbatumque Monaſterii S. Michaelis* cum ſupplementis, quæ bini catalogi Epiſcoporum a Franciſco Borſemio & Henrico Bodone relicti ſuppeditarunt, adjungit, & *catalogum Præpoſitorum Conventus Canonicorum Regularium in Sulta prope Hildeſiam*, nec non *deſignationem Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Bursfeldenſis per Germaniam, virorum duntaxat*, ex MSto exhibet. Tandem nonnulla de Theodorico Engelhuſio ediſſerit illuſtris Leibnitius, ac ejus *Chronicon res Eccleſiæ & Reipublicæ ab orbe condito ad ipſius usque tempora continens*, quod Cl. Madero debemus, ex tribus Codicibus MStis Hermanni Conringii, Reverendiſſimi Gerardi Molani Abbatis Luccenſis, & Eccleſiæ S. Crucis Hanoveranæ longe auctius reddit ac emendatius. Ceterum de tertio horum Scriptorum Tomo proximo Menſe dicemus.

HOMERI EDITIO BARNESIANA.

POſtquam ſuperiore Menſe Prolegomena Græcorum in hac Editione Homero præmiſſa percurrimus, nunc exequamur quæ ibi promiſimus. Eſt autem nobis conſtitutum, quædam tantum delibare ex prioribus aliquot Iliados libris; non enim defore ſperamus aliquem, qui ſeriam & ſeveriorem in hanc Editionem exerceat criticam, cum tam acres & validos adverſarios habere intelligamus Cl. Editorem. Et ſunt ſane ea fata ſcriptorum Homericorum, ut olim quidem iſtorum occaſione exorta ſit natio Criticorum, qui *ἐκδόσεις* & *διορθώσεις* Homeri fecerunt, quorum princeps Ariſtoteles (*ἀφ' οὗ καί φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν* inquit Dio Chryſ.) deinde

deinde Zenodotus, Aristarchus, alii; nostris autem & patrum nostrorum temporibus ejusmodi fere prodierint Editiones illius Poetæ, quæ indigent illæ quidem omnes rigidiori censura, nescio tamen qua fortuna evaserunt, præter Schrevelianam, de qua Dissertationem edidit Mericus Casaubonus. Ex illis autem paucis, quæ attingemus, apparebit, quanta messis parata sit Criticis hac etiam Editione; licet in ea plus sit præstitum plusque studii & laboris, ut videtur, adhibitum, quam in quavis alia typis impressa.

Non ab re erit prius indicare, quibus adminiculis adjutus Vir Cl. præcipuam laudem suæ Editioni conciliaverit. Ea sunt in primis MSta diligenter, quod ubique apparet, excussa. Ipse de ea re sic in Præfatione ad Iliadem: *Manuscripta autem hæc a me visa & diligenter excussa, Ilias nempe & Odyssea, Codex antiquissimus Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui floruit septima post Christum incarnatum centuria &c. Quod summa cura plus semel a nobis collatum & attentius ventilatum; de quo plura passim in utroque Volumine, ubi his literis notatur MS. CCC. i. e. Manuscriptum Collegii Corporis Christi. Aliud mihi MS. Iliados tantum suppeditavit Docta Humanitas Reverendi admodum Patris JOANNIS MORI Episcopi Eliensis; qui & tertium contulit MS. Joannis Tzetzæ* ἐξήγησιν εἰς τὴν α̅ ῥαψῳδίαν Ἰλιάδος. *Præterea MS. Laudianum, Archiepiscopi nempe & Martyris Laudi, Iliados* α̅ *& ex parte* β̅. *Oxoniæ in Bibliotheca Bodleiana C. 89. Aliud totius Iliados Baroccianum* n. 203 *& tria alia MSS. Baroccιana solam Batrachomyomachiam exhibentia. Quibus MSS. addere licet & alia ab aliis visa & laudata, ut Colbertinum, & Cantabrigiense, passim in hoc Opere memorata, cum Stephanianis nonnullis. Non est ut Editiones, quibus usi sumus, hic memoremus, Florentinam nempe &c.* Horum ope sæpissime Homericum contextum restituit, valere jussa non raro Henrici etiam Stephani auctoritate, quam sua Editione tantam ille consecutus fuit, ut plerique, qui postea Poetam edidere, illius vestigiis tuto se insistere posse crederent.

Non possumus hic silentio præterire, eandem, quam Cl. Editor gratus celebrat Doctam Humanitatem Reverendi admodum

admodum Patris JOANNIS MORI Epiſcopi Elienſis, nos etiam eſſe expertos; cum enim ſuperiore anno Vir eruditiſſimus M. Jo. Frid. Burg, S. Theol. Bacc. Collega noſter honoratiſſimus, dum Londini ageret, indicaſſet Viro Clariſs. Jo. Poſtletwayt, Gymnaſii Paulini Rectori, apud nos hic parari novam Editionem Herodoti: atque is, quæ ejus eſt ſingularis humanitas & erga nos benevolentia, ut aliquid conferret cœpto illi, mox conveniſſet de ea re Reverendiſſimum Epiſcopum; factum eſt, ut impetraverimus quædam, quibus non mediocre decus conciliabitur illi Editioni. Sed non pigebit pauca ſuper ea re ex literis Cl. Poſtletvvayt ad Curatorem illius Editionis humaniſſime ſcriptis apponere: *Quod itaque unum potui*, inquit inter alia, *communem illum Doctorum omnium noſtrorum Patronum optimum, Exterorum Fautorem & Adjutorem benigniſſimum, Reverendisſimum Joannem Morum Epiſcopum Elienſem adii, & cum eo rem communicavi. Is non modo quod certo expectabam, de ea re magnopere gaudere videbatur, ſed ſtatim ex ampliſſima Bibliotheca ſua libris omne genus optimis inſtructiſſima Codices duos Herodoti impreſſos protulit, quorum oris Joſ. Scaliger & Iſ. Caſaubonus olim eorum poſſeſſores Adnotationes non paucas adleverant. Illorum librorum uſum Rev. Præſul ultro obtulit, ipſosque mihi tradidit, ut inde qua fieri id poſſet diligentia, Adnotata illa deſcribenda curarem. Quod ego libentiſſime ſuſcepi*, &c. Tales multi exiſtant Muſarum Patroni, talibus Deus vitam longiſſime proroget, ipſique in primis Reverendiſs. Epiſcopo!

Sed nunc ad inſtitutum ut redeamus, optaremus utique ex animo propter egregios iſtos conatus, ut plene & ſolide gratulari liceret Cl. Editori de ejusmodi Editione Homeri, in qua ſaltem pauciſſima deſiderari poſſent; verum ut multa bene facta hic libenter & læti agnoſcimus, ita non pauca ſecus cecidiſſe deprehendere nobis viſi ſumus, id quod jam oſtendere conabimur. Iliad. α v. 14 ϛέμμα τ' in ſingulari editum i. e. ϛέμμα τε auctore Henr. Steph. pro ϛέμματ' i. e. ϛέμματα in plurali ut omnes habent Editiones ante Stephanianam ipſo Stephano fatente; qui priſtinam Lectionem mutavit, quia non ita multo poſt ſequatur ϛέμμα θεοῖο. Deinde quia copulativam particu-

lam

lam τε ſeries orationis, ut ait, omnino poſtulet. Prior ratio non eſt quidem nulla, ſed non ſufficit ad quidquam hic mutandum; nam etſi utrobique de eadem re eſt ſermo, tamen ſciendum, alterum ex perſona Poetæ vel Muſæ dici, alterum ex perſona Agamemnonis, qui, & quidem iratus, aliter loquens potuit introduci: eadem interim manente vi vocis illius, quemadmodum *velamina* & *ſerta* licet Poetis dicere, ubi ſufficiebat *velamen* & *ſertum* dixiſſe: & multæ ſunt voces in utraque lingua ratione numeri promiſcue uſurpari ſolitæ. Quod autem poſteriore loco de τε ait, quaſi id neceſſarium hic ſit, non ita eſt; nam eſt hic Trajectio: ita autem fluit oratio naturali ordine ἦλθε στέμματα ἔχων, λυσόμενός τε θυγατέρα, φέρων τε &c. Cum igitur ſtare poſſit priſtina lectio, non debuit mutari contra conſenſum Editionum, & quod pluris eſt, contra auctoritatem veteris Scholiaſtæ, apud quem in Editione Romana & Veneta vox integra ita excerpitur ΣΤΕΜΜΑΤΑ & explicatur στεφανώματα. Nec aliter certe legit Dio Chryſ. in Homero verſatiſſimus, Orat. XII, ubi huc alludit: οὐ χρυσοῦν σκῆπτρον φέρων οὐδὲ στέμματα ἱερὰ Θεοῦ τινος ἐπὶ λύσει θυγατρὸς ἥκων εἰς τὸ στρατόπεδον p. 199 A. B. & Orat. LXI: οἰόμεθα τὸν Χρύσην ἀκούσης τῆς θυγατρὸς εἰς τὸ στρατόπεδον ἐλθεῖν μετὰ λύτρων ἅματα στέμματα κομίζοντα τοῦ Θεοῦ. p. 581 D, videatur & p. 586 C. Hæc nos merito movent ut priſtinam lectionem retinendam cenſeamus; non quod Henr. Steph. futurum putabat, ut aliquem moveat hæc interpretatio Ovidii 2 de Arte:

Audierat laurumque manu vittasque ferentem
Pro nata Chryſen non valuiſſe ſua.

Nam ſi vel maxime στέμμα cum Henr. Steph. legiſſet Ovidius, nihilo minus pluraliter *vittas* potuiſſet dicere, ut ſæpiſſime alias occurrit: et melius dixit *vittasque ferentem*, quam ſi ſcripſiſſet *vittamque ferentem*, quod ambiguitatem involvit. Mox v. 20 λύσασθε ſcripſit pro λύσατε. Hoc jam τόλμημα multo minus ferendum quam illud prius; nam hic contra fidem omnium omnino Editt. illata eſt lectio, de qua dubitari poſſet, an hic ſit ſatis conveniens. Ipſi quidem in Notis ea *videtur confirmari* ex v. 13 λυσόμενός τε θύγατρα· ſed non animadvertit, hoc

verbum apud Poetam in *voce Media* de eo ſolere uſurpari qui redimit captivos, in *Activa* autem de eo qui reddit redemtos. *Activæ vocis* exempla: illud v. 20 παῖδα δέ μοι λύσατε, & mox v. 29 τὴν δ' ἐγὼ ὐ λύσω & Il. ω v. 137, ubi Hectoris cadaver redimitur; Ἀλλ' ἄγε δὴ λῦσον, νεκροῖο δὲ δέξαι ἄποινα, deinde v. 561 -- νοέω δὲ καὶ αὐτὸς Ἕκτορά τοι λῦσαι. *Mediæ vocis* iſtud v. 13 & 372 λυσόμενός τε θύγατρα. Il. ω 502 Ἕκτορα· τοῦ νῦν εἵνεχ' ἱκάνω -- Λυσόμενος παρὰ σεῖο, & ibid. v. 175 λύσασθαί σ' ἐκέλευσεν Ὀλύμπιος Ἕκτορα δῖον. Tam enormis autem mutatio facta eſt, ut verſus conſtaret: at quanto rectius factum fuiſſet, ſi Vir Cl. illud quidem λύσασθε miſſum feciſſet; alteram autem conjecturam ſuam, quam in Notis affert, dum poſſe & λύσαιτε legi dicit, illi prætuliſſet; nam hæc utique egregia eſt: non minus ac lectio illa quam nos in Scholiis MSS. Manuelis Moſchopuli invenimus, ita enim ad hunc locum ibi: λύσοιτε, ἀντὶ τοῦ λύσατε· τὸ δὲ εὐκτικὸν ἀντὶ προστακτικοῦ· & optime convenit *optativus* λύσαιτε ſive λύσοιτε cum antecedente *optativo* δοῖεν· Totum autem locum ita diſtinguendum & legendum putamus

Ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
Ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ οἴκαδ' ἱκέσθαι·
Παῖδα δ' ἐμοὶ λύσαιτε φίλην·

ut poſt punctum τὰ δ' ἄποινα δέχεσθε inferatur, ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς, ut loquuntur Grammatici. Scripſimus etiam hic παῖδα δ' ἐμοὶ pro παῖδα δέ μοι ex mente Apollonii Alexandrini, quia ἐμοὶ eſt emphaticum, & refertur ad ὑμῖν, nec aliter Cod. MS. Homeri Paulinæ noſtræ Bibliothecæ. Videtur autem nihil penſi habuiſſe Vir Cl. ſi vel audacior videatur, dum reponat in contextum quod ei libitum foret; hinc Il. α v. 342 ſcripſit Τοῖς ἄλλοις· ἦ γὰρ ὅ γ' ὀλῳῇσι φρεσὶ θύει. nempe pro vulgato ὀλοῇσι fecit ὀλῳῇσι non dubitans imitari τοὺς τολμήσαντας γράψαι ab Euſtathio caſtigatos, ita enim ille: τινὲς μέν τοι ἐτόλμησαν γράψαι ὀλῳῇσι φρεσὶ, ſic autem ibi legendum eſſe vidit Vir Cl. cum interea potuerit etiam ὀλοιῇσι ſcripſiſſe Euſtathius. Cauſa eſt hic etiam quamobrem vocem illam refinxerit *ratio metri*; cum ſatius eſſet λαγαρότητα in hoc verſu agnoſcere, quod

quod Euſtathius facit: multos ſane verſus Grammatici faſſi ſunt apud Homerum ejusmodi eſſe, qui *tempore* ſyllabarum deficerent, quod in medio ſi fieret verſus dicebantur λαγαροὶ & σφηκώδεις. Il. β v. 35 editum ἀπεβήσετο, quod quamvis habeant aliæ etiam Edd. ut Aldinæ duæ, Henr. Stephani, Cantabrigienſium, & Romana cum Commentariis Euſtathii; vitioſum tamen eſt, & pro eo ſcribendum ἀπεβήσατο, ut recte hoc loco Editio princeps Florentina, nec non Cephalæi, & Scholiorum Editiones, princeps Romana, atque Aldina, denique Commentariorum Euſtathii Baſileenſis. Dum ſubinde inſpicimus has Edd. animadvertimus Var. Lectiones in hac Editione non ſatis diligenter annotari, nam & hic ne γρὺ quidem, & alibi ſæpe tantundum. Nunc porro Il. δ. v. 202 λαῶν οἵ οἱ ἕπον Τρίκκης ἐξ· pro λαῶν οἵ οἱ ἕποντο Τρίκης ἐξ· quod omnes habent Edd. Male autem in Τρίκκης hic duplicavit κ, ſed peſſime poſuit ἕπον ut *ſecuti ſunt* ſignificet, pro ἕποντο· ſemper Græcis ἕπεσθαι *ſequi*, non ἕπειν. Fallitur etiam vehementer dum hanc ſuam ſcriptionem defendit ex Il. λ v. 483 Τρῶες ἕπον πολλοί· nam ibi ἕπον divulſum eſt ab ἀμφὶ, ut ſit ἀμφεῖπον, ut recte Euſtathius, i. e. περιεῖπον, ut Minora Scholia exponunt: ἀμφέπειν autem & περιέπειν longe aliud ſignificant quam ἕπεσθαι, reſpondent illis Latina verba *excipere*, *tractare*, & *habere*, præcipue in paſſiva voce iſtud poſtremum, in bonam & ſequiorem partem εὖ περιέπειν, κακῶς περιέπειν· nec eſt ut putet, in præſenti etiam loco ἕπον referri debere ad ἀμφὶ, quod hic itidem eſt in verſu antecedente; nam hic ad ἀμφὶ, adſciſcendum ἀπὸ κοινοῦ eſt εἱστήκεσαν, ut ſit -- τὸν δ' ἐνόησεν Ἑστaότ'· ἀμφὶ δέ μιν κρατεραὶ ςίχες (εἱστήκεσαν) ἀσπιστάων λαῶν, οἵ οἱ ἕποντο Τρίκης ἐξ. Poteſt etiam tantum ſubaudiri ἦσαν. Il. ζ v. 488 πεφευγμένον pro πεφυγμένον· ubi Notula hæc: *Ita* κατ' ὀρθογραφίαν *ſcribendum* &c. & *ita* τευκτὸς & φευκτὸς *ſcribendum* &c. Sine dubio ergo & compoſita ἄφυκτος, ἄτυκτος, εὔτυκτος apud omnes Autores apud quos occurrunt, & in omnibus eorum Edd. & quotiescunque occurrunt, vitioſe erunt ſcripta ſecundum illud κανόνισμα, ut & ſimplicia illa; nimis hoc improvide Vir Cl. retineamus ergo priſtinam Lectionem Homeri πεφυγμένον, & alibi

bi φυκτὰ, uti & τετυγμένα & τυκτόν. &c. Il. θ v. 21 Ἀλλ' οὐκ ἂν μ' ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε Ζῆν' ὕπατον. Hic addidit *Pronomen μὲ*, non propter verſum, ut quis forte putaret, cum præcedens ἂν, alias plerumque breve, hic debeat eſſe longum; ſed, quamvis poſſit produci ἂν, tamen addidit μὲ, *quia videtur hic inſeri debere*, ut ait: *idque adeo evidens eſſe, ut non amplius ſit dubitandum.* Nos abeſſe potius id debere putamus. Il. θ v. 468 ὀδυσσαμένοιο θεοῖο. Hic cum vera Lectio ſe obtuliſſet, eam diſcernere Vir Cl. a falſa non valuit. Sic enim in Var. Lect. θεοῖο] γρ. τεοῖο MSS. CCC. *Mori & Barocc. Oxon. Edd. Florentina, Baſil. Euſtathii.* Quibus nos addimus, τεοῖο legi etiam in Cephalæi Ed. Argentorat. & in Romana Euſtathii, ipſe enim Baſileenſem ſolet allegare. Hanc lecteonem deſeruit, nec cauſam ejus rei ediſſeruit: oblitus etiam, quid in eodem iſto libro ipſe ediderit, nempe idem iſtud hemiſtichium & in eadem σχέσει orationis v. 37 ὀδυσσαμένοιο τεοῖο recte, ut hic habent Editiones etiam illæ quæ v. 468 male θεοῖο legunt. Neceſſe eſt ut agnoſcat, ſe in alterutro iſtorum locorum falli, debet autem id fateri in poſteriore. Exponunt vero Scholia minora & Euſtathius ὀδυσσαμένοιο τεοῖο, Ὀργισθέντος σοῦ & Heſychius: τεοῖο, σοῦ quibus oportebat auſcultatum. Hæc hactenus.

Summatim notamus, ob metrum plurima hic aliter legi quam in aliis Editt. Hinc ſæpiſſime in *Futuris & Aoriſtis* primis Act. & Med. vocis geminatur σ, cum id rarius fiat in aliis. Il. γ v. 223 ἐρίσσειε. Il. δ v. 498 ἀκοντίσσαντος. Il. η v. 255 ἐκσπασσαμένω & v. 449 ἐτειχίσσαντο, & alibi in aliis plurimis. Forte tamen non in omnibus ſic temere id oportuit factum; nam de ἐάσω & ἐᾶσαι, quod frequentiſſime occurrens ſemper geminato σ ſcribit, ubi longa debet eſſe ſyllaba, quaſi alias in eo α ſit breve, de eo dubitari poteſt. Ipſe quidem cum Il. δ v. 42 edidiſſet ἐάσσαι, hæc annotat: *Ita ſemper cum duplici σ ſcribendum quoties metrum poſtulaverit, ut etiam in optimis & antiquis exemplaribus: certiſſimum enim τὸ ἐάσω mediam corripere, vel ex unico hoc loco Odyſſ. Φ. v.* 233: Οὐκ ἐάσουσιν, ἐμοὶ δόμεναι βιὸν ἠδὲ φαρέτρην. Nondum id usquequaq; certum; poteſt ibi eſſe συνίζησις, qualem ipſe omnino debet agnoſcere Il. ε v. 255: Ἀντίον εἶμ' αὐτῶν. τρεῖν μ' οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθήνη

Digitized by Google

Ἀθήνη. ſic enim edidit ἐᾶ cum aliis etiam, Certe apud Autores alios, apud quos rarius geminatur σ ad producendas ſyllabas in *Aoriſtis* & *Futuris*, deprehendimus α longum. Sophocles in Ajace v. 1344 Οὔ φησ' ἐάσειν τόνδε τὸν νεκρὸν ταφῆς. Ariſtophanes in Nub. v. 697 Χαμαί μ' ἔασον αὐτὰ ταῦτ' ἐκ φροντίσαι. Quod autem de *Exemplaribus antiquis & optimis* ait, in illis cum duplici σ occurrere hoc verbum, id non ſemper ita ſe habere videmus; in illo ipſo verſu nulla Editio earum, quæ nobis nunc ſunt ad manus, habet ἐάσσαι omnium antiquiſſima Florentina habet ἐᾶσαι tantum puncto perperam ſubſcripto, ceteræ ἐᾶσαι, Aldinæ duæ, Cephalæi, Euſtathii Romana & Baſileenſis, Henr. Stephani, Oxonienſium: nec aliter in Scholiis Min. in quorum primis illis Edd. Romana & Aldina, hæc ex verſu illo ita excerpuntur ΑΛΛΑΜΕΑΣΑΙ in aliis etiam locis rariſſime geminatur, ut potius geminatum vitioſum ſit ducendum. Eadem de cauſa duplicavit etiam λ Il. ι v. 570, ubi etiam σ duplex: Τὸν δ' ἐλλίσσοντο γέροντες. ubi Notula hæc: *Ita hic σ duplicandum cenſeo; ut & olim, in aliis plurimis locis, ut* ε v. 83 ἔλλαβε. χ v. 414 ἐλλιτάνευσε. *Odyſs.* λ v. 35 ἐλλισάμην. & κ v. 481 ἐλλιτάνευσα &c. Eſt autem hic error in ſcribendo commiſſus; cum enim de *duplici* σ cœperit loqui, ejusque rei exempla ſe allaturum promiſerit, affert exempla tantum de λ: forte pro *ut & olim* voluit ſcribere *ut &* τὸ λ. Ceterum nec hic plane neceſſe erat geminari λ, maxime ſi pro vulgato τὸν δ' ἐλίσσοντο legas τὸν δὲ λίσσοντο, quam lectionem ipſe annotavit; ſcit Vir Cl. omnium optime δὲ ibi poſſe pro longa poni. Eadem de cauſa *vocales* quoque mutavit, Il. α v. 489. Διογενὴς Πηλῆος υἱός. hic Πηλῆος pro vulgato Πηλέος, vel Πηλέως, quod in MSS. inveniſſe ſe teſtatur, quæ utraque lectio cum ferri poſſit, ipſo fatente, ſi per συνίζησιν coaleſcant duæ ſyllabæ, ut ſæpiſſime fieri ſolet in ſimilibus; tamen quia tutius legi Πηλῆος poſſe putat, id, quod in nulla Editione, nec in MSS. invenerat, in contextum recepit. Hic quidem declinavit συνίζησιν alibi autem libenter admiſit, ut Il. β v. 811, dum πόλεως pro πόληος reſcribit, Ἔστι δέ τις προπάροιθε πόλεως αἰπεῖα κολώνη, non male; ut & Il. δ. v. 117, ubi recte μελαινέων pro μελαινάων poſuit Ἀβλῆτα πτερόεντα

ῥόεντα μελανέων ἐρμ᾽ ὀδυνάων, ubi inter alia: *ω autem per συνίζησιν legitur μονοσυλλάβως, quod de ω vix æque dici poteſt.* Ob metrum etiam vocem δυρικλυτὸς, ſæpe apud Homerum modo longa modo brevi penultima occurrentem, ipſe quoties longa eſſe debet, per ει ſcribit, Il. ε v. 55: Ἀλλά μιν Ἀτρείδης δυρικλειτὸς Μενέλαος, ubi, *Ita*, inquit, *pro δυρικλυτὸς lege hic & ſemper alias, ubi metrum poſtulat* &c. Plura hujus generis obſervavimus, quæ partim probamus, partim improbamus, partim in dubium vocare poſſe videmur; ſed ea nunc omittemus.

Unam adhuc addemus obſervationem, nimirum ſæpiſſime in hac Editione ponitur *Articulus* compoſitus ὅδε in ſuis generibus & caſibus & numeris: ubi debebat ſimplex *Articulus* ὁ cum *Conjunctione* δὲ poni, quoties nempe iſte pro Demonſtrativo Pronomine ἔτος poetice uſurpatur, per quod ſæpisſime a Scholiaſta exponitur. Nimirum ſcribitur hic τῦδε, τῆσδε, τῷδε, τόνδε, τοῖνδε, τοῖσδε &c. pro τῦ δὲ, τῷ δὲ, τὸν δὲ &c. Hoc exemplis hic oſtendi minus commode poteſt, nam ex plurium verſuum contextu demum dignoſcitur, ubi hoc vel illo modo legendum. Sed aliud etiam circa hanc ſyllabam δὲ commiſſum invenimus, dum ea annectitur vocibus, quibus minime debebat annecti, nec unquam ſolet, ut in Scholiis ad Il. α v. 58 ἐν αὐτοῖσδε, pro ἐν αὐτοῖς δὲ, & in contextu Il. γ v. 200 Οὗτόσδ᾽ αὖ & v. 229 Οὗτοσδ᾽ Αἴας, pro Οὗτος δ᾽ αὖ & Οὗτος δ᾽ Αἴας. Nemo hic objiciat Scholion ad priorem illum locum v. 200: καὶ ἔτόσδε λέγεται καθάπερ τοιόσδε non extat hoc in Edd. quæ præcedunt Hakianam; ſed eſt additamentum Schrevelii falſisſimum, a Noſtro etiam retentum, ut multa alia, de qua re in poſterum plura.

JOSEPHI RAPHSON DEMONSTRATIO de Deo, cui accedunt Epiſtolæ quædam Miſcellaneæ.

Lipſiæ, ſumptibus Jo. Frid. Gleditſch & Fil. 1712, 8.

CUm de ipſo opere dictum jam fuerit M. Januario, nunc Epiſtolas additas perluſtremus. Epiſtola prima de Anima agens exhibet & cum Lucretii dogmatibus confert ſententiam

Co-

Cowardi, qui nuper contra animæ immaterialitatem & immortalitatem naturalem in Anglia disputavit, cui etiam ex parte assensus est Dodwellus. Et Autor noster ei in eo assentitur, quod *Animæ naturam inextensam* nuncupavit *imposturam philosophicam*. Nam ipse Noster contendit, etiam Deum & Animam extensionem habere.

Secunda deinde Epistola sententiam Hobbii exhibet, qui sensionem in quadam organorum reactione collocavit; & ex verbis Hypothesis Physicæ Novæ Moguntiæ editæ & Londini recusæ 1671 male intellectis, miratur, Autorem ejus, Virum acutissimum (ut ait) in eundem errorem incidisse. Sed Autor celeberrimus in libello illo etsi juvenili, multo tamen cum applausu tunc excepto, longe alia quam doctissimus Autor noster putat, animo volvisse videtur; & quantum ex aliis ejus scriptis & tunc & post editis constat, nunquam illi in mentem venit, materiam per se perceptionem habere vel sensum; sed perceptionem esse subjectum substantiæ toto genere diversæ, nempe animæ. Equidem Autor noster hæc illius libelli verba producit: *Nullus conatus sine motu durat ultra momentum præterquam in mentibus. Omne enim corpus est mens momentanea, seu carens recordatione, quia conatum simul suum & alium contrarium, (duobus enim actione & reactione, seu comparatione, ac proinde harmonia, ad sensum, &, sine quibus sensus nullus est, voluptatem vel dolorem opus est) non retinet ultra momentum. Ergo caret memoria, caret sensu actionum passionumque suarum, caret cogitatione.* Satis apparet, Autorem Hypotheseos, cum dicit, corpus esse mentem momentaneam, indicare voluisse, corpus non esse veram mentem, sed tamen esse aliquid menti analogum, et profunde admodum rimatus est hanc analogiam; nempe in natura conatus, qui in corpore non potest subsistere, nisi reapse motum habeat, qui conatum illum involvit, nec in corpore possunt diversorum momentorum conatus conjungi inter se; quod secus est in mente, quæ ideo etiam recordationem habet, qua corpus caret. Hinc si corpus moveatur in curva, in ultimo momento non habet conatum continuandi motum in curva, (nisi novus impulsus externus ad eam determinans

nans accedat) ſed tantum in recta curvam in puncto noviſſimo tangente; ſeu in ultimi momenti directione curvam tangente. Si vero poſſet per ſe motum continuare in curva, haberet quodammodo memoriam non momentaneam tantum ſeu noviſſimi conatus, ſed etiam conatuum priorum, naturam curvæ definientium; et ita accederet ad perfectionem mentis. Hinc quando dixit, corpus eſſe quaſi mentem momentaneam, voluit oſtendere Corporis & Mentis analogiam in natura conatus apparere, etſi agnoſcat, res eſſe toto genere differentes. Uti ſiquis diceret, punctum eſſe corpus infinite parvum ſeu indiviſibile, aut ſi quis diceret creaturam intelligentem eſſe quaſi Deum quendam finitum ſeu diminutum vel imperfectum. Itaque fruſtra quærit Autor noſter, quid Autor Hypotheſeos ſibi velit per Mentem cogitatione carentem, quam ille proprie nullam novit, aut dixit. Et fruſtra objicitur ei exemplum gravitatis tanquam conatus continui ſine motu; quia gravitas ſecundum Autorem Hypotheſeos oritur non a priore conatu, quaſi is, effectu licet nullo impreſſionis ſecuto, manere poſſet; neque etiam a neſcia qua qualitate occulta, ſed a novo ſemper impulſu externo, motuque actuali, etſi is ſit per ſpatium inſenſibile. Itaque Autor Hypotheſeos illius novæ libenter ſubſcribet (ut ex ſcriptis ejus apparet) doctrinæ huic Autoris noſtri, quam hic his verbis exprimit p. 102: *Materia per ſe aut quovis modo modificata vel quovis motu (ſive rectilineo ſive ut alicubi vult D. Cowardus, circulatorio) donata, unquam cogitationis capax eſſe poteſt.*

Cl. Autor deinde Ep. 3 eos improbat, qui ſtatuunt intellectum quendam agentem omnibus communem, & in hanc rem citat R. Burthogg in Ep. ad Lockium. Putat autem, Spinoſam ex Carteſianiſmo prolapſum in tales ſententias, & idem accidere aliis Carteſianis, qui cum ſibi finxiſſent mentem tanquam *ſubſtantiam inextenſam*, tandem deprehenſa ſubſtantiæ inextenſæ impoſſibilitate delabantur in Atheiſmum vel hylotheiſmum, ut mentem plane rejiciant, aut pro nuda materiæ modificatione habeant. Conceptus Scholaſticorum & Carteſianorum, de Mentis inextenſione, vocat tricas & nugationes nugaciſſimas (p. 107) ipſe autem confugit ad mirabilem quandam ſententiam

Henrici

Digitized by Google

Henrici Mori, quod Anima ſit ſubſtantia quædam extenſa, ſed tamen penetrabilis. Et putat ſimile quid ſtatuiſſe Tertullianum & alios veteres. *Epiſtola quarta* porro urget, & fatetur, ſe quoque olim opinioni de inextenſione naturæ ſpiritualis adhæſiſſe, ſed lectione libri Henrici Mori de immortalitate Animæ, adjutum fuiſſe, ut ab ea liberari potuerit: impugnat deinde celeberrimum Norriſium, Theologum Anglum, Malebranchio adhærentem, & eo usque provehitur, ut p. 118 fin. dicat, Philoſophos illos recentiores cauſas atheiſmi hodierni præcipuas evaſiſſe, & evaſuros eſſe, quamdiu vaniſſima hujusmodi commenta, & nugas Carteſianas orbi obtrudent. Ipſe *Epiſtola quinta* ſtatuit cum Moro, extenſionem eſſe affectionem Enti reciprocam, accedere autem ſubſtantiæ τὸ vivere, mentemque ſemper vivere, etſi non ſemper cogitet. Solum Morum, ait, ſibi videri dixiſſe poſſibilia, etſi non ſatis explicata. Ipſe autem, ut rem paulo diſtinctius explicet, videtur confugere reapſe ad *doctrinam Autoris Hypotheſeos Novæ 1671 editæ*, quam tamen ſupra refutare videbatur, mentisque naturam explicare per *conatum plusquam momentaneum*, quem ſane explicandi Actionem Animæ modum jam tunc celeberrimo Lantino Senatori Divionenſis Curiæ, cum Hypotheſin illam novam vix editam legiſſet, valde placuiſſe, ipſumque hoc in literis ab illo ad Leibnitium ejus Autorem datis teſtatum accepimus. Itaque laudandus eſt candor ingenioſi noſtri Autoris, quod ipſe ſententiam illam *Leibnitianam*, ante tot annos editam, in opere ſuo allegare voluit. Sic autem in eundem fere ſenſum loquitur p. 121 Ed. Lipſienſ. *Suppone a Deo creari ſubſtantiam cujus* vitæ *Energia particularis ſit cogitatio. Actio iſta*, *in qua* cogitatio *conſiſtit*, *per modum actionis* inextenſæ (*ad inſtar fere* conatus *in materia*) *concipi poſſit. Veluti autem conatus in materia* ab extra *ſemper oritur*, *et* ſine motu aut cauſa continua *ſeu agente perpetuo* momentaneus *tantum eſt*, *ſeu ultra momentum non durat: ſic e contrario* conatus hicce ſpiritualis *ſeu actio vitalis* durabilis *eſt & continuationis capax*. Agere enim intra ſeipſum & ſine extenſione, *eſt energia* non modificatoria *ſeu materialis*, *ſed vitalis* reflexionis perpetuæ *quandam ſpeciem exhibendi capax*, *qualem*

intra nos cogitando experimur. Et mox p. 122: *Cogitatio eſt co-* natus *eſſentialiter vitalis & qua talis durabilis intra* inextenſionem, *qui nihilominus motum ſpiritibus animalibus imprimere valeat*, *& hoc modo* extra ſeipſam agere, *eodem momento, quo intra ſe ipſam pariter reflectendo cogitat ..... Mens ergo in iſto* conatu durabili *ſeu actione* (*quem* cogitationem *nominamus*) *adminiculo objecti externi vel etiam modis aliis fere innumeris , intra ſe ipſam ideam ſuam apprehendendo verſat, verſatamque contemplatur, et in contemplatione pergendo, hoc eſt, conatum ſuum continuando, diſcurſum inſtituit durabilem, ſeu ratiocinatur.* Conatus ergo iſte durabilis *eſt actio animæ in cogitando phyſica & fundamentalis, iſta autem apprehenſio eſt actio vitali-formis, ſeu ſpecificativa cogitationis. Haecce actio continua* intra inextenſionem *Mechaniſmo* & *motui corporeo utcunque modificatis prorſus contrariatur, & per motum* (*ſive rectilineum, ſive, ut vult* Cowardus, *circulatorium*) *nullatenus explicari poteſt: multo minus ipſa* perceptionis *natura formalis* qua talis, *quæ ſpeciem quandam intuitionis incorporeæ & comprehenſionis per motus quoscunque phyſicos non ſolum inexplicabilem, ſed & contrariam ſeu inconſiſtentem non obſcure loquitur. Et ex haccce vitæ eſſentiali potentiæ hujus perceptivæ & (ſi ita loquar)* Antimechanicæ *fundamento* individuatio mentis *poſt mortem remanens ſeu ejusdem* immortalitas naturalis *petenda eſt & in eadem fundatur.* Hæc pulchre & profunde Autor noſter, quæ ideo ob rei momentum fuſius exhibere placuit. Ubi notamus, ipſum agnoſcere in actione cogitationis eſſe *inextenſionem* quandam neque opus eſſe extenſione ad naturam cogitationis explicandam. Cur ergo tantopere urget, Animam debere eſſe extenſione præditam? præſertim cum habere videatur de extenſione notionem longe diverſam a conceptu aliorum; quia Deum extenſum eſſe ait, & tamen eſſe totum in quavis parte, ſeu cum *Holenmeriſmo*, quod quidem longiſſime abeſt a conceptu recepto extenſionis.

Scholaſtici quidam, etiam recentiores, putant Angelos extenſionem habere, ſed eſſe penetrabiles, poſſe tamen ſeſe reddere impenetrabiles, quoties volunt impellere corpora & videntur neſcio quid ſimile concipere de anima, nonnihilque ad Henrici

Mori

Mori ſententiam accedere. Sed iſta facilius dici quam explicari poſſunt. Leibnitius cum ſatis quidem jam olim explicuiſſet intrinſecas animæ operationes, diu hæſit, quid de commercio ejus cum corpore ſtatueret. Agnoſcebat quidem, animam quodammodo eſſe πρώτην ἐντελέχειαν ſeu primum principium activum internum quod ſit in corpore; ſed cum leges motus veras eruiſſet, vidiſſetque, talem eſſe naturam rerum, ut neque nova vis neque etiam nova directio corporibus aliunde accedat; jam manifeſte agnovit omnia in corporibus fieri mechanice, ſed *ita ut principia* mechaniſmi ſint ab incorporeo, qui influxus animæ metaphyſicus dici poſſit, unam completam ex anima & corpore ſubſtantiam conſtituens; nec tamen animæ ullum poſſe in corpus influxum eſſe phyſicum, ſeu per quem leges motus turbentur; ſed conſentire operationes animæ & corporis per harmoniam ab initio rerum præſtabilitam, cujus ope ſublatæ ſunt difficultates de commercio animæ & corporis, quæ hactenus Philoſophos exercebant. Ceterum Cl. noſter Autor optime pro natura animæ immateriali & immortali urget, objecta mentis abſtracta, veritates morales & metaphyſicas, ipſamque cognitionem Dei infiniti, cum revera infiniti poſitiva ſit notio; quæ *omnia* in materiam non cadant, rem per ſe mere *inertem tantumque antitypam*, cujus partes unum aliquid formare nequeant, cum tamen perceptio ex unitate percipientis *profluat*. Nihilominus putat Autor p. 126, percipiens extenſione quadam *opus habere, ut imago* rei extenſæ in ea velut pingi poſſit. Sed ita ſi veram vult extenſionem, partium ſcilicet extra partes, in omnes illas difficultates poſtliminio recidet, quæ perceptionem in materia non poni patiuntur: nec apparet, admiſſa unitate ſeu inextenſione in cogitatione, cur opus ſit extenſione ad ſpecificationem cogitationis.

Autor deinde Ep. 6 docet, talem rem, qualis anima eſt, non niſi a Deo annihilante poſſe deſtrui, quia non ſit res mechanica, nec ex corpuſculis conglomerata. Videtur ergo ſtatuere, animam eſſe extenſam, ſed tamen non eſſe diviſibilem in partes diverſas; ſed ita non explicat, quid per extenſionem intelligat. Leibnitius noſter equidem cenſet, nullam creaturam unquam dari ab omni

Digitized by Google

corpore ſeparatam,& ſemper ſpiritui humano vel etiam angelico adhærere corpus organicum conveniens, interea ipſam Entelechiam primitivam,fontem Actionis ſeu animam,omnino a paſſivo ſeu maſſa corporea diſtinguit, & extenſionem activo fruſtra, nec ullo intelligibili ſenſu attribui judicat.Ep.7 & 8 agit Autor de Animæ noſtræ corruptione,tam ob labem naturalem quam pravos habitus, et brutum in homine rationi prævalere ſtatuit. Inde in ſtatu naturæ corruptæ eſſe quaſi bellum omnium in omnes, nec hoſpitem ab hoſpite tutum eſſe, itaque opus eſſe Regimine ad homines in officio continendos, homines tamen non eſſe Regentium cauſa, ſed contra, recte monet.

Epiſtolæ hactenus ſcriptæ erant ad Joh. Forteſcue Armigerum, quem poſtremo hortatur, ut edat progenitoris ſui, D. Forteſcue, olim Angliæ ſummi in banco Regio Juſtitiarii, Libellum quendam Manuſcriptum. Epiſtola 9 data eſt ad G. T. Ejus vicinum Dn.C.F. ait transfugiſſe ad caſtra Deiſtarum,remittit eum ad libros Euſebii & Huetii, & librum quem Dn.Ditton vernacula mox ſit editurus. Laudat deinde religionis Chriſtianæ puritatem. Epiſt. 10 ad Martinum Jubbs Armigerum ſtatuit cum Hugenio,magna illa ſyſtemata mundorum habitatores ſuos habere ratione præditos, & in hunc numerum refert ordines Angelorum. Quædam deinde ſubjicit ex libro G. Whiſton de completione prophetiarum, qui putat, aerem noſtrum, cum ſit corpus diverſos ubique habens denſitatis gradus, aptum eſſe ad creaturas ſpecifica ſua gravitate diſcriminandas; & ita ſpiritualia & inviſibilia defunctorum corpora ita diſtinguenda, ut unumquodque cum ſuis comparibus reperiatur; idemque etiam ad angelos applicat, qui non procul habitent a principe tenebrarum, & bonos cuſtodiant. Hic in ſummo ſub regimine Meſſiæ collocatos eſſe ordines Angelorum, huc (nempe ad altiſſimam aeris regionem) poſt Chriſtum aſcendiſſe S. Paulum, hinc ſe Stephano & Paulo oſtendiſſe Jeſum, huc Enoch & Eliam fuiſſe translatos, hinc Moſem & Eliam deſcendiſſe ad transfigurationem Chriſti. Imo hinc deſcendiſſe olim Meſſiam, antiquitus cum primævis Patriarchis converſatum. Hinc animas defunctorum ad amicos ſuos inviſendos venire. Hic denique

omnes

Digitized by Google

omnes hujusce mundi incolas corpore denudatos habitaturos, usque ad magnam illam periodum 1 Cor. XV, 24, 28, Apoc. XX, 2, in quo *Filius* regnum Deo Patri tradet, a cujus facie hæcce Tellus noſtra & hi cœli avolaturi ſunt. Hæc ſpeculatio (inquit Autor noſter p. 164) vel hinc non improbabilis exiſtit, quod Corpus Chriſti ſpirituale, tum etiam Moſis & Eliæ & eorum qui ſimul cum Chriſto reſurrexiſſe perhibentur, in loco aliquo vere ſic dicto, & aliquo modo vere corporeo reperiri neceſſe eſt, non in *ubi* Spirituum *fictitio* quorundam metaphyſicorum, non in decantata illa & impoſſibili *inextenſa Nullibiſtarum Utopia*, qui nihil ſatis ſpiritualiſatum exiſtimant, niſi conceptum omnem poſſibilem, imo omnem omnino poſſibilitatem transſcendat. Hæc Autor noſter, quæ recitaſſe ſuffecerit.

AN ESSAY CONCERNING THE KNOWLEDGE and Cure of moſt Diſeaſes afflicting human Bodies.

ſeu

SPECIMEN PHYSICO-MEDICUM DE Corpore Humano & ejus morbis. Autore P. PAXTON, *M.D.*

Londini, apud Gulielmum Innys, 1711, 8.
Alphab. 1 pl. $2\frac{1}{2}$.

CUm Artis Medicæ fundamenta non niſi formis ſuppoſititiis atque meris opinionibus olim inniterentur, nihil certi illa promittere potuit, cum potius omnia litibus & alterationibus expoſuerit. Hinc Clariſſimus Autor, cujus *Manuductionem Phyſico-Medicam* in *Actis* hisce *Anno 1709 Menſe Octobri pag. 461* explicatam dedimus, vanitatem formarum detegere modumque demonſtrare ſategit, Medicinam tali fundamento ſuperſtruendi, quod omnia dubia omnesque imperfectiones removere valeat. In hoc igitur Specimine, poſthumo quidem, ſed ex ejus MStis collecto, methodum hiſtoricam ſecutus, ab omnibus verborum præjudiciis abſtinet, unice obſervando, quid natura moliatur in morbis excitandis, nullo habito ad unum alterumve affectum in ſpecie reſpectu. Idque ut eo feli-

cius aſſequatur, diverſas humani corporis partes, earumque officium & uſum rimatur diverſum, quo cognito errores earum ſeu ſtatus præternaturales eluceſcunt. Pro methodo hiſce medendi invenienda, remediiſque ſeligendis, medicamenta conſiderat tanquam ſubſtantiam naturalem, eorumque operationem examinat, quam exercent in quodvis corpus naturale; dein reſpicit illorum effectum, quem edunt in corpus humanum, a quo eorundem uſum deducit. Pro certitudine igitur & veritate ſtabilienda principii ſui ad ſenſuum evidentiam provocat, tanquam unicum criterium, cui in hoc negotio fidere cogimur. In ideis morborum formandis naturæ noſtræ conſtitutio ipſi ſuppetias fert, dum diverſas corporis partes, diverſosque harum uſus inveſtigat; quanquam enim omnes in totius integritatem conſpirent, ſingulis tamen ſuum competit officium.

Sect. I. Summa principii ipſius in hoc conſiſtit: Morbi corporis humani ſunt ejus alterationes, a fluidis, non ſolidis partibus productæ. Sin autem hæ affectæ videantur, illis alteratio hæc in acceptum eſt referenda; externas injurias ſi exceperis, quæ eas vario modo lædunt. In corpore autem varia ſunt fluida, unum commune, ſcaturigo omnium aliorum, reliqua ad ſingulas partes ſpectant. Fluidum commune ſeu ſanguis ex diverſis & inæqualibus particulis conflatum & duobus ſubjectum eſt motibus; quorum alter ipſi tanquam fluido competit, & in inteſtina minimarum particularum agitatione conſiſtit; alter circularis, animalis & progreſſivus eſt. Priori motu ſanguis particulas homogeneas unit, heterogeneas expellit. Poſterior cordis determinato motui debetur. Utriſque naturaliter, æqualiter & juſte procedentibus, ſeparationes bene ſuccedunt, & ſanguis ſanus dicitur; interrupta vero hac harmonia hic de ſtatu naturali degenerat, & ſecretiones alterantur, & depravantur. Ea, quæ ab ægro Medicus diſcere poteſt, parum ei lucis affundere de morbi eſſentia, putat Autor, cum nihil referre norit, quam quæ ipſe intelligat, nullam vero ei de ſanguinis conditione eſſe notitiam. Vulgarem autem morbos ſub certis ſpeciebus tractandi methodum incertam & periculoſam nuncupat, cum eadem ſymptomata non ſemper morbum comitentur.

Frivole

Frivole etiam agere illos existimat, qui in causas tam anxie inquirunt, utpote quæ, si vel maxime innotescant, ad curationem nihil tribuant. Quibus positis per se clarum est, talia inveniri debere medicamenta, quæ ad sanguinem dirigantur, ejusque vitia corrigant. Quodsi enim morbus ejus justo vehementior fuerit, talia sunt propinanda, quæ pacatiorem hunc reddunt, indeque secretiones naturales adjuvant; sin imminutus extiterit, talia sunt excogitanda, quæ eum accelerant, & secretiones vitiosas corrigunt. Ad duo vero summa genera omnia referuntur remedia; sunt enim vel evacuantia, vel alterantia; illa quantitatem imminuunt, hæc qualitatem emendant. Evacuantia vel portionem ex ipso sanguine educunt, vel humores ex sanguine secretos exterminant; quæ ultima modo ipsos humores revera a massa sanguinea separatos ejiciunt, vel illos, qui sanguini adhuc permisti sunt, disponunt, ut commode possint secerni. Quod ipsum peragitur modo per vasa, quæ nulla habent receptacula, humoribus colligendis apta, & tum immediate hi e corpore proscribuntur, modo per talia, quæ habent receptacula, in quibus humores colliguntur, donec vel propter copiam, vel aliam irritationem ejiciantur. Evacuatio, quæ per sanguinis missionem fit, universalis est, reliquæ particulares, hæque fiunt vel per organicam commotionem, ut purgatio, vomitus, sternutatio; vel per sanguinem ipsum, organis passive se habentibus, talesque sunt sudoris, urinæ & salivæ provocatio. Quæ per organicam commotionem fit evacuatio, magis certa est, modo organa ad irritationem percipiendam apta, aut nimia medicamentorum applicatione naturæ familiaria non reddita fuerint, ut in sternutatoriis contingere solet. Quæ vero per sanguinem ipsum peragitur evacuatio, incerta est, nec semper optatum effectum assequitur. Si igitur sanguinis motus nimius sit, qui separationes naturales sufflaminet, venæ sectio indicatur, sin vero sub sanguinis alteratione secretiones ordinariæ adhuc feliciter succedant, nec ullum contraindicans adsit, evacuationes particulares administrandæ sunt; sin morbus continuet, & periculum aliquod minetur, talia in usum sunt vocan-

da,

da, quæ ſanguinem alterant, ejusque motum aliquatenus ſupprimunt; quanquam enim hæc cauſam non tollant, vitam tamen ægri conſervant, donec alia pro extirpando malo ſe offerat occaſio. Opus enim naturæ eſt, materiam malignam & peccantem ex corpore proſcribere; et operam perderet, qui eam invita illa, & ſanguine ad ejusmodi ſecretiones non diſpoſito, educere conaretur. Vomitoriorum uſum indicari exiſtimat Clar. Autor, 1) quando ventriculus onuſtus eſt materia quadam heterogenea; 2) quando ſanguis ſuum ſecretionis opus abſolvere non poteſt, materia tamen peccans diſpoſita invenitur, quæ per hanc viam excernatur; 3) quando ſanguis ſecretionem præternaturalem eamque periculoſam in aliqua parte molitur; 4) quando vaſa ſecretoria, intra ſphæram hujus operationis conſtituta, obſtructa ſunt, aut humores non commodo ſecerni poſſunt. Purgantia vero indicantur, quando ſanguis ad hanc ſecretionem diſpoſitus videtur & ſecretiones vitiatæ ſunt. Alterantia medicamenta, quæ qualitatem humorum corrigunt, in eo differunt a ſpecificis, quod illa lato & generali ſenſu accipiantur, et ſi aliquandiu continuentur, corrigant humores, effectum tamen ſperatum non ſemper aſſequantur; hæc vero ſtricto ſenſu veniant, & effectum optatum ſemper edant. Alterantia hæc in humores particulares non agunt, ſed ſanguinem primum afficiunt. Et quanquam ſpiritus animales pariter ex ſanguine ſecernantur, immediate tamen etiam hi non ſolum ab objectis in ſenſatione, ſed & ab ipſis medicamentis afficiuntur. Et cum hi ſenſus & motus autores ſint, eorum functiones læſæ ad duo capita referuntur, vel quatenus ſenſatio eſt abolita, ut in apoplexia, lethargo &c. aut depravata, ut in mania, melancholia, phrenitide, delirio &c. vel quatenus motus violenter, efficitur, ut in convulſionibus, aut aboletur, ut in paralyſi, aut una cum ſenſatione læditur, ut in epilepticis & hyſtericis affectibus. Atque hæc mala conſiderantur modo tanquam effectus immediati ſanguinis alterati, ut in febribus, tumque ſymptomatum nomen merentur, ſuntque continua, modo ut morbi, & tum intermittunt & per intervalla redeunt. Horumque cauſæ ſunt vel externæ, quando

Sect. II.

do aliquid ſpiritus animales irritat, & in motum præternaturalem invitat, ut in punctura nervorum, lumbricis &c. aut aliquid nervos comprimit, ſicque ſpirituum influxum intercipit; vel internæ, quando ſpiritus aliquatenus alterati & depravati ſunt, aut aliquid heterogenei ipſis admiſtum ad nervos properat. Quod curam affectuum ſpiritibus adſcriptorum concernit, ſi cauſa extra nervos hæreat, hæc ante tollenda eſt, quam effectui remedium opponatur; ſin intra nervos ſit, adeoque ſpiritus ipſi alterentur, hi corrigendi; ſi animi pathemata morbos produxerint, horum cauſa removenda, & ſpiritus placandi ſunt. Quodſi igitur in ſpiritibus ipſis aliquid offendatur, quod eos in muniis ſuis obeundis impediat, ſanguis emendandus eſt, utpote a quo ſpiritus originem ducunt. Remedia itaque, quæ ſpirituum motum ſufflaminant, aut excitant, aut extraordinariam ejus determinationem corrigunt, toto cœlo differunt ab eis, quæ illorum ſtatum præternaturalem & depravatum emendant. Quemadmodum enim priora ut plurimum in ſpiritus ipſos operantur; ita poſteriora non niſi per ſanguinem agunt. Inter alia medicamenta, quæ ſpirituum motum ſupprimunt, opium omnino prævalet. Cum autem ex ejus uſu evacuationes aliæ ſiſtantur, aliæ vero augeantur, una eademque operatione illud *diverſos hos exhibere effectus*, putat Autor Clariſſimus. Evacuationes enim, quæ per motionem organicam peraguntur, ab opio cohibentur, quæ vero a ſanguine dependent, augentur. *Priori loco ſpiritus opio* conſopiti ad organicam illam motionem promovendam non influunt; poſteriori vero, ſpiritibus in quiete conſtitutis, & poris dilatatis ſanguis ad ſeparationem præſtandam diſpoſitus eo felicius per cutem ſerum dimittit. Martialia cum non ſint corpora fugitiva, ſpiritus immediate non afficiunt, ſed in ſanguinem agunt, motum ſcilicet ejus augendo, ſi nimirum cauſa hæreat in craſi ſanguinis debilitata; ſin vero cauſa externa aliqua e. g. tumor, vel materia quædam heterogenea continuo ad ſanguinem affluens in culpa ſit, fruſtra illa propinantur. Quod denique morbos attinet, qui ab humoribus particularibus oriuntur, quanquam hi materialiter ſuam originem a ſanguine habeant, formam tamen a vaſis vel Sect. III.

viſceribus, a quibus excipiuntur, nanciſcuntur; adeoque alias obtinent qualitates, quibus ſanguis non gaudebat, iisdem tamen hunc inquinant, ſi ab eo iterum reſorbeantur. Secretiones præternaturales humorum morbos chronicos producentes dependent a ſanguinis motu circulari imbecilli, & mixtura corrupta; id quod exemplis Autor illuſtrat icteri, hydropis, podagræ & tabis. Coronidis loco quædam de ſalivatione per Mercurium producta addit. In hac operatione quanquam glandulæ ſalivales inſtrumenta ſint, per quæ evacuatio hæc peragitur, non tamen efficitur illa inſtar vomitus & purgationis per motum aliquem eis conceſſum, ſed mediante ſanguine, qui per Mercurium turbatus confringit, colliquat, dividit & ejicit particulas quasdam per has glandulas. Quod probat 1) quia glandulæ ſalivales nulla motione propria gaudent, quo hanc evacuationem promoveant; 2) quia non dantur viæ, quæ Mercurium ad eas ducant, niſi per ſanguinem; 3) quia ſanguis hoc modo turbatus per alia emunctoria particulas quasdam dimittit, ut in vomitu & diarrhœa apparet; 4) quia ſalivatio per purgantia ſufflaminatur. Cum igitur ea ſit efficacia Mercurius, ut ſanguinis particulas colliquet & dividat, ſeu ita diſponat maſſam ſanguineam, ut heterogeneitates per ptyalismum ſeparando ſenſim ſenſimque magis homogenea & depurata hæc evadat, Mercurium ſpecifica quadam virtute gaudere, dici non poteſt.

ANALYSIS PER QUANTITATUM SERIes, fluxiones ac differentias cum enumeratione linearum tertii Ordinis.

Londini, ex officina Pearſoniana, 1711, 4.
Plag. 16 & figg. æn.

Guilielmus *Jones*, edita Synopſi palmariorum Matheſeos (vid. Acta A. 1707 p. 178) clarus, cum in ſcriniis *D. Collinſii* inter plurima a celebribus ejus temporis Mathematicis, præſertim Magnæ Britanniæ, ipſi communicata quædam reperiret, quæ a Viro ſummo *Iſaaco Newtono* venerant; de his edendis cogitavit,

vit, non male profecto facturus, ſi integri commercii epiſtolici *Collinſiani* aut certe uberiorum excerptorum publicatione orbem eruditum ſibi devinciret. Cum enim nec nos fugiat, Virum celeberrimum commercium litterarium habuiſſe eximium; nulli dubitamus, multa in literis ad ipſum ſcriptis præclara contineri, ad hiſtoriam Matheſeos ipſumque hujus ſcientiæ incrementum profutura. Nec obſtat, quod forte maxima pars eorum jam aliis occaſionibus typis deſcripta proſtet; norunt enim harum rerum intelligentes, quantum interſit noſſe, quo tempore Viri præclari in meditationes ſuas inciderint. Equidem Cl. *Joneſius* cum animadverteret, *Newtoniana* a *Collinſio* aſſervata ferme idem cum iis argumentum habere, quæ Vir illuſtris *Newtonus* jam ipſe in lucem edidit, conſilium ſuum mutavit; Tractatum tamen de Curvarum quadratura cum luculenter ac concinne conſcriptum & ad inſtruendos alios maxime accommodatum judicaret, eundem cum venia Autoris in lucem emiſit & alia nonnulla Analytica *Newtoni* inventa addidit, de quibus jam dicemus.

Tractatum iſtum de Quadraturis Curvarum inſcripſit *Newtonus* de Analyſi per æquationes numero terminorum infinitas et in eo demonſtrat, (vid. Fig. infra) ſi fuerit $ax^{m:n}=y$, aream eſſe $\frac{an}{m+n}x^{m+n:n}$ ſequentem in modum: Sit $AB=x$, $BD=y$, area $ABD=z$, $\beta B=o$, $BK=v$ & rectangulum $B\beta HK$ æquale ſpatio $B\beta\delta D$. Pro lubitu ſumatur $\frac{2}{3}x^{3:2}=z$, ſive $\frac{4}{9}x^3=z^2$ & $x+o$ pro x, $z+ov$ pro z ſubſtitutis, prodibit $\frac{4}{9}$ in $x^3+3x^2o+3xo^2+o^3=z^2+2zov+o^2v^2$, & ſublatis æqualibus $\frac{4}{9}x^3$ & z^2 reliquisque per o diviſis, reſtat $\frac{4}{9}$ in $3x^2+3xo+o^2=2zv+ov^2$. Si jam ſupponatur, o eſſe nihil, erunt v & y æquales & termini per o multiplicati evaneſcent. Quare reſtabit $3x^2.\frac{4}{9}=2zv$, ſive $x^{1:2}=y$. Ergo e contrario, ſi $x^{1:2}=y$, erit $\frac{2}{3}x^{3:2}=z$. Hanc methodum *Newtonus* applicat primum ad Curvas ſimplices, in quibus valor ipſius y unico termino conſtat, ut ſi fuerit $4\sqrt{}x=y$ vel $1:x^2=y$; dein ad compoſitas, in quibus e. gr. $x^2+x^{3:2}=y$, vel $x^2+x^{-2}=y$. Tandem valorem ipſius y in ſeriem reſolvit vel per diviſionem, exemplo *Mercatoris*, e. gr. ſi fuerit $a^2:$

$(b+x)$, vel per extractionem radicis, ut si fuerit $\sqrt{(a^2+x^2)} = y^2$. Ubi simul exponit methodum extrahendi radices tam Simplicium, quam affectarum æquationum a *Wallisio* in Algebra c. 94 f. m. 381 ex ipsius ad *Oldenburgium* literis jam repræsentatam. Eadem methodus quomodo ad longitudines Curvarum inveniendas, nec non ad curvas mechanicas quadrandas adhibeatur, aliquot exemplis docetur. Subjunguntur huic Tractatui Excerpta ex literis *Newtoni* ad *Oldenburgium* datis & a *Wallisio* Tom. 3 Operum publicatis, itemque aliis ad *Wallisium* missis, quæ in hujus Algebra leguntur, una cum fragmento epistolæ ad *Collinsium* d. 8 Nov. 1676 datæ.

Recudi una fecit Cl. Editor duos Tractatus, Opticæ *Newtonianæ* ad calcem adjectos, quorum alter de quadratura Curvarum agit, alter lineas tertii ordinis enumerat. De utroque diximus in Actis A. 1705 p. 30 & seqq. Sed egregie de Geometris meritus fuisset Cl. Editor, si demonstrationem numeri linearum tertii ordinis, quam petenti non denegaturus erat *Newtonus*, una exhibuisset: immo adhuc bene mereri poterit, si per modum appendicis aut alia occasione eandem edat.

Ultimo denique loco comparet exiguus quidam tractatus, cui Methodi differentialis hic imponitur nomen speciali quodam sensu, quemque Cl. Editor ex autographo Autoris *Newtoni* descripsit. Complectitur doctrinam describendi Curvas ex datis differentiis differentiarum Ordinatarum. Innititur problemati ducendi Curvam generis Parabolici per data quotcunque puncta. Quare cum omnes Parabolæ quadrari facillime possint; ejus usum ostendit in quadranda figura quacunque curvilinea quam proxime, cujus ordinatæ aliquot inveniri possunt. Non enim hic alia re opus est, quam ut per terminos ordinatarum datarum ducatur linea curva generis parabolici.

Ceterum quod Cl. Editor methodum rationum primarum & ultimarum methodo quantitatum infinite parvarum præfert; sciendum est, variari tantum in modo loquendi & pro rigorosa demonstratione utramque ad methodum *Archimedeam* revocari debere, ut error quovis dato minor ostendatur. Cumque in calculo præcedente adhibetur o & ov, quis non videt,

det, revera adhiberi infinite parvas, nempe *o* pro *dx* & *ov* pro *dz*. Sane *o* jam *Fermatius* aliique in talibus caſibus adhibuere. Sed calculo illuſtris *Leibnitii* differentiali invento, non jam ſimpliciter nullæ, ſed ſpeciales quædam quantitates nulleſcentes adhibentur, nempe exprimentes, ex qua decreſcente quantitate ad evaneſcentiam venerint. Ita *dx* vel *dz* eſt quantitas ſpecialiter ad quantitatem *x* vel *z* relata, ſeu affectio quædam ipſius *x* vel ipſius *z*, nempe duarum *x* vel duarum *z* differentia, ſed nulleſcens. Et ita non multiplicantur quantitates, quarum affectionibus ad curvas exprimendas eſt opus: atque adeo æquationes etiam curvarum tranſcendentium per ſolarum ordinatarum abſciſſarumque relationem habentur. *Leibnitius* noſter ad exemplum tam *Cavallerii*, quam *Rabervallii*, nunc unam, nunc alteram exprimendi rationem, hoc eſt, nunc infinite parvam, nunc motum ſeu continuum tranſitum, ſive fluxum adhibuit, prout viſum eſt commodius; & uſum tranſitus hujus ultra Geometriam ad Phyſicam ipſam promovit, nova quadam conſideratione inventa, quam *Legem continuitatis* vocat, per quam tanquam lapidem lydium multa erronea in phyſicis redargui poſſunt. Propoſuit eam ante multos annos in Novellis Reip. literariæ *Balianis* & exemplis illuſtravit.



Vorbereitung zur groſſen Oppoſition &c.

h. e.

***PRÆPARATIO AD OPPOSITIONEM** magnam, ſive notabilis Cœli facies ad Annum 1712, quam ſequenti 1713 excipit Oppoſitio triplex Saturni & Jovis, delineata a MARIA MARGARETHA WINCKELMANNIA, Kirchii Vidua, Aſtronomiæ & Aſtrologiæ Cultrice.*

Coloniæ ad Spream, apud Ulricum Liebpertum, 1712, 4.
Plag. 3 Tab. æn. 1.

CElebre inter Obſervatores hujus ævi nomen adeptus eſt *Godofredus Kirchius*, Aſtronomus nuper Regius in Societate Scientiarum Berolinenſi; menſe Julio A. 1710 mortuus. Ejus vidua *Maria Magdalena Winckelmannia* non minore in obſervando & calculo Aſtronomico dexteritate pollet, ac in utroque labore maritum, cum viveret, fideliter juvit. Quemadmodum vero marito Aſtrologia judiciaria, hodie quidem Aſtronomis parum probata, non prorſus diſplicebat; ita etiam ipſa huic arti aliquid tribuit, utut differentiam inter prædictiones Aſtronomicas & Aſtrologicas clare perſpiciens, illas intra demonſtrationum, has intra conjecturarum limites contineri agnoſcat. Cum itaque non ignoraret, non modo *Godofredum Ohnefurcht*, Aſtronomum peritum, Annis 1662 & 1663, ſed etiam ſagaciſſimum *Keplerum* A. 1618 ob quadratum Jovis & Saturni jam ante ipſum cometas & terræ motus non irrito ſucceſſu prædixiſſe, & præterea perpenderet, quod anno præſente d. 23 Jan. Saturnus Jovi opponatur, Luna fere 6 digitorum eclipſin in Leone patiente, d. 12 Maji ♂ ex 7° ♉ ♄ in 8° 52′ ♌ & ♃ in 6° 55′ ♒ adſpectu Quadrato reſpiciat, inter dies 27 & 28 Octobris ♂ & ♃ prope cor ♌ conjungantur, differentia latitudinis 25′ exiſtente, quo in loco A. 1680 d. 6 Nov. cometa Jovi arctiſſime conjungebatur, ♄ & ♂ vix prætergreſſi ſint loca, in quibus A. 1682 & 1683 triplicem conjunctionem magnam celebrarunt, ad triplicem oppoſitionem magnam nunc properantes; ex notabili hoc cœli ſtatu hoc ipſo anno cometam apparriturum & terræ tremores globum noſtrum terraqueum infeſtaturos eſſe auguratur. Ut vero huic conjecturæ major probabilitatis gradus accedat, multis exemplis ex hiſtoria recentiſſima petitis probat, in ſimili cœli ſtatu cometas apparuiſſe & terræ motus notatos fuiſſe. Nimirum annis 1652, 1664, 1672, 1677, 1682, 1683 & 1702 viſi ſunt cometæ: ſed anno 52 fuit oppoſitio, A. 63 conjunctio magna, A. 72 ☍ ♄ ♃, A. 77 □ ♄ ♃, A. 82 conjunctio notabilis in ♌ & A. 1702 ☌ ♃ ♄ in ♌. Similiter terræmotus infeſtarunt A. 1706 d. 3 Nov. regnum Neapolitanum, A. 1703 d. 14 Jan. Romam, A. 1693 d. 9 Jan. Siciliam,

Digitized by Google

liam, A. 1690 d. 24 Novembr. Germaniam: fuit autem A. 1706 d. 3 Nov. ☌♄♂ & □♄♂♃, A. 1703 menſe Januario ☌♄♂ & ☌♃♂, A. 1692 menſe Decembri ☌♄♂ & fere ☍♄♂♃, A. 1690 d. 24 Nov. ☌♄♂☿ & △♄♂☿♃. Apparitionem autem cometæ circa autumnum hujus anni ſuſpicatur, propterea quod illa anni tempeſtate ♄ cum ♂ conjungitur. Cumque eadem conjunctio in ♌ celebretur; mortem minatur Regi potenti, in cujus themate natalitio ♌ domum notabilem occupavit. Hæc tamen auguria pro demonſtrationibus apodicticis haberi non vult, tum quod *Cometæ* apparuerint & terræ motus contigerint, ubi *nullus adſpectus ſuperiorum Planetarum* obſervatus, tum quod non deſint exempla iſtiusmodi adſpectuum, quos nulli cometæ, nulli terræ tremores comitati ſunt. Hæc non ideo commemoramus, ut Aſtrologiæ vanitatem aliis perſuadere ſatagamus; ſed quod laudi ducitur fœminæ ea animo comprehendiſſe, quæ ſine ingenii vi ſtudiique aſſiduitate non comprehenduntur.

BURCARDI GOTTHELFFI STRUVII Syntagma Juris Publici Imperii noſtri Romano-Germanici ex fontibus Hiſtoriarum, Legibus Imperii fundamentalibus, Actis publicis, Diplomatibus & obſervantia Imperii collectum atque ad præſentem Statum accommodatum.

Jenæ, ſumtibus Joh. Felicis Bielckii, 1711, 4.
Alph. 4.

CОncinnandi hujus ſyſtematis occaſionem nonnullos JurisCultores, qui in uſum exercitationis publicæ theſes quasdam poſtulaverint, præbuiſſe docet Conſultiſſimus Autor. Conſtat itaq; hoc Opus viginti octo Diſſertationibus, quas omnes ad quinque Partes generales in Præfatione revocavit Autor. Prima Pars generalia Juris Publici principia, ſcilicet definitionem, diviſionem & periodos, in Diſſertatione prima exhibet. Sequitur territorium Imperii Romani, Regni Germanici, Italici, & Arelatenſis, quæ ab invicem diſtinguuntur Diſſertatione ſecunda, tertia & quarta,

quarta, quibus de territorio antiquo & hodierno atque Provinciis ab Imperio avulſis agitur. Quinta Diſſertatio diviſionem Imperii, ſexta Leges fundamentales illuſtrat, ac primam Partem abſolvit. Altera Pars Imperatori ejusdemque juribus atque in Imperio prærogativæ deſtinata eſt. Deſcripta igitur, Diſſertione ſeptima, Imperatoris electione atque coronatione, progreſſus in octava fit ad ejus titulos & inſignia, quibus ſubjunguntur Diſſertatione nona Palatia atque officiales Palatini. Hinc ad reditus atque Reſervata Imperatoris, quæ vel in Jure Sacrorum conſiſtunt, vel circa dignitates & Jura Imperii, aut circa privilegia verſantur, tractatio decurrit, ac ſingula Diſſertatione decima, undecima ac duodecima, additis etiam, quæ cum Electoribus communicata ſunt, juribus, exponuntur. Poſt jura Imperatoris ſequuntur Diſſertatione decima tertia modi, quibus finiatur Imperatoris poteſtas, nec non jura Vicariorum, quæ vel abſente, vel defuncto Imperatore exercentur, quibus Diſſertatione decima quarta materia de Rege Romanorum & Auguſta ſubjungitur. Tertia Pars Status Imperii comprehendit, ubi Diſſertatione decima quinta illi recenſentur, eorumque ordo & qualitas exponitur. Decima ſexta Electorum originem & jura tradit. Decima ſeptima de ſingulis Electoribus ſpeciatim agit. Decima octava & nona Principibus Secularibus & Eccleſiaſticis eſt deſtinata, vigeſima Comites & Barones Imperii, ac vigeſima prima Civitates Imperiales exhibet. Quarta Pars jura Imperii, Comitialia & judicialia, complectitur, hinc Diſſertatione vigeſima ſecunda Comitia Imperii univerſalia & particularia deſcribuntur, vigeſima tertia jura Comitialia examinantur. Diſſertatio autem vigeſima quarta illuſtrandis Judiciis occupatur, ac vigeſima quinta de Matricula, Idiomate, Archivo & Cancellaria Imperii diſquirit. Quinta Pars jura ſtatuum Imperii territorialia & quæ ipſis ratione dignitatis competunt, explanat. Agmen denique claudunt membra Imperii immediata & Vaſalli, qui juris ſunt Longobardici, hinc in Diſſertatione vigeſima ſexta de Territoriis Statuum & Superioritate, vigeſima ſeptima, de ſucceſſione Principum & Comitum, & vigeſima octava, de membris Imperii immediatis

mediatis

Digitized by Google

mediatis & Vaſallis diligens & copioſa exhibetur tractatio. Toti operi præmiſit Conſultiſſimus Autor Diſſertationem præliminarem de Jure Imperii in Ducatum Parmenſem & Placentinum. De cetero in Opere hoc concinnando ita ſe verſatum eſſe ait; ut methodo arbitraria uſus a temporibus Ottonis M. inchoaret, ita tamen, ut ob hiſtoriæ connexionem, ad Carolingorum tempora usque progrederetur. Declaravit itaque, quis ſtatus priorum temporum, qua ratione ex monarchica forma ſenſim immutatum Imperium, & quæ mutationis pro temporis ſucceſſu *fuerit ratio* & quis ſtatus hodiernus. Fundamenti loco ipſi fuerunt fontes hiſtoriarum, Scriptores coævi, Conſtitutiones Imperiales, Diplomata, Leges Imperii fundamentales, ex quibus ſua potius hauſit, quam ex Compendiis & Syſtematibus, licet etiam nonnulla ſibi præiviſſe non diffiteatur. Diſſenſum a reliquis ſcriptoribus non affectavit, ubi vero neceſſitas hoc exigit, ſine pruritu & inſulſis cavillationibus debita & Chriſtianos decente modeſtia, rationibus & documentis ſuffultum contrariam ſe aſſeruiſſe ſententiam amplius admonet, inſimul faſſus, plures quidem ſe inſeruiſſe materias, in Syſtematibus nondum pertractatas, ſupereſſe tamen nonnullas, quæ ob temporis anguſtiam explicari rite non potuerint, imo brevius quædam fuiſſe dicta, de quibus nondum ſatis fuerit inſtructus, operam tamen ſe eſſe daturum, quo defectus hoſce alia occaſione ſuppleat. Speciminis loco pauca adjiciemus. In Diſſertatione tertia de Territorio Regni Germanici ſollicitus Noſter, Germaniam omnem, quæ præcipuam partem Imperii conſtituat, a Galliis Rhetiisque & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus olim ſeparatam fuiſſe, hodie vero verſus Orientem, Poloniam atque Hungariam, verſus Occidentem Galliam atque Belgium, verſus Meridiem, Italiam & Helvetiorum Reſpublicas, verſus Septentrionem mare Balticum & Daniam habere fines docet. Eam porro antiquitus non in Provincias, ſed populos, quorum prima ætate plures occurrerint, fuiſſe diviſam, media vero ætate in originariam & acceſſoriam, quarum illa Germaniam, quæ fuit temporibus Ottonis M. hæc autem Regna, pro-

Digitized by Google

vincias & populos, qui poſt illa tempora acceſſerint, complectatur, diſtingui ulterius oſtendit. Sub Germania Originaria, ex doctrina Noſtri, reperiuntur Franci, Alemanni, Bavari, Thuringi & Saxones, quibus ob pactum inter Henricum Aucupem & Carolum Simplicem Gallorum Regem initum, acceſſerunt Lotharingi. Singulos illos populos ſpecialius deinde perſequitur, ac de Terris Slavorum, de Friſiis & Terra Rhenenſi nonnulla inſpergit; in quarta vero Diſſertatione acceſſiones Germaniæ expendit, ac nominatim de Regno Arelatenſi, Slavis Orientalibus, Bohemia, Maſovia, Dania, Hungaria, Gallia, Hiſpania, Anglia, Boruſſia & Livonia diſſerit, adjiciens, quod pleræque illæ Provinciæ, quæ Germaniæ acceſſerint, ab ejusdem finibus iterum fuerint avulſæ, & quod aliæ ſint, quæ ab Exteris vel Statibus etiam eximantur atque ab immediata ejus ſubjectione abſtrahantur, cujus exemtionis eum eſſe effectum ait, ut tales Provinciæ exemtæ Landſaſſiatus quidem jura plerumque ſaltem obtineant, ita tamen ut poſſeſſores iisdem Imperii juribus in terris exemtis utantur, quibus priores domini; teneantur etiam ad easdem præſtationes, quæ ante exemtionem terras exemtas ſequebantur, niſi vel ex ſingulari Privilegio, vel etiam præſcriptione illas ſine onere obtinuerint. Diſſertatio vigeſima ſexta Territoria Statuum & ſuperioritatem exhibet, ubi quidem Noſter in immediata & mediata, in feudalia & allodialia, in pura & mixta, in Eccleſiaſtica & ſecularia illa diſtinguit, ac inter alia obſervat, quod Ducatus & Principatus nulli reperiantur allodiales, bene vero Comitatus, qui vel pure ſint tales, vel pluribus allodiis intermixti; illorum exemplum præbere dicit Comitatum Hoenzolleranum, Oetingenſem, Hungenſem & Laubacenſem Solmenſium, Sarwerdenſem, Dynaſtiam Homburgenſem & Comitatum Wartembergicum, horum vero plura exempla, ac inter ea Comitatum Hanovienſem & Hachenburgicum occurrere docet. Superioritatem diſtinguit Conſultiſſimus Autor in nudam & Territorialem, illamque in juribus Majeſtati proximis, quæ ſinguli Status moribus & conſenſu Gentium exerceant, etſi Territorium immediatum non poſſideant, conſiſtere, hanc vero a Statibus in Ter-

ritoriis

Digitized by Google

ritoriis exerceri asserit, ac de ejus indole, origine & juribus specialius deinde disquirit.

LIBANII SOPHISTÆ EPISTOLARUM adhuc non editarum Centuria Selecta, cum versione & notis JO. CHRISTOPHORI WOLFII Prof. Philos. Witteberg.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch & Filium, 1711, 8.
Plag. 22.

JAm diu est, quod Viri Græcis literis exculti Libanio principem inter Græciæ Scriptores locum reliquerunt, & in colligendis, quæ in Codicibus manu exaratis latebant, monimentis ejus assidui fuerunt, eo consilio, ut in lucem ea proferrent. Neque materia aut occasio huic labori defuit, inprimis si epistolis aliquod pretium statui debet, quas negligere non solent, quibus persuasum est, eas non minus ingenium quam dictionem Scriptoris legentibus prodere. Libanius autem, si quisquam alius, in epistolis scribendis diligens fuit, quod ipse cum alibi, tum in Vita sua, testatur, ut mirum sit Frider. Morellum, non indiligentem nec infelicem ceteroquin Operum Libanii editorem, perpaucas, quæ vix speciminis loco sufficere poterant, in lucem protulisse. Cumque non deessent, qui illarum desiderium ægre ferrent, exstiterunt nonnulli, speciatimque Leo Allatius, Henricus Valesius, Laur. Normannus, Ill. Ezech. Spanhemius, alii, qui spem illarum eruditis subinde facerent. Neque tamen destinata illi executi sunt, sed provinciam hanc vacuam reliquerunt posteris, ex quibus nunc doctissimus Editor negotium hoc aggressus est. Copia ipsi, quod in Præfatione refert, trecentarum Libanii epistolarum in præstantissima Oxoniensium Bibliotheca Bodlejana facta est, quas cum in proprium usum primum exscripsisset, nunc earundem Centuriam unam, salivam quasi moturus, in lucem edendam censuit, neque reliquas publico inposterum invidebit. Quod ad præsentem Centuriam spectat, eam, quod diximus, cum ceteris ex Bodlejanis Codd. descripsit Editor, atque adeo aliorum Codicum

ſubſidio deſtitutus ſubinde neceſſitatem ſibi impoſitam vidit ex ingenio medicinam illis locis faciendi, qui ab antiquitate vel librariorum negligentia male habiti videbantur. Interdum etiam ſuccurrit hærenti Collectio epiſtolarum Libanii Latina a Franc. Zambicario inſtructa & a Jo. Sommerfeldio Cracov. 1504, 4 edita. Illa tamen perpaucas habet ex iis, quæ nunc prodeunt, epiſtolas, & cetera quidem barbara & inepta eſt, niſi quod interdum germanæ lectionis veſtigia accurate res circumſpicienti oſtendat Apparet hoc inprimis ex prolegomenis Editoris, in quæ maximam partem animadverſionum & emendationum ſuarum retulit, quarum copia ipſi ex comparatione, cum Latina iſta interpretatione inſtituta, ſubnata fuit. His igitur præſidiis inſtructus Cl. Editor inſtitutum ſuum ita perſecutus eſt, ut contextum, quoad ejus fieri poſſet, integritati vindicaret, interpretationem Latinam, ad ſenſum magis quam ad verba relatam, ex adverſo adderet, ac denique in ſubjectis notis lucem Scriptori, nunc mentem interdum, quod in epiſtolis uſu venit, obſcurius expreſſam fuſius, collatis ceteris Libanii ſcriptis, explicando, nunc de vocum phraſiumque proprietate & efficacia cum cura diſſerendo, nunc denique locutiones veterum, nominatimque Homeri, ad quas ſæpius Sophiſtarum exemplo alluſit, in medium afferendo, affunderet. Interdum etiam operam dedit, ut Sacri Codicis dictionem ex phraſibus Libanianis illuſtraret, & aliorum Scriptorum locos depravatos integritati reſtitueret. Totam Collectionem Præfatione munivit, quæ inter cetera notitam ſuppeditat illorum Virorum, ad quos Libanius epiſtolas ſua dedit. Sine hac enim fieri vix poſſe cenſuit, ut, quid ſibi vellet Scriptor, curioſus Lector ſatis aſſequeretur. Epiſtolæ ipſæ maximam partem ita comparatæ videntur, ut diverſa hiſtoriæ Civilis & Literariæ, nonnunquam etiam Eccleſiaſticæ, capita ex illis illuſtrari poſſint. Epiſtola V ad Themiſtium data præterquam quod de Harpocratione Rhetore exponit, manifeſte prodit, quanta fuerit apud Libanium Themiſtii exiſtmatio. De Nicomedia inexſpectato terræ motu ſubverſa, & Hierocli æque ac Ariſtæneto, Libanio amiciſſimis, exitium afferente, ep. VI & LII conqueritur. Ep. VII oſtendit,

Digitized by Google

oſtendit, quis animus Libanio & aliis fuerit, cum de Juliani nece triſtis nuncius afferretur. Ex eadem intelligitur, binas civitates, quas Editor in notis Antiochiam & Alexandriam vel Cæſaream certe fuiſſe ſuſpicatur, gaudii ſigna luculenta edidiſſe. Ep. IIX argumento eſt, Julianum Imp. Libanio permultum tribuiſſe, ac eadem opera exponit occaſionem & fortunam Orationis, quæ in laudem præſentis Juliani habita adhuc legitur Tomo II Operum p. 173. Omitto perſequi ceteras non minoris momenti epiſtolas, inter quas princeps locus tribuendus eſt LXX & LXXVII, ad *Belæum* in *Orionis* cujusdam gratiam ſcriptis, qui, cum ad Chriſti ſacra ſe convertiſſet, *indignis modis, quæſito ſacrilegii ab eo perpetrati prætextu, tractatus fuit.* Eo enim loco Libanius injuriam homini factam, tanquam Diis ipſis diſplicentem, graviter improbat, ac veretur, ne hoc modo Marcus quidam redivivus, de quo hiſtoriæ Eccleſ. Scriptores Chriſtiani exponunt, ſiſtatur, qui, cum vexationes omnes conſtanter & fortiter religionis cauſa pertuliſſet, tandem dimiſſus, omnium admirationem in ſe converterit. Supereſt, ut ex notis ſpecimina quædam expromamus. In illis p. 1 varii Philoxeni ex antiquitate commemorantur, quibus addendus eſt Libanii diſcipulus, de quo ep. ejus II magnam ſpem facit doctrinæ ac facultatis dicendi. Ad eandem ep. vox γνώμη exponitur, quæ cum eo in loco προαίρεσιν ſive *animi propoſitum* denotet, alibi nunc de *inventione* Rhetorum, nunc de *Deo*, nunc de *agrorum limite* uſurpari ſolet. Ad ep. III p. 5 oſtenditur, vocem ἀδάμας eo in loco non de *lapide* ſed de *ferro* accipiendum eſſe, ac propterea ἀδαμάντινον ſignificare, quicquid firmum & maxime munitum ſit. Ad ep. VII p. 17 νέφος & *nubes* pro *multitudine* ab utriusque Linguæ Scriptoribus crebro adhiberi demonſtratur, laudatis aliis, qui id ex profeſſo egerint, Autoribus. Ad ep. VIII p. 21 illa loquendi ratio, qua Græci dicunt κίνησιν κινεῖσθαι diligenter explicatur. Ad ep. XIII p. 31 de proverbio Græcorum agitur, quo dici ſolet λυδὸν εἰς πεδίον προκαλεῖς de eo, qui alterum laceſſit ad id præſtandum, quod ſua ſponte & non provocatus agit. In ep. XVI p. 38 Athenienſium urbs κατ' ἐξοχὴν πόλις vocatur, ubi in notis alia urbis hujus elogia,

Græciæ Scriptoribus recepta, in unum collata cumulum videbis, ſicut p. 132 urbis Romæ tituli proferuntur, quæ nunc πόλις βασιλὶς & βασιλεύουσα, nunc *Dea terrarum* & *Regina gentium* &c. appellatur. Ad ep. LXXXIX p. 272 proverbium Græcorum πάντα λίθον κινεῖν explicatur, eademque opera Apollonii epiſtolæ VII p. 387 Opp. Philoſtrati noviſſimæ, minus recte hucdum intellectæ, lux accedit. Locus ita habet: πάντα φασὶ δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν· Ἐμοὶ δὲ εἴη τὴν ἁλιὰν τρυπᾶν ἐν Θεμιδος οἴκῳ. Utrinque proverbialis loquendi ratio eſt, quarum prior reſpondet Latinorum φράσει *omnem lapidem movere*, poſterior autem idem ſignificat, quod Perſius Satyra V dixit *terebrare ſalinum*. Ultimo loco id videtur commemorandum, quod in calce Voluminis appendicis loco ex MS. Biblioth. Bodlejanæ CCXIX ingens lacuna, quæ Orationem Libanii in Juliani Imp. Necem p. 300 Tomi II Opp. hactenus afflixit, nunc demum Græce ſuppleatur. Latina interpretatio in aliud tempus rejicitur, ſimulque ſpes fit aliarum Libanii Orationum, quæ lucem nondum viderunt, ex tenebris protrahendarum.

ALPHONSI HUYLENBROUCQ SOCIETAIS JESU VINDICATIONES, adverſus famoſos libellos quamplurimos, & novam ex iis compilationem ſub titulo Artes Jeſuiticæ.

Gandavi, ex Typogr. Mich. Graet, 1711, 8.
Alph. 1.

Libri hujus mole non magni ſcopus in univerſum eſt, ut variis Scriptis, quibus Societatis Jeſu vel doctrina, cumprimis circa mores laxior, vel ingenium & mores perſtringuntur, obviam eatur, labesque Societati aſperſa detergatur. Quod argumentum nemini non, quibuscunque partibus addictus ſit, gratiſſimum eſſe poteſt, cum navata in eo opera notitiam ſaltem ejus generis ſcriptorum liberaliter ſuppeditet. Ita autem ea defunctus eſt Autor, ut, poſt præmiſſam ſatis acrem invectivam, adverſus Autorem libelli, qui titulo *Artium Jeſuiticarum* inde ab A. 1703 iteratis editionibus verſionibusque lucem adſpexit,

Cap. I.

xit, quod sæpius castigatas calumnias ex parum idoneis monimentis repetiverit, in classes quasi distribuat Societatis aggressores, qui stylo ipsius partim Hæretici fuerint, partim Apostatæ eus ordinis, partim Catholici non satis instructi, quibus omnibus variæ observationes generales ad excusandam Societatem pertinentes opponuntur, & catalogus Scriptorum Apologeticorum pro Societate subjungitur. Inde initio ducto a P. Molinæi Catalogo traditionum Romanarum, quod opusculum Genevæ A. 1632 primo lucem adspexit, & fontem præbuisse creditur Autori *plerisque ejus generis scriptis*, quibus a Jansenistis Jesuitæ impetiti fuere, ordine cetera percenset, quæ partim decretis Pontificiis, partim summorum Principum edictis damnata ostenduntur. Accusationes vero iis comprehensæ, partim ex male citatis & intellectis autorum locis, partim ex optime dictis & male reprehensis, partim ex privatorum sententiis & factis toti ordini imputatis, oriri ostenduntur: quod tamen in paucis fere fit, speciminis, ut Autor vult, loco, ex quibus cetera etiam suspecta reddantur. Inprimis vero ostenditur Societatem dictis summorum Pontificum semper obaudientem fuisse, & falso rebellionis adversus ea accusari. Propositiones etiam ab eis damnatas præcipuos Societatis Scriptores, etiam antequam damnarentur, rejecisse, post damnationem vero totam societatem repudiasse, falsumque esse quicquid in contrarium ab adversariis hic afferatur. Et tamen ex pessimis hujusmodi accusationibus novum istum libellum de *Artibus Jesuitarum* a *Jansenisticæ* partis hominibus conflatum esse deprehendi.

Cap. II.

VII.

VIII.

IX, X.

Des Herrn von B. Schrifften 2c.

i. e.

DOMINI DE B. SCRIPTA QUOTQUOT colligi hactenus potuere, partim prosa, partim vorsa oratione composita.

Lipsiæ, apud Jo. Frider. Gleditsch & Fil. 1711, 8 maj.
Alph. 1 pl. 10 & pl. æn. 3.

Inter eos, qui in promovenda vernaculæ nostræ puritate operam studiumque hactenus posuere, principem utique locum meretur

meretur Vir Illuſtris atque Excellentiſſimus Johannes de Beſſer, Reg. Maj. Boruſſ. primus ceremoniarum Magiſter & Conſiliarius intimus, nec non Magiſter ceremoniarum ordinis aquilæ nigræ, qui, ſive proſæ orationis decus ſive carminis elegantiam ſpectemus, parem hodie inter Germanos habet neminem. Quo majores itaque gratias debemus Operum horum Editoribus, qui quicquid vel typis excuſum vel calamo exaratum ex Amicorum ſcriniis colligere potuere, impetrata demum ab Illuſtri Autore venia, publici juris fecere. Habes itaque hic non tantum præfationes quasdam & deſcriptiones pomparum, tum nuptialium tum exequialium, aliaque proſa oratione compoſita, verum & carmina omnis generis elegantiſſima, panegyrica, heroica, lugubria, nuptialia, amatoria, miſcellanea. Ut de illis, quæ ſoluto ſermone conſtant, nihil dicamus, in quibus vitæ conjugis Beſſeriæ, natæ Kühlweiniæ deſcriptionem p. 242 vix ſine lacrymis legas, carmina certe haud ſatis poſſumus commendare, quæ & leniter fluunt ſuaviterque, nusquam hiſpida aut tortuoſa, & ita limata ac ſententiis referta ſunt, ut ne vocula quidem usquam fruſtra vel propter rhythmum (quod Germanis Poetis admodum ſolenne eſt) adhibita deprehendatur. Præterea vero hoc habet præcipuum Illuſtris Autor, quod in aula Boruſſica, omnis elegantiæ & cultus ſtudioſiſſima, inde a juventute verſatus eſt, Cæſarem, Ciceronem, Virgilium, Horatium, Ovidium, Claudianum, Quintilianum, et e recentioribus Buſſium Rabutinium, Fleſcherium, Boilavium, Racinium, Benſſeradium & Ruffenſem Comitem imitatus, quos pariter in magnorum Principum aulis profeciſſe conſtat. Atque hinc porro ſingulare pretium ſcriptis Beſſerianis accedit, cum pleraque res magnas publiceque geſtas complectantur, quæ adeo non tantum delectant, verum & proſunt, maxime iis qui de rebus a Boruſſis hic illic fortiter feliciterque geſtis cupiunt erudiri: quo ſpectant e. g. panegyricus in Fridericum Wilhelmum & alia, quæ ſub Heroicorum titulo hic comparent, leſſus in Ludovicum Marchionem Brand. A. 1687 defunctum, & carmen in nuptias Johannis Georgii IV El. Sax & Eleonoræ Erdmuth Ludovicæ. Ceterum non minus amatoriis, quam heroicis carminibus ſcribendis

ſcribendis aptus eſt Ill. Autor, quandoquidem jam pridem omnium plauſum meruit ſuaviſſimum poema, quod *Sinus amantium* inſcripſit p. 435, ut alia omittamus. Nec tacendum denique, intentatum hactenus Germanis carmen, quod inter choreas (*balets danſez*) adhibent Galli, tanta prudentia aggreſſum eſſe Noſtrum, ut haut invidendus Gallis amplius videatur egregius hujus carminis artifex Iſaacus de Benſſerade, ex quo Germanis in eo carminis genere feliciſſime præivit Johannes de Beſſer. Unum publico nomine obteſtamur Virum ſummum, ut & alia, quæ in ſcriniis adhuc ſervat, ſcripta luce digniſſima & ea imprimis quæ de decoro ceremoniarum tum uſu quotidiano comperta habet, tum ex elegantiſſima, qua inſtructus eſt, Bibliotheca collegit, publici juris faciat.

MARTINI SCHRADERI D. CONSIL. Elect. Brunſv. Luneb. Senatus Populique Hildeſ. Syndici in patria primarii, Conſiſt. Directoris, de Cauſis Fori Eccleſiaſtici Tractatus ex Jure Communi, Civili & Canonico, nec non Conſtitutionibus ac obſervantia Eccleſiarum, imprimis vero Evangelicarum, deductus.

Guelpherbyti, ſumptibus Godofredi Freytag, 1710, 4.
Alph. 1 pl. 17.

SEcunda hac vice Tractatum hunc, atque adeo multo auctiorem & correctiorem, ut ederet Conſultiſſimus Autor, rationes habuit ſane haud leves. Diligenter enim providendum eſt, ne pomœria ſua ad alias cauſas Conſiſtoria extendant, quam quæ ſua natura ad illa pertinent. Refert autem illas ad tres claſſes; prima eſt de eis, quæ ratione cauſæ ipſius ad illa ſpectant, altera earum, quæ ratione perſonæ, ac tertia denique, quæ ratione utriusque. Ad primam claſſem referuntur ſuo jure ac primo loco cauſæ matrimoniales. Et harum evolutioni copioſam certe elaborationem impendere non dedignatus eſt Conſultiſſimus Autor, ita ut maximam partem Tractatus ſolæ illæ exhauriant. Tametſi enim totam doctrinam includat aphoriſmis mira brevitate concinnatis, diffundit ſe tamen in

M anno-

annotationibus, et ſingula pene verba illuſtrat nunc obſervationibus & remiſſionibus, nunc veluti commentarium ſuperaddit. Recentiſſimorum enim JCtorum non tantum ſententias recitat, ſed & plurimorum Conſiſtoriorum & aliorum Collegiorum Juridicorum reſponſa, certis Caſibus illuſtrandis, cum Lectore communicat, quodque inprimis ad laudem Conſiſtorii Reipublicæ Hildeſienſis multum facit, tantum non ubique exempla Hildeſienſis fori ſecundum Statuta illius inſerit, & obſervantias ibi receptas exponit. Qua in re induſtriæ ſuæ fructum uberrimum tulit, utpote laudatiſſimi illius Conſiſtorii Director per annos plusquam tredecim. Sed & hac occaſione innotuit nobis, Autorem ipſum eſſe Vindiciarum & Aſſertionis Libertatis, pro civitate Hildeſienſi ejusque Jure circa Sacra & Conſiſtorii ſimul, quas Senatus Hildeſienſis anno 1700 & 1706 publicis typis exſcribendas curavit. Quumque jam tum A. 1696 opponerentur illi Vindiciæ in puncto Gravaminum Eccleſiaſticorum, Anti-Vindicias Statuum Provincialium Evangelicorum memorat editas fuiſſe, ubi ejus ſententia contra partem adverſam latius defendatur. Poſt Cauſas Matrimoniales ſequuntur Cauſæ Decimarum, Cauſæ quæ concernunt Jus Patronatus, Cauſæ Præbendarum & Salariorum Clericis competentium, Cauſæ Voti & Juramenti, Cauſæ Piæ, Cœmiteriorum & ſepulchrorum, Natalium & Legitimationis partus, immunitatis Eccleſiæ, miſerabilium perſonarum, nec non denegatæ Juſtitiæ, ſecundum Canones ſcilicet, quod tamen ad Status Imperii non pertineat, Cauſæ Delictorum & Pœnæ Eccleſiaſticæ. His poſitis, Claſſis ſecunda & tertia brevioribus aphorismis abſolvuntur, quandoquidem ex anterioribus capitibus maximam partem dependeant. Ceterum quæ occaſione hujus operis ad nos ſcripſerit Vir Conſultiſſimus Chriſtfridus Wæchtlerus, Suppl. Tomo V Sectione IV leguntur.

Eigentliche und wahrhafftige Abbildung der alten und neuen Griechiſchen Kirche.

i. e.

Digitized by Google

i. e.

D. JOH. MICH. HEINECCII VERA DELIneatio Ecclesiæ Græcæ quoad antiquum præsentemque statum, continens Historiam dogmatum & rituum, tribus Partibus divisam, una cum Appendice Monimentorum bonampartem hactenus ineditorum, additis Iconibus & Indicibus necessariis.

Lipsiæ, sumtibus Joh. Frid. Gleditschii & Filii, 1711, 4 Alph. 7 & Fig. æn. 16.

VIr summe reverendus & doctissimus operis hujus Conditor, plurimis ingenii pariter ac historiæ monimentis editis perquam clarus, atque in his ipsis Actis aliquoties merito laudatus, novum sibi decus e præsenti Ecclesiæ Græcæ delineatione quæsivit, quam Potentissimo Borussorum Regi FRIDERICO I ejusdemque Serenissimæ Conjugi SOPHIÆ LUDOVICÆ ideo dedicat, quod ambo singularibus ac plane regiis beneficiis Ecclesiam Græcam hactenus sublevarunt. Jam excellentissimus Autor instituti sui rationem in ipsius Operis Præfamine satis equidem explicuit: at quo tamen illud tanto magis pateat, juxta eruditissimi libri ductum quædam delibabimus, illud quidem a benevolo Lectore antea pacti, ut multo sibi plura & excellentiora ex ipsa lectione polliceatur.

Partis primæ Cap. primum Hellenismum late patentem, & omnes prope gentes complectentem, simul vero natam paulo post distinctionem Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, hujusque origines, puritatem doctrinæ ad Seculum V conservatam, rituum simplicitatem, disciplinæ & exercitiorum integritatem ita tradit, ut merito Ecclesia Græca Filia Apostolorum primogenita dicatur. Caput II de prolapsione illius, erroribus, rituum multitudine, corruptione disciplinæ, misero Sacerdotum Præsulumque statu refert, inserto accurato Episcopatuum per omnes Provincias Catalogo: de ambitione porro Præsulum, Laicorum impietate ex nimia prosperitate nata, de ceremoniis e superstitione Judaica haustis, de contentionibus & Sectis Nestorianorum, Eutychianorum, Jacobitarum, Armenorum, Monothele-

p. 6.

p. 32 & seqq.

theletarum, Maronitarum, Habeſſinorum, Coptitarum, Mahumedanorum: quæ omnia ex optimis quibusque atque rariſſimis vetuſtis æque ac recentioribus Scriptoribus, prudenti ſelectu habito, hauriuntur. Ad calcem capitis de damno Theologiæ
p. 115. Scholaſticæ, aliis etiam integerrimis Viris dudum deplorato, memoratu digniſſima adjunguntur. Capite tertio magna diligentia lites Eccleſiæ Græcæ cum Romana de Paſchatis celebratione per Victorem Pont. Rom. excitatæ, de Primatu ambabus partibus expetito, & a Joanne Jejunatore flagrantius deſiderato, ſed a Gregorio M. repreſſo, & nihilominus tamen paulo poſt a Romanis Pontificibus arrepto: tum turbæ Iconomachicæ, & Photianæ, per Michaelem Cerularium revocatæ: fraudes Pontificum R. in Expeditionibus Sacris ſatis detectæ: unionis conſilia Florentiæ agitata, ſed a Græcis ſpreta: Huſſitarum amicitia Græcis expetita, eorundemque cum Melanchtone &
209. Tubingenſibus literarum commercia: Cyrilli Lucaris geſta, fata, viciſſitudines: ejusdem in Sectam Reformatam ſtudia infelici tandem exitu terminata: Cyrilli Contari vita moresque infames: Parthenii in Reformatos odia: Religionis Reformatæ apud Moſchos incrementa Græcis inviſa, liberiusque exagitata, et Conciliationes a Romanis Græcis oblatæ, exponuntur. Caput IV ſedulam ſibi contemplationem poſcit, quandoquidem tradit, qua ratione in lectione librorum ad cognoſcendum Eccleſiæ Græcæ ſtatum facientium ſit verſandum: tum quod judicium ferat Noſter, quid de confeſſionibus Græcorum ſit ſtatuendum, quotque earundem hodie extent.

Parte ſecunda Capite I veterum recentiorumque Græcorum de Scriptura S. ſententiæ panduntur, veteribus Græcis Scripturam S. vernaculæque uſum præferentibus, recentibus ita a majorum more alienis, ut Concilia & Traditiones admittant vel præferant, linguam ignotam tolerent, quin etiam Laicos ab Oraculorum S. lectione plane prohibeant. Caput II amborum ſententias de SS. Trinitate, Divinitate Chriſti, duarum naturarum adoratione, de Angelorum ſanctarumque imaginum cultu ſiſtit, et quantum recentiores in objecto cultus religioſi aberraverint, oſtendit. Cap. III doctrina eorum de imagine Dei

in

Digitized by Google

in homine, de Peccato, Lege, Libero Arbitrio, quamque ea hodie ſit obſcura, nec ſatis legentibus pervia, enarratur. Capite IV oſtenditur, Officium Servatoris Mediatorium a Græcis modernis minus recte explicari, dotesque per Chriſtum in nos derivatas, per requiſitionem bonorum operum & ſatisfactionis a parte hominis quodammodo labefactari. Cap. V doctrinam Græcorum recentiorum de Gratia Vocationis, Illuminationis, Regenerationis, Juſtificationis, Sanctificationis, ambiguam & omnibus prope contendentium partibus acccommodatam ſiſtit. Cap. VI doctrinam veterum & novam de Mediis Gratiæ ſeu Sacramentis, eorumque occultatione, de Sacramentis itidem Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis, Pœnitentiæ, Matrimonii, Baptiſmi Hæreticorum, infantum, ejusque dilatione, ſub SS. Trinitatis nomine adminiſtratione, neceſſitateque: de Sacramento Cœnæ etiam infantibus dando, Communione ſub utraque, aquæ mixtura, reali præſentia, frequenti uſu, virtute & ſacrificio edifferit, recentiorum errores autem expugnat. Caput VII Pœnitentiæ & Fidei dogmata explicat, a quibus recentiores defeciſſe, oſtenditur, ideo quod pœnitentiam liberi arbitrii viribus adſcribant, partes ejus parum accurate conſtituant, temereque augeant, fidem vero plane excludant. Cap. IIX, quid de Eccleſia ſentiant, declarat: caput nempe illius eſſe Chriſtum non Pontificem, Eccleſiæ ſigna Verbum & Sacramenta, Mahumedem Antichriſtum. Cap. IX de Mortuorum Reſurrectione, Vita æterna & Damnatione inſcribitur, quibus Articulis recentiores medium animæ ſtatum, interceſſionem pro mortuis, quietis æternæ usque ad diem Judicii procraſtinationem addiderant. p. 145. §. 16.

Pars Tertia publicum cultum & ritus deſcribit: unde Capite I varia Clericorum nomina dignitatesque cum veſtitu cuique proprio accurate explicantur. Cap. II loca ſacra, & templa depinguntur, Seculo ſecundo nota, ſplendore poſt Conſtantini M. tempora vero aucta. Accedit delineatio altarium, enumeratio reliquiarum, effigies amborum Baptiſteriorum, Portarum, Organorum & ſi quæ alia ſcitu memoratuque digna. Cap. III de Feſtis Judæorum & Chriſtianorum, de die Solis ejusque cultu, Feſto Paſchatos, Pentecoſtes, Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Diebus Martyrum, Demetrii, Chryſoſtomi,

ſtomi, Hebdomadis Sacræ aliisque agitur. Cap. IV de Conventibus, Cantoribus, Cantionibus, Lectionibus, Concionibus, Eleemoſynis, Precibus. Cap. V de Ritibus in adminiſtratione Sacramentorum paucis olim, mox in immenſum per aquæ conſecrationem, execrationem, unctionem, ablutionem auctis, deq; inſtrumentis ad aram adhibitis, de Miſſa variarumque precum farragine, Proceſſionibus, Communione Laica, et aliis tractat. Cap. VI Jejunia, Monachatus originem ejusque inſtituta incrementaque e regulis Baſilii, ſcriptisque Chryſoſtomi, veſtes itidem, vigilias, præcipuaque hujus ævi Monaſteria apud Moſchos Turcasque celebria, ſigillatim enumerat. Caput VII ritus nuptiales & exequiales exhibet. Caput IIX abuſus, triſtes equidem & menti pariter ac corpori graves nec ſine ludibrio tolerandos, attamen ſcitu neceſſarios, ſiſtit. Appendix 1 Judicium D. Gerhardi Titii de Eccleſia Græca, 2 Literas ineditas, 3 Relatio-
p. 30. nem de Secta Capetonianorum, 4 Compendium Epiſtolæ Richardi Simonis de Artibus Cleri Gallicani, Synodum Hieroſolymæ adverſus Reformatos in Gallia cogentis, 5 Synodum adverſus Joannem Caryophyllum Logothetam, 6 Confeſſionem Græcorum ad Romana caſtra ſeſe conferentium, 7 Catalogum librorum ad Eccleſiæ Græcæ cognitionem pertinentium, complectitur. Quæ cuncta Lectoribus gratiſſima futura, certo nobis perſuademus.

NOVA LITTERARIA.

IN Diarii Veneti Tomo VI Anno ſuperiori edito hæc potiſſimum annuntiantur. Bononiæ A. 1711 prodiere *Sonetti e Canzoni di Luigi Tanſillo*, nec non *Rime di M. Giovan Girolamo de Roſſi*, cum vita Autoris. Eodem anno Cremæ Carolus Franciſcus Cogroſſi, Philoſophus & Medicus, Etruſco idiomate Conſiderationes quasdam Phyſico-Mechanico-Medicas de uſu corticis Peruvienſis, Chinachina dicti, per Epiſtolam vulgavit, addiditque de febribus & febrifugis obſervationes. Finalii, quod eſt in Ducatu Mutinenſi, Julius Roſſi ingens Opus prelo paratum habet, aliquot Voluminibus imprimendum, quæ quanquam maximam partem contineant Juridica ſpectentque imprimis ad criminalia & feudalia, multa tamen & complectantur, quæ ad Theologiam, Medicinam tam ac diſciplinam moralem pertineant.

Lucæ

Lucæ Joſephus Durini de Balneis Lucenſibus tractatum Chymico-Medico-Anatomicum edidit Italice, in quo longius ab aliorum opinionibus hactenus receptis abit. Mantuæ Cœleſtini Sfondrati Cardinalis *Gallia Vindicata* denuo recuſa prodiit, & Joannis Pauli Meli, JCti, qui *Allegationum* & *Obſervationum* Volumina edidit, *de Jure offerendi* libellus mox lucem aſpiciet, quem Antonii Gobi, Præſidis Senatus Mantuani, *Conſultationum deciſivarum* Tomus II, hactenus ineditus, excipiet. Mediolani Baſilii Bertucci, Poetæ noſtri temporis haud poſtremi (d. 18 Martii A. 1705 defuncti) prodiit nuper poema dithyrambicum poſthumum ſub tit. *Bacco in Monte di Brianza*, quo occaſione vicini montis Amicorum quorundam laudes eleganter decantavit. Mutinæ doctiſſimus Muratorius Petrarchæ Poemata integra e Bibliotheca Eſtenſi, una cum ſuis & Alexandri Taſſoni atq; Hier. Mutii uberioribus notis, vulgavit. Neapoli Vir politiſſimus Nicolaus Parthenius Giannettaſius, cujus Poemata aliaq; ſcripta Latina ſæpius commendavimus, *Hiſtoriæ Neapolitanæ* Tomos III propemodum prelo abſolvit, in quibus res usque ad mortem Caroli II Regis Hiſp. deduxit: promittit vero & quartum, reliqua ad noſtra tempora comprehenſurum, qui poſt pacem demum lucem adſpiciet. Romæ Paracleti Fuſci, Cornetani, Epiſcopi, Acernenſis (qui ſub Paulo II vixit,) Satyræ XVII Latinæ, quas cum Horatianis elegantia certare ajunt, in veteri codice repertæ, prelo ſubjicientur; prodiit vero ibidem Dominici Barnabæ Matthæi de veteri Tuſculo liber elegans ſub tit. *Memorie Iſtoriche dell antico Toſcolo, oggi detto Fraſcati*, in 4. Auguſtæ Taurinorum Jo. Fantoni Med. D. & in Taurin. Acad. Anat. Prof. *Anatomia corporis humani ad uſum theatri accommodatæ Pars I, in qua infimi & medii ventris hiſtoria exponitur*, & Jo. Baptiſtæ Bianchi *Hiſtoria hepatis in anatome & morbis dilucidata*, A. 1711, 4 prodiere, atque ille quidem nunc in eo eſt, ut ſecundam etiam Anatomiæ Partem, nec non *de prima fœtus reſpiratione* opus curioſum, prodat, hic vero Hiſtoriam generalem hominis, tum in ſtatu naturali tum morboſo conſiderati, opus aliquot voluminum, molitur. Illic & Cl. Abbas Ferreri, qui A. 1702 Arborem gentilitiam Principum Sabaudiæ vulgavit, Hiſtoriam Auguſtæ Taurinorum

norum prelo ſubjicere parat; et Paulus Bernardus Calvus, Chirurgus, qui jam pridem Chirurgiæ Partem I de tumoribus edidit, nunc Partem II de vulneribus procudet. Denique tacere non poſſumus, ex Monte Regali, urbe Siciliæ, nuntiari, Virum doctiſſimum Michaelem del Giudice (cujus *Annotationes ad Auguſtini Inveges Apparatum Præliminarem ad Annales Siciliæ* Panormi 1709, 4 prodiere) tres Tomos *Scriptorum Rerum Sicularum* imprimendos publice offerre Typographis, quorum priores duo hactenus ſparſim edita, Fazelli nempe, Aretii, Nigri, Ritii, Falcandi, Curopalatæ, Malaterræ, Fulconis Benevent. Alexandri Abb. Cœl. Romualdi, Richardi a S. Germano, Beſoldi, Valguarneræ, Gualterii, Cluverii & Theodoſii Diaconi opera, tertius vero inedita comprehendet, qualia ſunt Bartholomæi Neocaſtrenſis *Hiſtoria Siciliæ ſub Carolo Andegavenſi & Petro Arragonio*, tum Nic. Specialis *Hiſt. Siciliæ ad A. 1555*, ut & Simeonis Leontini *Chronicon Regni Siciliæ* & quædam Anonymorum *Chronica*, nec non ipſius Editoris *Breve Chronicon omnium Siciliæ hiſtoriarum a Diluvio ad noſtra tempora*, *Continuatio* item *hiſtoriæ Fazelli* & *Citationes locorum omnium, ubi de re aliqua Sicula Autores ſcripſerunt.*

LIBRI NOVI.

THe Rights of the Clergy of the Chriſtian Church; *by* Tho. Bennet. *London, for James Knapton*, 1711, 8.

A Vindication of the Church of England from the Aſperſions of a Late Libel intiled: Prieſtcraft in Perfection; *by a Prieſt of the Church of England. Lond, by W. B. for R. Wilkin*, 1710, 8.

The true Churchman and Loyal Subject. Lond. for J. Morphew, 1710, 8.

Sacerdotal Powers: or the Neceſſity of Confeſſion, Penance and Abſolution; *by the Author of* Lay Baptiſm invalid. *Lond. for H. Clements*, 1711, 8.

The Diſſenters repreſented and condemnd by themſelves on the Points of the vocation of their Miniſtry, the Conſtitution of their Churches and their Separation from the Church of England. Lond. for H. Clements, 1710, 8.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii, Anno MDCC XII.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ & cujuscunque generis Acta Publica Anglicana; cura THOMÆ RYMER.

Tomus IX.

Londini, apud A. & J. Churchil, 1709, fol. Alph. 10 plag. 5.

Recensuimus ultimo loco M. Jun. 1711 p. 239 Tomos VII & VIII & cum iis Henrici IV Historiam absolvimus, nunc ad Henricum V progredimur, qui rebus domi forisque gestis immortale nomen meruit. Is *pace Regis* ex more *proclamata*, peractaque Coronatione, ad Testamentum paternum curas convertit, in quo, constitutis quibusdam executoribus, de bonis relictis creditoribus prius sui satisfieri jusserat, quam legatariis aliquid dinumeraretur, vel piis causis impenderetur. Ast cum ad hæc omnia Regis bona non sufficerent, & executio adeo testamenti impediretur, bonaque proinde venditioni publice exponi deberent; Henricus V ea æstimatione facta ad se recipit, executoribus dictis pretium illorum solvere promittens, ut inde pro debitis a patre contractis satis fiat. Fervebat eo tempore in Anglia negotium religionis, quod acriter adversus *Wiclefitas*, vel, ut tum communiter appellabantur, *Lollardos* agitabatur. Celebris est inter hujus sectæ homines *Johannes OldCastellus*, miles, ad quem quæ pertinent, paulo accuratius ex Archiepiscopi Cantuariensis epistola ad Episcopum Londinensem enarrabimus. Accusabatur ille, quod protegat, defendat & recipiat hæreticos, in certis quibusdam Diœcesibus eos ad prædicandum transmittat, & prædicationibus inter-

Pag. 1. 9. 46. 61.

interſit, gladii etiam ſecularis potentia contradictores compeſcat, de Sacramentis, altaris nempe & pœnitentiæ, peregrinationibus, adorationibus imaginum & clavibus aliter ſentiat, quam Eccleſia Romana. Attamen, quoniam Regis erat familiaris, ad ipſum primo rem deferebat Archiepiſcopus, & cum hic privata commonitione nil profeciſſet, citabatur ad Præſulem. Reus vero nuntium, qui citationem ferebat, ad ſe non intromittere, quapropter per edictum citatio bis repetebatur, nec tamen prius comparebat, quam Regis juſſu captivus adduceretur. Ibi fidei ſuæ confeſſionem editurus, teſtabatur, primo *ſe nunquam aliter induxiſſe in animum, quam ut firma fide omnia Dei Sacramenta amplecteretur, quæ ab ipſo ad uſum ſuæ Eccleſiæ ſint tradita.* Dein de *Sacramento Altaris* profitebatur, credere ſe, quod *illud exiſtat corpus Chriſti ſub panis ſpecie, & quidem id ipſum, quod a Maria natum, pro nobis crucifixum ſit* &c. De *pœnitentiæ Sacramento, apprime neceſſariam ad ſalutem peccatricis vitæ correctionem, talemque ſubeundam pœnitudinem ex vera confeſſione, indiſſimulata contritione, legitimaque ſatisfactione, qualem divinæ præſcribant literæ.* De *imaginibus, eas non meræ fidei eſſe, ſed permittente Eccleſia in uſum irrepſiſſe, ut laicis ſubſerviant pro Calendario, cujus admonitu pia exempla facilius reminiſcerentur. Ceterum ſiquis ſimulacris eum cultum exhibeat, qui ſoli Deo debeatur, eum criminaliter peccare in Deum.* Denique de *peregrinationibus* ad loca ſancta ſtatuebat, ex iis nec ſalutem exſpectandam impingentibus in præcepta Dei, nec juſte viventium beatitudini earum intermiſſionem ullo modo obeſſe. Cum ita mentem ſuam declaraſſet Old-Caſtellus, nonnulla vero adhuc obſcura viderentur judicibus, qui ulteriorem eorum explicationem urgebant, ille, *ſe aliter prædicta declaraturum,* negabat, quin etiam paulo poſt haud obſcure prodebat, *ſe autoritatem Papæ, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum cæterorumque Eccleſiæ Prælatorum in determinandis rebus fidei haud admittere.* Ad hæc, cum judices mora conceſſa ipſi certos quosdam Articulos proponerent, quibus poſt aliquot dies reſponderet, is ſpatio hoc elapſo tanta cum conſtantia comparuit, ut abſolutionem Eccleſiæ offerenti Cantuarienſi diceret, *quod nullam in hac parte abſo-*

abſolutionem peteret ab illo, ſed a ſolo Deo. Et tum quidem *transſubſtantiationem* diſerte negavit, addens, aut S. Eccleſiam ita de hac re non ſtatuiſſe, aut ſi ſtatuerit, feciſſe contra Scripturam. Ad *pœnitentiam* confeſſionem coram ſacerdote minime requiri, ſed ſola contritione peccata poſſe deleri. *Adorationem* S. Cruci haud præſtandam, ſed ſoli Domino, qui ab ea pependerit, *Papam* denique eſſe *Antichriſtum* & quidem caput ejusdem, Archiepiſcopos, Epiſcopos & Prælatos membra, fratres caudam. Hac iterum edita Confeſſione, alta voce manibus expanſis alloquendo circumſtantes dixit: *Iſti qui judicant & volunt damnare me, ſeducent vos omnes & ſe ipſos, & vos ducent ad infernum, ideo caveatis ab eis.* Hoc facto demum ſententia excommunicationis adverſus eum lata, ipſeque ut hæreticus judicio ſeculari fuit relictus. Videtur tamen poſtea e carcere dilapſus, ſiquidem Rex illi, cujus conſilio vel indiciis Old-Caſtellus captus fuerit,
500, ei vero, qui capiat ipſe, 10000 Marcas, civitati autem vel villæ Pag. 89.
per quam detentus fuerit, immunitatem a tributis pro pretio
proponit. Sicut autem plerumque in religionis reos civilia 119, 129, 170,
quoque crimina conferuntur, ita Lollardis etiam accidebat, qui 193.
de totius regni perturbatione, cæde Regis fratrumque cogitaſſe & Old-Caſtellum Regentem regni conſtituturi ferebantur, quibus tamen plerisque veniam rex concedebat. Eodem 300.
tempore inteſtina in Comitatu Suthamptoniæ adverſus Regem conjuratio fuit detecta, cujus rei agebantur Richardus Cantabrigiæ Comes, Comes Marchiæ, Henricus Scrop & Thomas Grey. Ibi quantum ex confeſſione Cantabrigienſis Anglicis ejus ævi verbis concepta licet percipere, conjurati partim Richardum Regem adhuc vivum fingebant, partim Marchiæ Comes ſe Angliæ hæredem proclamari volebat, Henricum Regem publice *Harry of Lancaſtre, Uſurpur of Yngland* appellans, & in ſignis militaribus Anglici regni inſignia pariter ac coronam Hiſpanicam, cujus pars, ut alibi vidimus, a quodam Lancaſtriæ Comite vindicata fuerat, picta habens. Denique ad re- 730.
formationem abuſuum in Eccleſiaſticis Angliæ negotiis inter Henricum & Martinum V Papam *capitula* quædam *concordata* fuerunt, quorum in numero ſunt, *ut numerus Cardinalium*

S. Romanæ Ecclesia adeo sit moderatus, quod non sit gravis Ecclesiæ nec nimis numerositate vilescat, Cardinales etiam indifferenter ex omnibus provinciis Christianitatis eligantur, porro, *cum indulgentiæ a Sede Apostolica concessæ ad absolvendum quoscunque visitantes vel offerentes certis in locis, plus solito in Anglia abundarent, & peccandi audaciam facerent, ut scandalosæ inter illas omnino suspendantur*, postremo, *ut aliqui de natione Anglicana idonei, ad singula officia curiæ Romanæ assumantur una cum aliis de cæteris nationibus indifferenter.*

Res *Scoticæ* satis quidem tum afflictæ, nihil tamen, præter multiplices de pace & liberatione Regis captivi congressus, sem-
Pag. 417. per quidem inutiles nobis exhibent. Pactum aliquando erat, ut Rex obsidibus datis dimitteretur, sic tamen ut reditum in carcerem aut ingentem pecuniæ summam promitteret, quod post aliquot demum annos factum esse constat. Et licet justo inter Sco-
299, 307, tos & Britannos bello non certaretur, belli tamen specie illi hos
791. subinde terrebant, Delphino quoque Franciæ subsidia contra Henricum mittentes.

Rerum *Italicarum* potissimæ, præter varias cum Genuensibus, Venetis & Lucensibus ob commercia vel pecuniam
49. mutuo acceptam conventiones, hæ sunt. *Roma* per Ladislaum Neapolitanum post initam paulo ante pacem *occupata*. Sic enim expresse Johannes Pontifex scribit Henrico, *eum paulo ante sibi publice & solenniter fidelitatem jurasse & homagium fecisse* &c. *Schisma* per trium Pontificum altercantium depositionem & Martini V electionem finitum, quæ in Concilio Constantiensi
523, 534. non a Cardinalibus solum, verum & a sex viris ex qualibet quinque nationum delectis fiebat, prout literæ Martini & Cardinalium ad Regem testantur, quibus in scriptis *obedientia* vox singularem prorsus, & quantum divinari potest, factionis significatum obtinet. Johannes vero vel, ut alias vocabatur, Balthasar
540. Cossa, A. 1418 adhuc in carcere Ludovici Comitis Palatini nomine Concilii detentus fuit, (cum alii eum 1416 dimis-
667, 767. sum dicant,) ut ex literis Martini ad Wintoniensem Episcopum & Imperatoris ad Comitem Palatinum p. 538 patet. Dein cum *assignari ipsum* Martino *deberi* Concilium decrevisset

A. 1419

A. 1419 in Italiam ductus eſt, ubi ad Caſtrum Felini Parmenſis Pag. 538.
ditionis, in carcerem ſe trahi putans, e cuſtodum manibus dilapſus, Sarzavæ Genuenſi oppido latuit, usque dum a Martino & Florentinis, apud quos tum erat Pontifex, ſalvi conductus literis acceptis, ad Martinum accederet, priſtinæ dignitati denuo renunciaret, ſoloque Cardinalis honore eſſet contentus, quod 701, 705 ſqq.
& Martinus & ipſe Coſſa Regi nuntiant. Denique lectu digniſſima ſunt, quæ de Duce Bedfordiæ per Johannam II Neapolitanam adoptando, tum in literis regiis, quibus aſſenſum ſuum huic negotio præbet, tum in monitis, quæ legatis Britannicis dabantur, *tum etiam in articulis*, *de quibus jam inter* utriusque partis Commiſſarios convenerat, legi poſſunt, quanquam res ipſa nullum ſortita ſit exitum, cum Johanna paulo poſt Alphonſum Arragonium adoptarit.

In *Hiſpania* variæ cum Caſtellanis gliſcebant ſimultates, multis per mare & terram exercitæ rapinis, quæ per Treugas tamen cum Johanne Caſtellano initas A. 1414 componebantur, 105.
repetendas etiam, cum nutare videretur amicitia A. 1416 ob fœ- 419.
dus a Caſtellenſibus cum Gallis initum, quanquam firma pax inter eos non fuerit, prout ex mandato Henrici A. 1419 edito patet, 702.
qua copiæ colligi jubentur, contra claſſem quæ adverſus Anglos in Hiſpania parari nunciabatur. Aſt cum Arragonio Ferdinan- 293 ſqq.
do plane de fœdere tractatum, & matrimonium etiam a Rege, cum Maria Ferdinandi filia ineundum, propoſitum. Hic inter monita Henrici ad legatos ſuos obſervatur, quod, cum Angli Reges Romanorum & Caſtellæ excepiſſent, id minime ab Hiſpanis conceſſum, quoniam ipſi unum ſolum Caſtellæ regem exceperint, quapropter liberum Ferdinando facit Henricus, ut & ipſe alterum excipiat, dummodo non ſint Franciæ vel Scotiæ Reges. Eadem actio cum Alphonſo ſucceſſore Ferdinandi A. 1416 repe- 410.
tita. Attamen in Conſtantienſi Concilio lites inter Arragonios legatos & Anglos de *prioritate* oriebantur, quibus Hiſpani Be- 439.
nedicto XIII addicti Concilium rumpere voluiſſe videntur, prout ex Epiſtola cujusdam R. A. ad Epiſcopum Dunolmenſem patet, quæ cum varia in Concilio geſta contineat, legi prorſus meretur. Cum *Luſitanis* fœdus jam dudum habebant Angli re- 17.

petitum etiam a Johanne I Notho, vi cujus fœderis pacem quoque cum Castellanis fieri postulat alicubi Henricus, cum Treugis inter Lusitanos & Castellanos factis inclusi sint utriusque partis fœderati.

Pag. 16. In *Germania* Constantiense tum Concilium celebrari incipiebat, ad quod splendidam omnino legationem mittebat Henricus. Sed præterea cum Principibus Germaniæ majorum exemplo amicitiam colebat satis arctam. Primum inter eos locum obtinet ipse Sigismundus Imperator, cum quo et ante fœdera pangere constituerat, & post arctius contrahebat, cum Si-
155, 168. gismundus Angliam Concilii causa adiret, quo tempore, cum
339. tot labores ad promovendum istud subiret Imperator, publicis
372. pro ipso precibus in Anglia oratum est. Ipsum vero fœdus
377. Cantuariæ factum A. C. 1416, adversus Galliæ Regem imprimis, qui & Schisma fovisse & Sigismundum pariter ac Henricum vana pacisspe delusisse accusabatur. Inde firma inter duos Reges amicitia videtur fuisse, quam publice in Constantiensi Concilio declaravit Sigismundus, *Robam Garteriorum cum collario Regis*,
434. sive insignia ordinis equestris a periscelide nominati publice, cum alta missa celebraretur, gestans, & alias etiam in multa gratia Anglos habens, ut orator Regis Joh. Forester scriptis propterea literis testatur. Quin serio plane propositum habebat cum armata Germanorum, Bohemorum & Ungarorum manu ad
604. Henricum in Galliam ire, quod ipse declarat literis ad Electores datis, quos Trevirim convocat, quo cum iis de Imperio ante discessum queat colloqui. Henricus vero etiam matrimonium inter fratrem suum Ducem Bedfordiæ & quandam Imperatoris consanguineam contrahi volebat, qua de causa legatos ad Frideri-
710, 711. cum Norimbergensem Burggravium de filia sua rogandum destinabat, quibus iisdem tamen eadem eodem die ad Ducem Lotharingiæ mandata dabat. Præter Imperatorem alii quoque
343, 346. Principes Germaniæ Anglis se adjunxerunt. Nominatim Coloniensis Archiepiscopus accepta pecunia annua *mille Nobilium* homagium Henrico præstitit & fœdus contraxit, ad præstandum Regi, quotiescunque opus fuerit, ducentorum militum au-
715. xilium. Idem dein Moguntinus etiam & Trevirensis Archiepiscopi

piſcopi fecere. Quin imo legatis ſuis ad Concilium Conſtantienſe mandatum dederat Rex, tractandi cum omnibus Germaniæ Principibus pariter ac cum Hanſeaticarum urbium ſocietate. Inveniuntur etiam hoc in Tomo varia, quæ Ludovicum Palatinum Electorem concernunt, documenta, quo pertinet confirmatio dignitatis Electoralis & quorumcunque Jurium ipſi & Succeſſoribus ſuis *Laicis duntaxat* a Sigismundo Aquisgrani ipſo coronationis die facta. Quantacunque tamen fuerit Ludovici hujus apud Imperatorem gratia, neutiquam fuit conſtans. Accuſabat Sigismundus Electorem, ab eo ſe impeditum, quo minus Anglo adverſus Gallos ſubveniret, et omnino Ludovicum adverſus ſe fœdera clam iniviſſe, repetebat etiam ab eo Balthaſarem Coſſam, quem, ut ſupra vidimus, ipſemet antea Martino Papæ tradi juſſerat, de quibus omnibus coram Henrico Rege ſe purgat Ludovicus. Omnis tamen hæc ſimultas inde videtur orta, quod Elector oppidum quoddam *Sels*, hodie Seltz dictum, in Alſatia inferiore pignoris loco a patre Ruperto ſibi datum in poteſtatem ſuam redegerat, quam tamen urbem cum aliis ita Imperio addixerat Sigismundo, ut nullo modo vel titulo in alterius Domini manus venire poſſet, quem in finem omnes anteceſſorum ſuorum literas huic privilegio adverſas reſciderat.

Pag. 412 ſqq. 172 ſqq. 605 ſqq. 661.

In *Belgio* cum Burgundiæ Duce, quantum ad Flandriam, in mercaturæ ſecuritatem Treugæ continuatæ. A Johanne quoque Bavaro Leodienſi Epiſcopo, qui poſt mortem Wilhelmi Hollandiæ Comitis hæreditatem ejus adverſus Jacobam filiam & Johannem Burgundum maritum appetebat, Imperatore etiam juvante, de auxilio imploratur Henricus.

476, 760, 779, 843. 566, 580.

Nihil vero Henrici hujus regimen majori gloria auxit, quam res in *Gallia* omni ſpe præclarius geſtæ. Sub initium quidem regni confirmabantur A. 1413 treugæ olim inter Richardum II & Carolum factæ. Quo tempore Carolus Henrico prolixa Epiſtola ſeditionem Pariſienſium adverſus ſe narrat, rebelleſque, ſi qui forte in Angliam confugerint, capi petit. Novæ & ampliores treugæ factæ A. 1414, ubi inter utriusque partis legatos primo non ſatis conveniebat de lingua, qua ſint ſcribendæ, volentibus Anglis communem ſive Latinam, Gallis ſuam deponentibus,

35, 56. 51. 91--104, 131, 140 ſq. 151, 166, 182 ſq. 186 ſq.

ſcentibus, donec in utriusque uſum conſentirent. Agebatur hoc negotium Londini, poſt quod Henricus legatos in Galliam deſtinabat & ad pacem omnino confirmandam & ad matrimo-
Pag. 136 ſqq. nium cum Catharina Caroli filia contrahendum. Quam in rem
142. inprimis cum Johanne Burgundiæ Duce, qui tum apud Gallos omnia poterat amicitiam inire nititur, legatosque mittit, qui homagium ab eo, tanquam vaſallo & ligio ſuo accipiant. Licet
196 ſq. vero ſub initium A. 1415. Treugæ prorogarentur, quo com-
205 ſqq. modius de pace colloquia fieri poſſint, tamen, cum Angli omnia olim a Johanne in Bretiniacenſi pace Eduardo IV conceſſa reſti-
222. tui, magnamque præterea pecuniæ ſummam ſolvi poſcerent, Gal-
262. li vero parum concederent, bellum ab Henrico decernebatur.
313. Ipſe igitur A. 1415 menſe Auguſto, cum novæ quoque Treugæ in menſem factæ exſpiraſſent in Galliam tranſit, Harflerioque (Harfleur) occupato, Delphinum ad duellum provocat, quo omne bellum terminetur, ea conditione, ut ipſe, ſi victor diſcedat, permiſſurus ſit, Carolum Patrem regia dignitate per vitam frui, quo tamen mortuo ſibi cedere Gallia debeat. Quod vero Delphinum provocet, expreſſe propter infirmitatem patris factum ſcribit. Irritum vero fuit hoc tentamen, & paulo poſt
362, 365. ad Agencurtium Galli acerrimo prœlio profligati. Poſt illud cum Sigismundus Imperator & Comes Hollandiæ pacem conciliare niterentur, & propter hoc ipſi in Angliam proficiſcerentur, Galli tamen, dum hæc agerentur & Harflerium obſidebant, & illi etiam Magnates, quos captivos tenebat Henricus, conſen-
375. tire in pacis conditiones renuebant. Quapropter a Duce Bedfordiæ denuo ad dictum oppidum prœlio navali ſunt ſuperati.
390 ſqq. 451. Interea Dux Burgundiæ Anglorum partibus accedit, Henricumque ſe pro Domino ſuo Ligio habiturum promittit, ſimul-
397. ac majorem Galliæ partem in poteſtatem ſuam redegerit. Dein
423 ſqq. menſe Octobri 1416 aliquot menſium fiunt induciæ Caleti. Tum vero Magnates, quos e prœlio habebat captivos Rex, multa de pace agunt, ſed nemo magis Burboniæ Duce, qui eo usque procedebat, ut agnoſceret, æquum poſtulari a Rege, petente,
42 ſqq. quicquid olim in *pace*, quæ *magna* dicebatur, erat conceſſum, et proinde ſalvum in Galliam diſceſſum peteret, ut eam pacis conditionem

ditionem validius urgeret, pollicitus, Gallo non consentiente, se in Henrici partes transiturum, prout Rex schedula propria manu scripta & ad quendam *Tiptift* missa nunciari præcipit Imperatori. Anno 1417 cum paciscendo nihil proficeretur, in Galliam denuo revertitur Henricus, quam cum attigisset, per Epistolam primo Carolum, ut bellum vitet, hortatur, totam dein Normanniam capit, & cum Duce Britanniæ Treugas init. Interim bello licet grassante, de pace tamen rursus agebatur, convenientibus ab utraque parte legatis Bernevillæ, Papa etiam nuncios suos ad stabiliendam concordiam mittente. Incipiebatur etiam cum Delphino tractari, quam in rem mandata secreto legatis data legi merentur, pariter ut *Diarium actorum in tractatibus cum Delphino Alenconii*, ubi dies quindecim variis altercationibus consumti, neutra parte satis sincere cum altera agente, sic ut appareat tamen, quantum concessurus fuerit Delphinus ob turbas in Gallia intestinas ex imbecillitate patris ortas, dummodo de promissorum impletione satis securi potuissent esse Britanni. Pollicebatur tamen spe pacis Henricus Delphino, se intra certum temporis spatium cum Burgundiæ Duce, gravissimo Delphini adversario, fœdus non facturum, quippe quæ simultates Delphinum ad urgendam pacem maxime compellebant, testantibus ipsius ad Regem literis, quibus & coram cum Henrico colloqui optat. Dein cum nomine Gallici Regis denuo legati de pace ad Pontem Arcuensem (Pont-de l'Arche) cum Anglis convenissent, suborta lis est de idiomate, quo tractatus sint instituendi, Anglis Gallicam linguam, quam illi solam volebant, ipsi vero se non satis intelligere profitebantur, plane respuentibus. Tandem per Cardinalem Ursinum res eo deducta, ut in duas consentirent scripturas, Gallicam & Latinam, hanc vero pro judice ambiguitatum in illa occurrentium declararent. Post per turbas, quæ inter Delphinum & Burgundiæ Ducem agitabantur, nova rerum facta mutatio, sic ut jam illius nulla amplius haberetur ratio, sed ipsi inter se Reges mutuum colloquium decernerent, cui si Gallus ob morbum interesse nequiret, Regina tamen cum Catharina filia & Britanniæ Burgundiæque Ducibus sola interesset. Quæ postulata dein sint a Gallis, quæ ab An-

[Margin: Pag. 482. — 511. — 517. — 558. — 628. — 632-645. — 646. — 647. — 655-659. — 717 sqq. 751. 756. — 762, 763, 767 sqq.]

 glis

glis reſponſa, loco ad marginem citato legi poſſunt. Interim novæ ſubinde moræ pacis negotio injiciebantur, ſuperveniente potiſſimum cæde Burgundiæ Ducis, aſtu a Delphino decepti,
Pag. 816. poſt quam omnino Anglis ſe addicebat ejus filius Philippus.
818. Inibantur induciæ generales per Franciam, exceptis Delphini di-
825, 840. tionibus, fœdusque inter Burgundum & Henricum adverſus
847. Delphinum coaleſcebat. Rothomagi vero A. 1420 Henricus monetas cudi curabat, minores quidem tribus liliis inſignitas, cum inſcriptione, *Henricus Francorum Rex*, majores cum inſignibus Galliæ & Angliæ, inſcripto titulo, *Henricus Dei gratia Rex Franciæ & Angliæ*; illis præterea ſolenne illud Gallorum, *Sit nomen Domini benedictum*, his hæc verba, *Chriſtus vincit*, *Chriſtus re-*
895. *gnat*, *Chriſtus imperat*, impoſita. Denique Trecis Regina Galliæ cum Burgundiæ Duce nomine Caroli & Henricus conveniebant menſe Majo A. 1420 & pacem firmiter concludebant, cujus hæ potiſſimæ conditiones, ut Catharina Caroli filia Henrico matrimonio jungeretur, Carolus per vitæ tempus dignitatem regiam teneret, ita tamen ut, ipſo per imbecillitatem impedito, Henricus omnia regni negotia adminiſtraret, & poſt mortem Caroli imperium Galliæ in eum vel hæredes ejus transfer-
907. retur, excluſo penitus Delphino. Titulus Henrici, quoad Carolus viveret, hic erat: *Henricus Dei gratia, Rex Angliæ, Hæres*
909, 910. *& Regens Regni Franciæ, & Dominus Hiberniæ*, quæ appellatio
920. ſtatim ipſi a Duce Lotharingiæ & Pariſienſibus tributa, & monetæ poſt etiam fuit inſcripta.

THE WORKS OF DR. EDWARD STILLINGFLEET.
i. e.
D. EDUARDI STILLINGFLEETI, EPISCOpi Wigornienſis, Opera omnia.
Volumen III.

Londini, apud Henr. & Ge. Mortlock, 1710, fol.
Alph. $11\frac{1}{2}$.

POſt *Origines Britannicas*, *ſive Antiquitates Eccleſiarum Britannicarum*, de quibus diximus in Actis Erudit. Anni MDCLXXXVIII,

Digitized by Google

MDCLXXXVIII, p. 24, comparet hic *Dissertatio de Satisfactione Christi*, Crellio potissimum opposita. Eam jam A. 1669 prima vice publicatam, secundis curis revisam ediderat Stillingfleetus A. 1697, addita imprimis luculenta satisque prolixa Præfatione, qua adversus nonnullas Socinianorum Anglorum schedas evincit, non desiisse a nobis dissentire Socinianos in hoc capite, neque mutationibus phrasium, partim in recentiori Stavropolitana Catechismi Racoviensis editione, partim per alia paulo magis recentia Socinianorum scripta admissis, ita consultum fuisse sanæ circa hunc articulum doctrinæ; ut integrum nobis esse possit hanc cum ipsis controversiam vel negligere, vel etiam pro logomachia damnare. In ipso Tractatu Cap. I in genere statum controversiæ format. In illo vero nimium quantum errare, bonamque causam prodere eos censet, qui satisfactionem, pro qua pugnant, Servatoris rei plane ejusdem, quam nos peccatores præstare oportebat, præstationem esse contendunt. Cumque id fiat eo, quod obligationem rei ad pœnam cum obligatione debitoris ad præstandum debitum confundant hi pariter orthodoxi, ipsique Sociniani, hinc duarum obligationum distinctas rationes exacte edisserit, monstrando partim earum diversam causam, quæ in debitis quidem sit dominium & proprietas, in pœnis vero justitia & autoritas legislatoria, (ut proinde ne in divinis quidem jus puniendi pendeat a solo dominio,) partim diversum finem, qui in debitis non sit alius, nisi compensatio, in pœnis vero præter compensationem bonum publicum, exemplique autoritas. Unde gravissime castigat Crellium, qui finem pœnarum existimat esse ultionem, h. e. solatium ex alieno dolore, ad quam cum per se & legitime quidem spectare contendat Crellius affectum iræ, quæ sit ὄρεξις ἀντιλυπήσεως, eamque tantum non eodem modo Deo tribuere non dubitet, hinc, quæ sit vera iræ cum in homine ratio, exponit, tum in Deo, apud quem ira nihil sit aliud, quam justa Dei voluntas puniendi peccata sanctissimæ naturæ suæ contraria, quam sequatur pœna, asserendæ divinæ Majestati læsæ, exemploque inter homines de non temere peccando, ut decet, statuendo destinata. His præmissis, deinde totam controversiam

Cap. I. §. II

Cap. II.

in duas Quæſtiones reſolvit. *Prior* eſt: *An mors & paſſiones Chriſti conſiderandæ ſint tanquam pœna, an tanquam merus actus dominii?* Hoc cum aſſerat Crellius, Stillingfleetus docet, Scripturæ dicta, quæ agunt de Paſſionibus Chriſti in relatione ad peccata, alium quam noſtrum ſenſum non ferre. Examinantur itaque primo phraſes, cum dicitur Chriſtus *portare peccata*, & an earum vim elevet locus Num. XIV, 33 & Hirci Azazelis exemplum, qui dicitur נשא עונית disquiritur. Potiſſimum vero vindicat vim vocis ἀναφέρειν, 1 Pet. II, 24, eaque non ita, ut nos volumus, conſtituta, ſenſu deſtitui verba Petrina, ex ipſa Socinianorum hypotheſi demonſtrat, locumque Eſa. LIII, 11 eandem vim habere, non obſtante v. 4, ejusque citatione Matth. IIX, 17, adduntурque loca Eſ. LIII, 5, 6, 7. Cumque v. 5 מוסר non poſſe ſumi pro punitione παραδείγματος inſtar ſe habente contendat Crellius, monſtratur hanc omnino in noſtra hypotheſi obtinere παραδείγματος vim, nullo modo in Sociniana. Urgentur porro loca, quibus dicitur Chriſtus ἁμαρτία אשם & κατάρα, ac Crellii ſubterfugium, ex 3 Reg. I, 21 futile eſſe probatur, adduntурque tandem particulæ διὰ, περὶ, ὑπὲρ, de paſſionibus Chriſti uſurpatæ. Enimvero cum in confeſſo ſit apud ipſos, noſtræ ſententiæ multo magis favere ἐνέργειαν phraſium Scripturæ, contrariari autem juſtitiæ divinæ, hinc progreditur Noſter ad inquirendum, num ſit injuſtum illegitimumque punire aliquem innocentem præter meritum ſuum loco alterius ſontis.

Cap. III.

Crellio, id aſſerenti, & peccata aliena impulſivam forte cauſam debitæ alioqui alteri punitionis, at certe meritoriam eſſe non poſſe, contendenti, opponit Stillingfleetus conſenſum Gentium in pœnis liberorum ob parentum delicta, nec non vadum obſidumque. Ejus generis pœnas vero dum Crellius mira diſtinctione pro *vere ita dictis*, non item pro *juſtis* habet, docet eas ſufficere finibus omnibus pœnæ, innocentemque hic non conſiderari, qua eſt innocens, ſed quatenus vel proprio arbitrio vel alia juſta cum reo conjunctione ſe ipſum ad ſuſtinendam debitam alteri pœnam obſtrinxit. Afferuntur porro exempla Scripturæ, & ad Ezech. XVIII, 20 reſpondetur, iſtic non pro injuſtis declarari id genus punitionis, ſed ſeveritatis,

Digitized by Google

tatis, qua illæ a Deo in extraordinaria vindictæ adverſus Iſraelem in captivitate exercendæ periodo exactæ fuerant, mitigationem promitti. Cumque adeo in ſe juſta ſit ſubſtitutio innocentis in locum puniendi, eam injuſtam non fieri, ſi eo fine eaque conditione ſuſtineatur, ut ſons liberetur, evincit. *Poſterior* Quæſtio controverſa eſt: *Num mors paſſionesque Chriſti rationem habuerint Sacrificii expiatorii?* Ut hoc probet, tria ad hoc ſacrificium requiſita in morte Chriſti obtinere docet. I Substitutionem victimæ in locum peccatoris, quam probat obtinuiſſe in ſacrificiis V. T. Leviticis, de quibus ante omnia monet, male a plerisque concedi, ea non aliam niſi *Typicam* expiationem peccatori acquiſiviſſe, cum id argumentum Socinianorum, quo contendunt, expiationem in N. T. quoque non eſſe *realem*, ſed tantum *declarativam*, confirmet. Itaque ipſe affirmat, expiationem revera per ſacrificia V. T. fuiſſe obtentam, quanquam non *ſpiritualem*, ſed tantum *Politicam*, & *Eccleſiaſticam* vel *ritualem*, ad quam obtinendam ſubſtitutam fuiſſe animam ſive ſanguinem victimæ pro ſanguine hominis probat ex Lev. XVII, 11 qui locus adverſus Crellium prolixe vindicatur, nec non Num. XXXV, 33. Chriſtum vero nobis ſubſtitutum fuiſſe, cum probent loca, quæ ipſum ὑπὲρ ἡμῶν & ἀνθ' ἡμῶν, imo tanquam λύτρον, pro nobis mortuum eſſe dicunt, eam tamen ſurrogationem non inferre *ejusdem* plane *pœnæ* luendæ neceſſitatem, quod Crellius nobis falſo tribuerit, neque etiam ſufficere vel nudam *ſubſtitutionem*, quam ille concedit, factam eo fine, ut alter liberetur, neque *commutationem*, quæ eſt inter perſonam vel rem *redimendam*, & redemtionis *pretium*, qua excludatur *ſubſtitutio perſonarum*, docet. Sane *redemptionem* non tantum per pretium ſolutum fieri, ſed & per ſurrogationem perſonarum, neque tantum ad captivi liberationem ſpectare, ſed ad quodcunque malum, denique in ea non neceſſario ei, qui detinet captivum vi, ſed potius ei, qui jure & vi legis captivitatem reo impoſuerit, λύτρον numerari docet. II Oblationem victimæ factam Deo in mactatione, ubi probatur, Chriſti ſacerdotium primario reſpicere Deum ejusque reconciliationem, non nos, ex Hebr. V, 1, certumque hoc eſſe, niſi fateri velimus, Chriſtum tantum

Cap. IV.

Cap. V.

Digitized by Google

metaphorice aut, ut verius dicamus, prorſus non eſſe Sacerdotem. Deinde id Sacerdotium exercitum fuiſſe a Chriſto offerendo ſe ipſum in cruce. Sane Eph. V, 2 Chriſtum dici *θυσίαν καὶ προσφορὰν*, & bonum odorem alias quoque expiatoriis tribui, quod negaverat Crellius, non tantum pacificis vel holocauſtis, docetur, & quem influxum *mactatio* victimæ ad *expiationem* habuerit, monſtratur. Tandem oblationem non fuiſſe factam in cœlo demum poſt reſurrectionem, ſed in cruce, neque aliter poſſe accipi in Epiſtolæ ad Hebræos innumeris locis, oſtenditur. Denique ipſam expiationem ſecutam eſſe paſſiones Chriſti, eamque jam in V. T. proprie ſacrificiis fuiſſe tributam, ex notionibus τῶ כפר חטא, *καθαρίζειν*, *ἁγνίζειν* & *ἁγιάζειν*, probatur, eodemque modo ſacrificio mortiq; Chriſti tribui *veram*, non tantum *declarativam*, neque ita, ut per mortem Chriſti omnia ejus conſequentia intelligantur, confirmatur, expiationemque iſtam Hebr. I, 3 tribui Chriſto, antequam aſcenderet in cœlum. Ceterum peccatis expiatis reconciliationem quoque eorum, qui peccaverant, ſubſecutam docet, eamque per *mortem* Chriſti, Rom. V, 10, ſolvitque objectiones a Dei amore mortem Chriſti præcedente erga homines, & a libera gratia Dei adverſus eos petitas. Subjungitur Tractatui Sermo, in 1 Tim. I, 15 eodem de argumento ab Autore habitus, nec non Pars altera Tractatus de ſatisfactione Chriſti, ſcripta a Stillingfleeto occaſione ortarum circa annum 1694 ſqq. apud Presbyterianos in Anglia inter Antinomos & Neonomos controverſiarum. Nempe Antinomi, quos vocabant, imprimis *D. Criſpius* Anteſignanus illorum, contendebant, ſatisfactionem & quæ ejus cauſa facta fuerit a Deo, ſurrogationem perſonarum ita eſſe concipiendam, ut vi ejus electorum *ipſiſſima peccata reatui contradiſtincta, cum perſonali reatu culpæ, pœnæque, ac ipſa turpitudo & macula peccatorum transferretur in Chriſtum*, ut ille æque eſſet peccaminoſus, ac illi ipſi; ſatisfactione vero præſtita, electos eadem perfectione eſſe juſtos, qua Chriſtus eſt juſtus, ut proinde ab illorum parte nulla prorſus ſit conditio fœderis gratiæ: ut remiſſio peccatorum ſit potius conditio fidei, quam fides conditio remiſſionis: ut doctrina de juſtificatione noſtri *ante fidem* ſit vera & genuina, fidesque

Cap. VI.

non

non nisi declarationem justificationis nostræ operetur: ut Deus in credentibus peccatum prorsus nullum videat, neque peccata ulla electis quidquam damni afferant, neque Deus ob illa eis indignari possit. Neonomi contra, quos appellabant, imprimis *Baxterus* & *Williams*, defendebant, Christum non tanquam *peccatorem*, sed tanquam *Mediatorem*, puniri ob peccata nostra, eorumque pœnas sustinere, eoque Deo Patri satisfacere, pœna, inquam, non proprie *meritis ipsius debita*, sed *analogica*, in quantum non ei infligitur, qui eam proprie promeruit. De his judicium rogatus A. 1697 Stillingfleetus primum sententiam priorum damnat, & Antinomianismi mysteria in illa latentia ostendit, inde num posteriorum verba Socinianismo faveant, quod querebantur alteri, disputat, idque diserte negat, etsi ea pars operis non videatur ab Autore ad umbilicum esse perducta. Sequuntur *Vindiciæ pro doctrina de SS. Trinitate*, quas memoravimus in Actis An. 1698 p. 496, iisque succedunt *Responsiones duæ ad Joh. Lockii Vindicationem sui ipsius*, de quibus dictum est itidem in Actis A. 1699 p. 12, 19. Subjiciuntur deinde *Casus Ecclesiastici*, *Ecclesiastical Cases*, &c. duabus Partibus comprehensi. Prior Pars tres *Orationes Synodales* continet ad Clerum Wigorniensem habitas, documenta curæ Episcopalis ab Autore nostro non neglectæ. Prima earum in genere repræsentat officia Cleri Parochialis, cum ex Scriptura, tum ex legibus Ecclesiasticis Angliæ; ex quibus notatur, depositioni obnoxium reddi Parochum ebriositate, incontinentia, simonia, dilapidatione bonorum Ecclesiæ, denique pluralitate Parochiarum. Secunda Oratio specialius naturam officiorum Parochi persequitur, convenientiam divisionis Ecclesiarum in Parochias ostendit, probatque, ea officia esse restricta circa jus disciplinæ ad Diœcesani autoritatem. Tertia particularia ista officia strictius urget, observationem diei Dominicæ, concionum sacramentorumque solemnitatem, imprimis vero, quam vocant, Residentiam, sive constantem in loco, cujus sis Parochus, mansionem. Succedit inde Discursus *de legitima sustentatione Cleri Parochialis*. Consideratur itaque *Mansa*, quæ est pars solii culturæ apti, cum comprehensa, ut aliqui volunt, domo Parochiali,

Pag. 413.

Digitized by Google

chiali, data Parochiæ, ſive dos originalis Eccleſiæ data, ſine qua Templum non poterat conſecrari, niſi Epiſcopus approbaſſet donationem ſolennem, unde digne domus Dei ſuſtentaretur, a qua donatione ortum eſſe Jus Patronatus, non a ſolio, in quo ædificabatur Templum, demonſtratur. Inde *oblationes* Populi conſiderantur, quas valde fuiſſe numeroſas & opimas olim, ex Concilio Bracarenſi III, Agobardo, Tertulliano, & Cypriano docetur, ac de oblationibus defunctorum, quas Saxonica Lex *Soulshot* vocabat, nec non mortuariis diſquiritur. Tandem de *Decimis* agitur, querendo de inconſtanti legum circa earum præſtationis modum præſcripto, multisque inquirendo in legitimas exemptiones a præſtatione earum. Poſt brevem Diſcurſum de *Eccleſiaſticorum in Anglia Canonum obligatione*, ſubjungitur Tractatus, quo inquiritur, num *Pactum a Candidato Cleri pro Beneficio Eccleſiaſtico obtinendo cum Patrono fieri ſolitum, quo ille ſe ipſum ad renunciandum Beneficio, quandocunque & quocunque prætextu Patrono placuerit, ſi ſemeſtri ſpatio ante ea de re eum admonuerit, ſalva conſcientia præſtari ac a Simoniæ crimine vindicari poſſit.* Negat id Autor, & partim ex legibus conſcientiæ, partim ex ſtatutis Eccleſiaſticis contendit, conſuetudinem nimium jam in Eccleſia Anglicana radices agentem nullo pacto tolerari poſſe. Poſterior *Caſuum Eccleſiaſticorum* Pars continet I *Diſcurſum de Eccleſiaſtica Jurisdictione in Anglia* ejusque fundamentis in Legibus, cui an Magna Charta ſit contraria, & an per Henrici HX ſupremaſtum illa fuerit abrogata, prolixe diſquiritur. At multo notatu dignior eſt diſcurſus II *de Eccleſiaſtica Jurisdictione in relatione ad ſupremaſtum Regis Eccleſiaſticum Lege conſtitutum.* Nempe illum eo tempore elaboravit Autor, quo Jacobus II *Commiſſione*, quam vocabat, *Eccleſiaſtica* omnia miſcere cœperat, ac ipſe Stillingfleetus ob detrectatam ejus autoritatem cenſuram illius exſpectabat. Itaque

Cap. I. jus talem Eccleſiaſticam jurisdictionem extraordinariam invehendi, Anno primo Eliſabethæ Parliamenti autoritate Regi aut Reginæ conceſſum, alia lege Parliamenti Anno 17 Caroli I & Anno 13 Caroli II revocatum eſſe, ac non tantum quoad poteſtatem mittendi in carcerem, aliisque pœnis affligendi refractarios,

ſed

Digitized by Google

ſed ſine ulla reſtrictione fuiſſe abrogatum docet. Inde adverſus Cokium monſtrat, nunquam ante Henricum VIII tale jus Reges Angliæ habuiſſe, multo minus vero ſuprematum poſtea ipſis conceſſum eo ſpectaſſe, ut Jus Clavium Eccleſiaſticarum ipſis tribueretur, monſtrat, & quicquid pro uſurpatione ejus juris a temporibus inde Saxonicis a Cokio adductum eſt, refellit. Cap. II.
Inquiritur deinceps in jus Regi tributum *diſpenſandi circa leges Eccleſiaſticas* Anno II Henrici VII, quia ea ſint *mala probibita, non mala per ſe.* Eam diſpenſandi conſuetudinem a Paparum plenitudine potentiæ primo deductam, hac data ratione Regi Angliæ jure non vindicari poſſe probatur, quod id jus mutet totam formam Regni Angliæ, cum jus hoc omnem potentiam legislatoriam Regi tribuat aut tributam ſupponat, cujus non niſi pars apud ipſum conſiſtat; quod illud tollat omnem ſecuritatem & ſacrorum & libertatis civilis legibus innixam; quod contradicat ſenſui nationis Anglicæ & conſuetudini ab antiquiſſimis temporibus; tandem quod ipſis legibus ſit contraria. III.
Denique per ſuprematum ab Henrico IIX aſſertum tale jus Regibus non fuiſſe vindicatum, neque, ſi id jam Jacobo II negetur, eo ipſo ejus ſuprematum negari, prolixe contendit. IV.
Sequitur Diſcurſus III *de Jurisdictione Epiſcoporum in cauſis capitalibus*, h. e. an liceat Epiſcopo eſſe præſenti & judicialem ſententiam per votum ferre in capitalibus cauſis, ſi quæ in Parliamento dijudicantur? Aſſeritur id a Noſtro, & inter reliqua ex Hiſtoria legibusque Anglicanis eruditiſſime deducta, imprimis Conſtitutio Clarendoniana ſub Henrico II facta, qua dicitur, *Epiſcopi, ſicut cæteri Barones, debent intereſſe judiciis curiæ Regis, quousque perveniatur in Judicio ad diminutionem membrorum vel ad mortem*, examinatur, ac, quam inviti ea tempeſtate Epiſcopi obtrudi ſibi paſſi fuerint titulum Baronum, tanquam argumentum ſervitutis Regi obnoxiæ, quam fugiebant, ex Matthæo Paris & Petro Bleſenſi demonſtratur. II.
Inquiritur & in proteſtationem, quam anno XI Richardi II publice interpoſuere Archi-Epiſcopus Cantuarienſis & Suffraganei, *quia in præſenti Parliamento agitur de nonnullis materiis, in quibus non licet nobis juxta ſacrorum Canonum inſtituta quomodolibet perſonaliter intereſſe*, &

Digitized by Google

an ea adhuc Epiſcopos Angliæ obliget, diſpicitur. Itidemque dignitas Epiſcoporum, qua Pares Regni & tertium ſtatum in Parliamento Angliæ conſtituunt, vindicatur, & adverſus objectiones aſſeritur. Magis adhuc ſpeciales Regni Angliæ leges concernunt, quæ ſequuntur, duæ Orationes ab Autore in Parliamento dictæ, altera de *viſitatione Collegii Exonienſis, quod eſt Oxonii*, altera de *Jure Regis Epiſcopo cuicunque tribuendi Commendam*, h. e. Beneficium Eccleſiaſticum ad vitam cum Epiſcopatu retinendum. Potior nobis eſt Diſcurſus *de vera Urbis Londinenſis antiquitate*, ubi primo docetur, Londinum originem ſuam non debere Britannis, quos diu ante Cæſaris adventum ſub Lud Rege volunt urbem ædificaſſe. Cæſari quippe & Claudio eam ignorari, nec niſi a Tacito demum Annal. XIV, C. 33 commemorari, non obſtante numo Claudii a Camdeno & Burtono adducti, quo BA. ΛO. tanquam βασιλέως Λενδίνε accipi volunt. Imo ne ullam quidem civitatum vel Britanniæ primæ, vel ſecundæ, vel denique maximæ Cæſareenſis, a Britannicis Scriptoribus memoratam natales ſuos ultra tempora adventus Romanorum referre poſſe, enumeratis illis omnibus, probat. Inde quæ fuerit conditio urbis Londinenſis, Romanis Remp. gerentibus, inquirit. Fuiſſe vero in provincia Britanniæ, quomodo in reliquis provinciis Imperatori immediate ſubjectis, ſupremum gubernatorem, qui Legatus Aug. pro Prætore Provinciæ dicebatur, probat ex duabus inſcriptionibus Britannicis apud Gruterum, & alia Londini poſt A. 1666 inventa, Marcii Viviani, Legati Hadriani Imp. in Britannia, monimentum exhibente. Eum vero Londini haud dubie ſedem habuiſſe, urbemque adeo non Præfecturæ, ſed Coloniæ rationem habuiſſe, conjicit. Quanquam enim a Tacito negetur, Londinum Coloniæ cognomento inſigne fuiſſe, mixtas tamen Colonias, in quibus cives Romani & indigenæ pariter conjuncti viverent, non quidem titulo, ſed privilegiis tamen Coloniæ utentes, olim datas fuiſſe, cum Panvinio, Capacio & Velſero exiſtimat, ex quibus Capacius imprimis Puteolos inter harum numerum refert, quam urbem Cicero emporium eodem nomine, quo Tacitus Londinum, appellat, Livius autem aliique Coloniam. Itaque

que hoc modo nobile & habitatoribus affluens emporium brevi factum fuisse existimat Londinum: Britanniam tamen etiam ante Romanorum adventum cum Galliis habuisse mercium stanni imprimis & plumbi consuetudinem, ex Diodoro Siculo aliisque probat. Tandem antiquam fabulam, qua eodem loco, quo nunc Cathedrale D. Pauli Templum Londini est, olim Dianæ Templum exstitisse creditum, examinat & explodit, potiusque contendit, eo loco Capitolium fuisse, quod & soliti fuerint Romani condere in Coloniis, & loco illi civitatis cumprimis conveniat, maxime vero insigni copiæ capitum taurinorum eo loco sub Eduardo I inventorum, quippe quibus cum maxime Jovi sacra faciebant Romani, congruat, cum e contrario, quomodo Dianæ Persicæ vel Tauricæ, quibus duabus unice sacri erant boves, cultus in Britanniam translatus fuerit, nulla pateat ratio. Inde fundationem Templi Cathedralis Paulini r Regem Ethelbertum factam persequitur, & quem fru apud Anglos Saxones Cathedralium Ecclesiarum institutio habuerit, demonstrat. Nos his inhærere diutius nolumus, neque tribus Tractatibus, qui in fine Voluminis hujus comparent, quorum primus, A. 1689 exaratus, *adversus novum Schisma in Ecclesia Anglicana*, ob detrectatam jurejurandi a Guilielmo Rege exacti præstationem ortum, alter *de Guilielmi Regis & Mariæ Reginæ potestate, sedes Episcopales per depositionem eorum, qui jusjurandum præstare nolebant, vacuefactas replendi*, adversus Guil. Beveregium, oblatum sibi Episcopatum Bathoniensem & Wellensem, quo pulsus erat hoc nomine Antecessor ipsius, accipere detrectantem, tertius *adversus seditiosam schedam a Joh. Ashtono, antequam Londini capite plecteretur, dispersam contra Jus Regis Guilielmi pro Jacobo & Principe Walliæ.*

TRACTATUS DE IMPUTATIONE DIVINA peccati Adami posteris ejus universis in reatum; Autore DANIELE WHITBY, S.T.P. Ecclesiæ Sarisburiensis Præcentore.

Londini, impensis Jo. Wyat, 1711, 8.

Pl. 14½.

POstquam nostro ævo eclecticum philosophandi studium invaluit, & inter Philosophos hæretici præstantiores ac sapientiores haberi cœperunt orthodoxis, id est, iis, quibus Aristotelis & Scholasticorum autoritas pro ratione est: accidit, ut JCti quoque ac Medici suis se in disciplinis professi sint eclecticos. In sola Theologia illam ratiocinandi libertatem plerique vel non necessariam vel etiam impiam judicant. Nec tamen desunt, qui & in repurgata Theologia emendationi adhuc locum esse contendunt, multasque doctrinas censent exterminandas, quas ex Scholasticorum sterquilinio superesse sibi persuadent. Verum ea de re non est nostrum arbitrari, sed Cl. Autoris, cujus *Examen Var. Lect. in N. T. Milliano* superiore anno *p. 95* recensuimus, quique præsenti in libro doctrinam de peccato originali eclectica philosophandi ratione persequitur, sensa simpliciter exponemus. Enimvero invidiosum hoc ipsum esse sentiens in Præfatione profitetur, se solo veritatis amore ductum & proposito sibi divini nominis honore hæc scripsisse, confisus *p. 152*, se Dei causam in hac agere controversia. Ac proinde hæretici nominis infamiam cum Augustino deprecatur, adversarios monens, ne Clementem Alexandrinum, Athanasium, Chrysostomum, aliosque veteres Doctores, quorum hic sequatur sententiam, imprudentes inveterata orthodoxiæ laude defraudent.

Totus liber decem continetur Capitibus, quorum primo naturam peccati originalis explicat. Ratus nimirum, homi-
Pag. 1. nem non fuisse moriturum, licet natura mortalem, nisi peccas-
2. set, docet, ex Adami peccato factum esse, ut ejus posteri nunc & pravis laborent animi affectibus, & corpus habeant morbis mortique obnoxium. Cum vero intellectu difficile sit, quomodo unum peccatum actuale naturam & Adami & totius poste-
4. ritatis vitiare potuerit, duas hujus rei affert causas. Prima est mortis perpetuus metus, quem scelerum omnium causam vocat
2. & originem. Per mortem enim Adamo divinitus denuntiatam intelligi debere censet mortem corporis: quippe cum (1)
3. *morte mori* in omni Scriptura S. non aliud mortis genus significet, & (2) mors illa Adamo denuntiata dicatur ab Apostolo pervasisse in omnes homines, etiam sanctos, in quibus tantummodo

do corporis mors locum habet. Ex hoc mortis metu, adeoque vitæ terrenæ deſiderio, proficiſci putat amorem mundi, rerumque mundanarum acrem concupiſcentiam: ex qua gignatur deinceps ira, mœſtitia, pugnæ, invidia, ſi nimirum quis videat alios mundi bonis fruentes, ſeque illis carentem. Altera depravatæ naturæ, Noſtro judice, cauſa eſt, quod homines naſcimur infantes: unde neceſſario eveniat, ut ſenſuum imperium reddatur firmius, rationique ac Spiritui S. in adulta ætate cedat ægerrime. Hinc porro tradit, ob miſerrimam hanc humani generis conditionem ortam eſſe neceſſitatem ſecundi Adami, qui nobis (a) daret ſpem futuræ a morte reſurrectionis, (b) largiretur S. Spiritum, ut victis cupiditatibus pravis divinæ voluntati poſſimus parere, (c) admiſſorum peccatorum veniam apud Deum pro nobis obtineret. En peccati originalis explicationem eam, quæ Cl. Whitby arridet! Sed cum videat, ſuæ ſententiæ non nihil opponi poſſe, difficultates tres proponit & diluere ſtudet. Primum videri queat hæc ſententia in divinam injuria eſſe juſtitiam, quippe quæ non patiatur, *ut ſit innocenti, ſicut nocenti, Geneſ. XIIX, 25.* Noſter ad hoc reſpondet duobus modis: (a) agnoſcendo hoc dictum, & inde concludendo, vulgarem opinionem de reatu peccati Adamici univerſali eſſe falſam: (b) in malis ad corpus ſpectantibus eadem pati, quæ ſua culpa meriti ſunt parentes, non eſſe injuſtum, ſi mala illa poſtea in bonum convertantur: jam vero Deum in ſtatu lapſæ naturæ bonitatis, miſericordiæ & patientiæ ſuæ illuſtrandæ majores occaſiones habuiſſe, & homines ad plures virtutes compoſitos eſſe, caritatem erga miſeros, patientiam erga nocentes, & id genus alias. Secundo objici poteſt, cum pœna reſpectum habeat ad peccatum, nec juſta poſſit eſſe, ubi non ſit culpa, ſequi, ut pœna Adamici peccati non pertingat ad innocentes ejus poſteros. Reſpondet autem, mala poſteris Adami illata non eſſe pœnas proprie dictas. Tertio ſibi objicit dictum illud Prophetæ: *Filius non feret iniquitatem patris: anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Hoc præfatus multo fortius retorqueri poſſe in vulgarem ſententiam, pro ſua cauſa ſupponit, a Deo nihil injuſte fieri: & hinc concludit, cum Deus peccatum

Pag. 4. 5. 8. 9 ſqq. 19. 21. 22. 25.

Adami omnino ceteris hominibus non imputet, sed tantum mala inde orta propagari permittat, hoc fieri salva Dei justitia, quamvis ejus rei rationem satis explicatam non habeamus. *Cap. II* vulgarem proponit sententiam, ejusque fundamenta evertenda suscipit. Statuentes enim Theologi, actualem Adami inobedientiam posteris ejus imputari, his utuntur rationibus:
Pag. 31. (1) Adamum in Paradiso duplicem gessisse personam, cum suam, tum posterorum: (2) cum Adamo Deum iniisse fœdus universale tanquam cum capite humani generis, ita ut, quamprimum ille ab eo recesserit, posteri quoque omnes peccati reatu
32. obstringerentur: (3) quod voluntas Adami in hoc peccato habeatur pro nostra, ex sola voluntate Dei proficisci, cum alias liberi parentum culpas non luant. Hæc omnia Nostro videntur humani ingenii commenta esse, cum neque ex rectæ rationis principiis deduci possint, & altum de iis sit in Scriptura S. si-
36. lentium. Addit argumenta in contrarium. I Si peccatum Adami nostrum non est, nisi imputatione Dei, sequitur, ut Deus nos faciat, non inveniat, peccatores, utque absoluto quodam decre-
38. to nos condamnet. II Infantes cruciatibus æternis subjicere ob peccatum Adami, est severius cum iis agere, quam Deus egit cum diabolis, qui propter proprium & voluntarium peccatum
40. damnati sunt. III Confugere ad fœdus Dei, cum Adamo personam totius humani generis sustinente initum, est ad fœdus crudele, ineptum, nec cum sapientia, bonitate aut justitia Dei conveniens recurrere: id quod pluribus comprobare nititur.
42. IV Vulgaris sententia est contra sensum communem & conscientiam, quæ accusat & damnat ea, quæ a me, non quæ ab alio, me nondum existente, patrata sunt: testaturque de peccatis meis: testari autem non potest, me id fecisse, quod ab aliquo aliquot annorum millibus ante me nato factum est. Eadem conscientia pœnitentiam postulat ob mea peccata. Quem autem pœnitere possit facinoris ab alio ante ortum suum commissi? *Cap. III* respondet ad argumenta, quæ vulgari sententiæ stabiliendæ afferri consueverunt ex Rom. V, 12 & 19 & VI, 23. Utrobique vulgarem interpretationem ipso ex contextu refellit. *Cap. IV* Amyraldi & Placæi de peccato originali sententiam con-

confutat. Hi statuerunt, (1) in infantibus vitium esse originale inhærens, quod ipsos in utero delitescentes æternæ mortis reos peragat. (2) Hoc vitium ideo infantibus inesse, quod immundus mundum gignere non possit. (3) Hoc vitium non esse peccatum actuale, sed habituale seu habitum pravum omnibus animæ facultatibus impressum. (4) Peccatum originale dici voluntarium, non quia est a voluntate, sed quia est in ea. Docet, multa manifesto absurda hanc sententiam consequi, istosque Theologos ex Scylla, quod ajunt, in Charybdim incidisse. Quæ a patronis *allatæ* modo sententiæ proferuntur Scripturæ dicta, *Cap. V* eum in sensum interpretatur, qui *illos nihil* adjuvet. *Cap. VI* producit Patrum testimonia, negantium, posteros Adami ob hujus peccatum pœnæ reos esse. Hic prodit Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus, Arnobius, Chrysostomus, Theodoretus, Cyrillus Alexandrinus, Theodorus Antiochenus, Rufinus, Epiphanius, Gregorii Nazianzenus & Nyssenus, Didymus, Isidorus Pelusiota, Tertullianus, Cyprianus, Optatus. *Cap. VII* alia Patrum loca affert receptæ sententiæ adversantia: speciatim cum illi disputant contra Marcionitas, Origenem, Stoicos & Manichæos. Hic potissimum Augustini contra Manichæos argumenta producit, quibus ejusdem de peccato originali opinio destrui Nostro videtur. Ostendit, Augustinum id ipsum vidisse, propterea que, cum adversus Pelagianos disceptaret, principiis suis renuntiasse in libris Retractationum: ita tamen ut Pelagianis haudquaquam satisfaceret. *Cap. VIII* contendit, Patres ante Augustinum alienos fuisse ab hujus de peccato originali sententia, quæ deinceps invaluerit, ac hodieque vigeat. Hic pluribus refutat Vossium, qui *lib. II Hist. Pelag.* contenderat, sententiam vulgarem semper in Ecclesia viguisse: examinatque omnia ab eo adducta Patrum loca. *Cap. IX* respondet ad concilia, ad quæ provocarat Vossius: simulque ostendit, quam injuste in Conciliis disputatum fuerit cum Pelagio & Pelagianis, quorum tamen cetera placita improbat. *Cap. X* urget, doctrinam de peccato originali Judæis semper ignotam fuisse: quod non leve putat esse adversus hancce doctrinam præjudicium. Ubi

Pag. 51, 52.
132 sqq.
143 sqq.
155.
188 sq.

etiam

Digitized by Google

etiam adducit locum ex Joh. IX, 2, 3, quem jam attigerat *p. 114.*
P. 197 sqq. Porro ostendere copiose conatur, dogma illud cum rationis naturalis principiis, quæ Philosophi & JCti agnoscant, adversa fronte concurrere, cum iisque conciliari nulla ratione posse.
213. Postremo addit, rationem justitiæ non permittere, ut crimen, auctori plene remissum, in alio, ejusdem criminis tantum per Dei ipsius imputationem reo, pœnis exquisitissimis Deus vindicet, ob hanc unam causam, quod ab Autore in gratiam jam recepto nasceretur.

VIBIUS SEQUESTER DE FLUMINIBUS Fontibus, Lacubus, Nemoribus, Paludibus, Montibus, Gentibus, quorum apud Poetas mentio fit. Ex recensione FRANCISCI HESSELII, *cum ejusdem annotationibus.*

Roterodami, apud Arnoldum Willis, 1711, 8.
Alph. 1.

INter prisci ævi conatus perficiendi Dictionarium Geographicum, ad legendos felicius Poetas accommodatum, Vibii Sequestri operam non fuisse ab eruditis prorsus contemtam, ex tot ejus editionibus merito colligimus. Postea enim quam primus Mazochius Romæ eum typis vulgarat, Venetiis Aldus Manutius A. 1514, Florentiæ Ant. Francinus A. 1519, interjectaque Lugdunensi editione A. 1539 facta, Basileæ Josias Simlerus 1575, ac Tolosæ Maussacus A. 1615 eum denuo edidere. Centum igitur propemodum anni exacti sunt, ex quo nemo novam Vibii paravit editionem: ac proinde non parvam ab eruditis inibit gratiam Cl. Hesselius, Roterodamensis Gymnasii Professor, celeberrimique successor Bælii, Vibio rursus in lucem quasi revocato, doctissimisque ornato annotationibus. Equidem quo tempore Autor iste vixerit, incertum esse fatetur in Præfatione, addens, Lucanum Poetam esse recentissimum eorum, qui a Vibio citentur nominatim. Nec tamen Lucano æqualem putat, sed longo intervallo, immo aliquot sæculis post Lucanum barbaro illo & caliginoso ævo vixisse sibi persuadet. Ceterum suum de eo judicium his complexus verbis est: *non est magni judicii*

judicii magnaque facultatis: nec tamen est inutilis. Ut autem præsens editio esset, quam fieri potest, locupletissima, Cl. Editor Præfationi subjecit (1) Cl. Relandi ad se datam epistolam, in qua & errores aliquot Vibii ex male intellectis Poetarum, maxime Lucani, locis nati notantur, & corrupta aliquot ejus loca acutissime emendantur: (2) Viri amplissimi, Jo. Cornelii de Pauw, Canonici Trajectensis, epistolam, Criticæ eruditionis pariter plenam, in qua cum loca Vibii nonnulla illustrantur, tum observatur, autorem hunc a posterioris ævi Grammaticis interpolatum esse: (3) Addenda ad suas annotationes: (4) Testimonia & judicia de Vibio Simleri, Maussaci, Gerh. Vossii, Hallervordii, Hoffmanni, Fabricii, Barthii, Heinsii & Morerii. Succedit jam Vibii Sequestris libellus, amplissimis Hesselii annotationibus succinctus, quibus non modo varias lectiones exhibet, sed autorem quoque doctissime illustrat & explicat. Finito Vibii libello sequuntur a pag. 166 Loci enarratorum veterum, & a pag. 198 Loci Poetarum, qui faciunt ad Vib. Sequestrum. Adduntur a pag. 213 Excerpta ex Ioannis Boccacii Libro de montibus, sylvis, fontibus &c. et a pag. 233 Jo. Jac. Claudii, Sacerdotis jam Londinensis, pereruditæ ad eundem Vibium notæ. Totum opusculum concludunt Epistolæ Cl. Virorum, Isselii &(cujus Eginhardum nuper recensuimus,) Schminckii, quibus Oaxem Virgilii Cretæ fluvium esse, quod Vibius tradit, negant. Ceterum non opus est, annotationum aliquot a nobis afferri specimina, cum ex jam dictis de earum argumento & præstantia Lectori nostro satis constet. Unum tamen occasione hujus libri monere visum est. Nimirum Vibius pag. 106 meminit Salmacidis fontis, *ex quo qui bibat, mollescat.* Cl. Hesselius ad hunc locum adducit Ennii illud, quod a Cicerone lib. I de Offic. cap. 18 (quem tamen locum non citavit Vir doctus) affertur:

Salmaci da spolia sine sudore & sanguine.

Alii libri habent unam vocem, *Salmacida:* quæ lectio priori propterea præferenda, quod & ii libri, in quibus divise legitur *Salmaci da*, testibus αὐτόπταις, non habent interjectum comma, adeoque non obscure confirmant, unam esse vocem debere,

non duas. Accedit, quod longa ſyllaba vocis *da* per metri legem admitti vix poteſt: quodque, ea admiſſa, non emergit commodus ſenſus, quomodocunque explices. Videtur itaque reſcribendum eſſe *Salmacia ſpolia.* Ut enim a Caſtalis Caſtalius, a Lycia Lycius, a Thracia Thracius: ſic a *Salmacis* fit adjectivum *Salmacius.* Quod ſi ſic legas, non modo metro conſulitur, verum etiam ſententia prodit quam planiſſima. Facile quoque corruptæ ſcripturæ reddi poteſt ratio. Nam *a* & *d* ob figuræ vicinitatem ſæpius confuſa ſunt. Unde ſi forte in uno codice exſtitit *Salmacia*, in altero *Salmacid*, factum eſt, ut aliquis hæc conjungeret, ſcribens *Salmacida.* Denique de ipſo hujus libelli autore liceat novam proferre ſententiam, quam eruditorum judicio libenter permittimus. Arbitramur ſcilicet, & Vibium Sequeſtrem & Virgilianum filium, cui librum inſcripſit, eſſe *ψευδωνύμους.* Cum enim ſtylus præfationis manifeſto ſapiat monachum, eo tempore viventem, quo regnarunt in orbe Scholaſtici: quo tempore nec Vibius Sequeſter nec Virgilianus uſitata fuere nomina: conjicimus, *filium* hic non ſignificare naturalem filium, ſed diſcipulum. A monachis enim diſcipulos ſuos dictos eſſe filios, neminem fugit. Quæ conſuetudo jam Auguſtini ætate invaluerat. Is enim Voluſianum vocat filium ſuum, *Epiſtola 1 & 3:* Marcellinum *Epiſtola 5 & 7:* Bonifacium *Epiſt. 70:* immo & fœminam Italicam filiam appellat ſuam *Epiſt. 6.* Ac ſi Vibius ille ſcripſiſſet ad verum ſuum filium, haud dubie plura dixiſſet de paterno amore ſuo, deque filiorum erga parentes officio. Jam vero, qui Virgilianum Vibii fuiſſe filium credunt, nullo uti poſſunt argumento, quam quod in proœmio ita eum affatur: *fili cariſſime.* Id quod quam leve ſit, apparet. Crediderim autem, a Vibio hunc diſcipulum ideo Virgilianum appellatum eſſe, quod ei illo tempore Virgilium Poetam explicaret. Cui ſententiæ inde etiam robur additur, quod pleraque hujus libelli loca ex Virgilio ſunt deſumta, ut cognoſci poteſt ex Heſſelianis annotationibus. Scriptus igitur hicce liber eſt ad facilitandam lectionem Virgilii. Cur autem autor ipſe Vibii Sequeſtris nomen adſciverit, difficilior eſt conjectura. Mihi videtur illud ſibi finxiſſe ex iſto proverbio: *Vara vibiam ſequitur:* quod cum

cum *similes nugas* significet, Ausonio interprete, autor noster modestiæ causa inde nomen sibi fabricasse dici potest, significaturus, Poeticam hanc notitiam, si cum scientia Theologica conferatur, inter nugas referendam esse. Non nego, puerilem & ridiculam esse hanc nomenclaturam: sed, si recte novi monachorum illius ævi ingenium, ab eo talia abhorrere non puto.

SINENSIS IMPERII LIBRI CLASSICI SEX, nimirum Adultorum Schola, Immutabile Medium, Liber Sententiarum, Memcius, Filius observantia, Parvulorum Schola, e Sinico idiomate in Latinum traducti a P. FRANCISCO NOEL, Societatis Jesu Missionario.

Pragæ, apud Joannem Kamenicky, 1711, 4.
Alph. 3 plag. 11.

MUltum profecto omnium ore celebratur *Sinarum* sapientia: hactenus tamen *Europæis* parum fuit perspecta. Utilem igitur operam in vertendis libris, quos omnes pueri Sinenses in urbibus, oppidis, pagis artem legendi ac scribendi addiscentes non modo legunt, sed etiam memoriæ mandant, posuit R. P. *Franciscus Noel*, præsertim cum dubitandum non sit, quin post longum viginti annorum & amplius studium, quibus linguæ Sinicæ addiscendæ librisque illis pervolvendis non segniter se vacasse profitetur, genuinum sensum satis fuerit assecutus. Præmisit doctissimus Interpres synopsin capitum & articulorum, in qua omnis doctrina nervose proponitur, & in præfatione optime monet, non reconditam in illis libris ac sublimem quærendam esse doctrinam, sed solam Ethicen vulgarem, morum compositionem, familiæ disciplinam & fere semper boni regiminis artem, quam maxime cordi esse Sinensibus abunde constat. Farraginem scilicet reperies regularum, dialogorum & exemplorum, quibus ad prudentem actionum humanarum directionem proficua continentur, sed nullo ratiociniorum nec materiarum nexu concatenatorum.

Libri primi, qui Sinensibus *Ta Hio*, Interpreti *Adultorum Schola* dicitur, partes sunt duæ. In priore *Confucius* docet, doctrinam, qua adultorum animus imbuendus, consistere 1 in reparanda rationalis suæ facultatis claritate primitiva, 2 in renovandis populis, 3 in quærenda claritatis istius tam propriæ, quam alienæ summa perfectione. Eum in finem perscrutandas esse rerum naturas ac rationes, ut perfecta boni & mali notitia acquiratur: qua acquisita, voluntatem in veri boni amore & veri mali odio stabiliendam esse, ut veram cordis rectitudinem consequamur & hinc porro omnes mores nostros rite componamus. Ex hac propria emendatione sponte fluere emendationem aliorum, familiarum concordiam, principatuum bonum regimen & imperii universi pacem ac tranquillitatem. Notandum scilicet, totam olim *Chinam*, etsi uni Imperatori subjectam, in plurima tamen regna divisam fuisse, quibus Reguli vectigales præfuere. Eorum collectio seu tota *China* dicebatur Imperium, quamvis tunc nec tam longe, nec tam late quam nunc patebat. In parte posteriore *Confucii* discipulus *Tsem Tsu* decem capitulis uberius explicat, quæ a Magistro succincte tradita fuerant, & exemplis Imperatorum inprimis Sinensium illustrat. Explanare nimirum intendit, quid sit 1 rationalis facultatis claritatem primitivam reparare, 2 populum renovare, 3 in summa perfectione sistere, 4 sui reparationem primario, aliorum vero secundario spectare, 5 rerum naturas investigare & veri boni malique notionem acquirere, 6 voluntatem in veri boni amore & mali odio stabilire, 7 vitam & mores rite componere, 9 totam familiam pulchro disciplinæ ordine, pace ac concordia bene dirigere, et 10 principatum recte gubernare. Verum enim vero explicationes istæ ad normam Philosophiæ rationalis exigendæ non sunt. E. gr. explicaturus, quid sit rationalis facultatis claritatem primitivam reparare; Imperatorem *Vu Vam*, ait, cum fratre suo minore *Kam Xo* dixisse: Noster parens *Ven Vam* suam rectæ rationis facultatem clarissimam reddere singulariter noverat. Addit, primum imperii ministrum *Tyn* Imperatori *Tay Kia* his verbis præclara vivendi & regendi præcepta dedisse: Olim clarissimus tuæ Majestatis parens *Chim Tam* fulgidam illam cœli legem

legem ſemper ante oculos habebat. Ex Annalibus familiæ imperialis *Tam* citantur hæc verba: Sapientiſſimus iſte heros *Yao* tanta luce ac ſplendore magnam ſuam facultatem implere valuit, ut totum orbem radiis ſuis illuſtrarit.

Librum ſecundum *Sinenſes* vocant *Chum Yum*, Interpres *Immutabile Medium*. Conſcriptus eſt a *Tſu Su*, nepote *Confucii* ex filio *Li* cognomento *Pe Yu*. Docetur in eo, ad ineundam virtutis viam ſemper ſequendum eſſe medium. Explicat *Thu Su*, quid ſit natura, naturæ ductus & recta vitæ diſciplina. Illa ipſi eſt lex cœli; is recta agendi via; hæc ſunt recte vivendi præcepta. In his conſiſtere arbitratur illud immutabile medium, a quo ne latum quidem unguem recedere liceat, quin erretur, ac ideo obſervandos eſſe primos motus, qui quidem alios, ſed minime eum fugiant, cui inſunt. Illas animi commotiones, amorem & odium, triſtitiam & gaudium, ceterasque paſſiones, antequam in actum erumpunt, nil aliud eſſe, quam ipſam naturam in ſtatu tranquillitatis ſeu æquilibrii poſitam & ideo tunc dici ipſum rectæ rationis medium. Cum autem in actum erumpunt & naturam ad ſtatum commotionis transferunt, ſi ſervata æquitate juſtæ moderationis terminos non excedant, perfectam eſſe paſſionis cum recta ratione concordiam. Hæc effata ſua variis *Confucii* teſtimoniis confirmat, & exemplis variis ſapientum illuſtrat. Ad immutabile medium tres potiſſimum virtutes, prudentiam, pietatem ac fortitudinem requirit, quarum una deficiente non poſſit ad perfectionis metam pertingi. Contendit autem, medium illud tum quoad theoriam, tum quoad praxin eſſe admodum facile, ſi utcunque idem ſequi decreveris; ſed idem difficillimum exiſtere, ſi adæquate id ipſum cognoſcere ac eidem ex aſſe ſatisfacere volueris. Hinc in ſpecie deducit, virum ſapientem id tantum agere, quod eſt officii ſui; nequaquam appetere, quæ ſphæram ejus tranſcendant. Oſtendit etiam ad bonum aliorum regimen requiri regimen ſui ipſius, & communem omnium hominum vivendi viam quinque; modum, quo hæc via conficitur, tria complecti. Illa quinque recenſet, principem & ſubditos, quos inter æquitas; patrem & filium, quos inter amor; maritum & uxorem, quos inter diverſitas;

ſitas; fratres, quos inter ſubordinatio, & amicos, quos inter fides intercedat. Tria illa eſſe prudentiam ad vitam rite cognoſcendam; pietatem ad conſtanter ſequendam; fortitudinem ad generoſe perficiendum. Cuivis Imperatori novem imperandi leges præſcribit, ſcilicet 1 ſuos mores & vitam recte componere, 2 Viros ſapientes ſingulari honore afficere, 3 parentes ac conſanguineos intimo amore complecti, 4 primos imperii miniſtros honorificentiſſime habere, 5 reliquos omnes præfectos & dignitatum candidatos ut ſeipſum ſpectare, 6 univerſos populos ut filios curare, 7 cujusvis artis & induſtriæ opifices in ſuas terras accerſere, 8 advenas, hoſpites & externorum Principum legatos liberaliter excipere, 9 omnes clientelares Principes intra officii ſui limites continere. Commemorat fructus ex his officiis profluentes: futurum nempe affirmat, ut ſit aliis optimum vivendi exemplar, ſapientum conſiliis adjutus non erret, cognati in dignitate ejus tuenda conſpirent, miniſtrorum prudentia fretus, quid agendum ſit in negotiis arduis, decernat, præfecti erga ipſum gratos ſe præbeant & officium ſuum rite exequantur, amorem populi ſibi conciliet, opibus & omnibus ad uſum vitæ neceſſariis abundet, exteri in ejus ditione ſedem figant, Principes clientelares Majeſtatem ipſius revereantur & poteſtatem timeant. Monſtrare quoque conatur, quomodo legibus iſtis ſatisfiat. E. gr. Mores ſuos rite componet Princeps, ſi abſtinentiæ diligenter vacet, munditiem ſervet, modeſto ac gravi amictu veſtiatur, nihil indecorum, nihil turpe committat. Sapientes ad ſibi inſerviendum invitabit, ſi paraſitas & adulatores ab aula arceat, illecebroſas pulchritudines rejiciat, divitias parvi pendat, unam virtutem magni faciat. Conſanguineos ad amorem reciprocum exſtimulabit, ſi illorum nobilitatem revereatur, cenſus augeat, amet ac oderit, quæ ipſi amant ac oderunt. In omnibns autem actionibus urget cordis ac operis veritatem, ita ut procul abſit omnis fucus, ſimultas omnis. Ad hanc perfectionem perveniri, ſi omnes animi motus, quibus ad unam particularem virtutem impellimur, accuratiſſime expleamus. Ea inſtructum & ſe, & alios perficere, futura quodammodo prævidere ac ſplendore inſigni refulgere: Princeps ſi fuerit,

erit, leges optimas sancire. Ad eam denique non requiri gesta ardua aut insolita; sed sapientem virtutem suam abscondere.

Librum tertium Sinenses *Lun Yu*, Interpres *Librum Sententiarum* vocat, et parva nonnulla scholia de Sinarum historia, ritibus antiquis & Musica inspergit. Notat, *Confucium* & priscos *Sinarum* Imperatores Musicam plurimum fecisse; utpote quæ multum conduceret ad populorum concordiam, bonos mores, rectum regimen. Regis thronum apud *Sinas* ad Austrum vergere, uti & Magistratuum tribunalia. Sinenses pro uno die naturali numerare tantum 12 horas, quarum singulæ duabus Europæis æquales. Hora prima ab undecima nostra nocturna usque ad primam nocturnam vocatur *Tsu*, reliquarum nomina sunt *Cheu*, *In*, *Mao*, *Xin*, *Su*, *Ou*, *Vi*, *Xin*, *Yeu*, *Sio*, *Hay*. His 12 horis respondere 12 signa cœlestia sive anni 12 Menses, ita ut nunc signum aquarii seu primus mensis dicatur *Tsu*, quamvis olim Capricornus *Tsu* dictus fuerit. Tres imperiales familias, *Hia*, *Xam*, *Cheu*, singulas in principio sui imperii principium anni civilis immutasse. Familiam *Hia* pro anni principio constituisse mensem & horam *In*; familiam *Xam* mensem & horam *Cheu*; familiam *Cheu* mensem & horam *Tsu*. Olim in Musicæ Præsidem adscitum fuisse cœcum, ut sic melius tonos tonorumque concordiam distinguere posset. De argumento hujus libri in compendio disserere vix licet, cum sententias disjunctas instar fere Proverbiorum *Salomonis* ac *Siracidis* complectatur, variis occasionibus a *Confucio* & ejus discipulis prolatas. E. gr. *Confucius* ait: Adulatores pios vix ac ne vix quidem reperias. Ego quotidie in tribus rebus me ipsum discutio: 1 utrum præstando alteri obsequium me totum impenderim; 2 utrum frequentando amicos & socios candorem servaverim; 3 utrum excipiendo Magistri doctrinam, eam in praxin redegerim, nec ne. Ecquis foras egressurus per portam non exit? Eccur ergo quoad rectam vivendi viam non exeunt homines per hanc rectæ rationis portam? Qui viam sapientiæ tantum novit, certe non æquatur ei, qui illam insuper diligit; & qui illam tantum diligit, non æquatur ei, qui illa insuper delectatur, nimirum operando. Dum Princeps honestatem amat, sine difficultate imperat. Qui longe ventura non præmeditatur, huic dolor prope imminet.

Si

Si te ſevere, alios manſuete arguas, quævis odia a te amovebis. Sapiens agnitam veritatem firmiter, ſed ſine pertinacia tuetur. Sapiens ſine perſonarum & conditionum diſcrimine omnes inſtruit. Suas culpas non corrigere, eſt novas committere. Licet ego in perſcrutandis rerum naturis totam pene diem ſine cibo & totam pene noctem ſine ſomno tranſigam, nullum tamen fructum ex illa nuda contemplatione percipio; præſtat ergo practicis ſapientiæ diſciplinis operam navare. Sapientiæ alumnus in ſtudendo non dignitates, ut laute comedat: ſed virtutes, ut recte vivat, ſibi acquirendas proponit. Quemadmodum agricola terram colit, ut victum acquirat, ſi autem annus ſterilis occurrat, hinc famem in ſuo labore reperit; ita Sapientiæ alumnus literis vacat, ut virtutes acquirat; ſi autem ei Magiſtratus obtingat, tunc victum in ſuo ſtudio reperit. Idcirco Sapientem non paupertatis metus, ſed virtutis profectus anxium ſemper ac ſollicitum reddit. Tantum: de reliquis in poſterum plura.

OBSERVATIO ECLIPSIS LUNARIS D. 23 Januar. 1712 veſperi facta in Academia Leopold. Soc. Jeſu Vratislaviæ a R. P. CHRISTOPHORO HEINRICH, Theol. Mor. & Math. Prof. Publ. ac Ord.

TEmpus Solare horologio oſcillatorio menſuratum & per obſervatas quatuor fixarum culminationes correctum: quantitas vero juxta micrometrum teleſcopio inſertum determinata fuit.

Pallor in Luna notat9	*Hor.* 7. 15'. 39"	Magnitudo 3 digit.	*Hor.* 8. 54'. 18"
Initium penumbræ	34. 54	Culminavit pes Orientalis *Orionis*	9. 11. 18
umbræ denſæ	40. 11	duorum dig. & dimidii	12. 2
Magnitudo unius digiti	50. 51	duorum digitorum	21. 7
Culminavit oculus Tauri, *Aldebaran*	56. 3	unius & dimidii digiti	30. 12
duorum digitorum	57. 58	unius digiti	33. 36
Ariſtarchus attigit umbræ limbum	8. 3. 31	Finis umbræ denſæ	38 33
Incepit diſparere	6. 7	penumbræ	44. 4
trium digitorum	17. 13	Culminavit Canis major *Sirius*	10. 9. 17
Culminavit pes Occ. *Orionis*	38. 7		
trium dig. & dimidii	38. 52		

Color

Color umbræ per telescopium videbatur cinereus, subcæruleus & accedens ad nigrum. Incepit apparere supra *Aristarchum* & transivit deinceps superiorem Lunæ partem.

ARITHMETICUS PERFECTUS, QUI TRIA numerare nescit, seu Arithmeticæ dualis, in qua numerando non proceditur nisi ad duo, & tamen omnes quæstiones Arithmeticæ negotio facili enodari possunt; Autore WENCESLAO JOSEPHO PELICANO.

Pragæ, typis Caroli Francisci Rosenmuller, 1712, 12.
Constat pl. 4.

Arithmeticam decadicam, qua utimur omnes, non esse unicam, sed ipsi substitui posse aliam quamvis, satis constat inter eruditos. Hoc ut specimine aliquo ostenderet Cl. Pelicanus, usitatas operationes Arithmeticas ad Arithmeticam dyadicam seu dualem, quam ipse vocat, applicavit in libello, quem Per-Illustri Dn. *Joanni Carolo Zitschy de Znoriza*, in excelso Regiarum Appellationum Tribunali Regni Bohemiæ Consiliario, Viro Juris tam publici, quam privati peritissimo, inscripsit. Est vero præterea usus alius multo excellentior, ob quem Arithmeticæ dyadicæ mentionem inter eruditos injecit Illustris *Leibnitius*, uti monuimus in Actis A. 1710 p. 369. Multa nimirum adhuc in scientia numerorum præsertim circa summationem seriērum seu numerorum certa lege progredientium desiderantur, unde in Geometria præclara pendent. Summatio hæc leges serierum supponit: leges serierum per Arithmeticam binariam simplicissimas haberi posse, non modo hinc intelligitur, quod ea numeros in simplicissima sua principia 0 & 1 resolvat, sed idem etiam specimen loquitur, quo in Miscellaneis Berolinensibus legem periodicam numerorum progressionis Arithmeticæ cujuscunque ostendit Cl. *Dangicourt*: uti annotavimus in Actis A. 1711 p. 9. Cum itaque Cl. Autor Arithmeticam dualem

illustrare & velit, & possit; operæ pretium faciet, si series numerorum quaslibet dyadice exprimet, leges earundem eruet, usum denique in praxibus Arithmeticis & in Geometria ostendet.

THE SHIP-BUILDERS ASSISTANT:
h. e.
ARCHITECTORUM NAVALIUM ADSTAtor, seu Tentamina nonnulla ad perficiendam Architecturam navalem tendentia; Autore GUILIELMO SUTHERLAND, Tignario navali & Nauta.

Londini, apud R. Mount, A. Bell & R. Smith, 1711, 4. Alph. 1 Tabb. 14.

CUm Autor consideraret, nec theoriam, nec praxin Architecturæ marinæ satis adhuc excultam esse; quæ ipsi triginta duorum annorum studio ac experientia innotuerunt, cum publico communicare dignatus est. Quinque sunt tentamina, ex quibus opus utilissimum compositum. In primo observat, Architectos navium hactenus non ea, qua fieri debebat, industria in figuram navis inquisivisse, et *Isaaci Newtoni*, Viri magno suo merito celeberrimi, inventum de solido minimæ resistentiæ commendat. Usum doctrinæ de centro gravitatis & legum hydrostaticarum tam in struendis, quam onerandis navibus ostendit. De tignis quoque & asseribus scitu utilissima tradit, quorum in tentamine secundo pretium dimensionibus ipsorum proportionatum juxta certas regulas definire docet. Progreditur in tentamine tertio ad fundamenta Architecturæ navalis explicanda. Monet in genere, in Architectura rationem habendam esse soliditatis, œconomiæ, dispositionis, convenientiæ ac pulchritudinis: quibus in navali satisfacturus docet, quomodo navis decenter constructa sine damno in Oceanum devolvatur (ubi curvam celerrimi descensus commendat); qua cura in electione materiarum utendum (ubi monet, si figura esset navibus regularis, minori sumtuum compendio tigna fabrefacta

brefacta apportari posse); quanam re opus sit, ut navis in Oceano facillime moveatur & anchoris firmiter retineatur; quomodo interior concameratio omnibus respondere debeat usibus; quomodo denique fabrica externa oculos spectatorum allicere debeat, ita tamen ut perfectioni essentiali non obsit. In tentamine quarto de onerandis navibus ex principiis hydrostaticis disserit: ubi ex *Harrisianis* experimentis assumit, digitum cubicum aquæ esse 256 granorum & aquam communem esse ad marinam ut 1000 ad 1028. In ultimo de malo erigendo & proportionando disserit. Tandem Lexicon navale, in quo præcipui termini in hac Arte usitati explicantur, operi colophonem imponit.

VITÆ SELECTÆ QUORUNDAM ERUDItissimorum ac illustrium Virorum, ut & Helenæ Cornaræ & Cassandræ Fidelis.

Vratislaviæ, sumptibus Christiani Bauchii, 1711, 8.
Alphab. 2.

CUm præcipuam historiæ literariæ partem eruditorum vitæ constituant, eorum præcipue, quos ingenio & doctrina ceteris præstitisse constat, Vir Cl. Christianus Gryphius vitas præstantissimorum hominum, in quibus vel ipsi, vel alii Viri celebres æternitati consecrandis multum laboraverant, sollicito studio undique conquirere, & in aliquot volumina redactas typis vulgare constituerat. Eo vero præter spem rebus humanis exemto, antequam collegisset, quæ vel ad mediocre volumen constituendum sufficiunt, Bibliopola demum aliorum opera adjutus primum hoc volumen vulgavit. Describuntur in eo vitæ (I) Hieronymi Fracastorii, (II) Vidi Fabricii Pibracii, (III) Nicolai Fabri, (IV) Andreæ Mauroceni, (V) Jacobi, Johannis, Andreæ & Hugonis, fratrum Guijoniorum. (VI) Johannis Rutgersii, (VII) Petri Casanovæ, (IIX) Jacobi Palmerii Grentemesnillæi, (IX) Helenæ Cornaræ, (X) Olai Borrichii, (XI) Jo. Vincentii Pinelli, (XII) Roberti Cottoni, (XIII) Octavii

Pantagathi, (XIV) Fulvii Urſini, (XV) Jo. Phil. Pfeifferi, (XVI) Joh. Oporini, (XVII) Caſſandræ Fidelis.

Hieronymus Fracaſtorius perantiqua ac nobili Veronæ familia ortus Philoſophiæ & Medicinæ peritia celeberrimos ſui temporis viros æquavit: humaniorum vero literarum ſcientia, & poeſi imprimis ſicuti multos ex veteribus, ita omnes, qui poſt annos mille quingentos aliquod in eo genere ſcribendi nomen habuere, ſuperavit. Teſtatur divinum illud *Siphilidis* ſive de morbo Gallico poema, heroico carmine ſcriptum, & Petro Bembo, Leoni X Pontifici Max. tunc a ſecretis, dicatum, quod tanta omnium admiratione exceptum eſt, ut cum non multis poſt annis Neapolin ad Jacobum Sannazarium in lucem editum deferretur, vir ille omnium ſuæ ætatis diſertiſſimus & Virgilianæ majeſtatis aſſectator egregius atque alieni carminis laudator alioqui parcus atque amarulentus, Hippolyto Medici Cardinali, qui forte ad eum ſalutandum, nobili eruditorum corona atque adeo ipſo Jo. Bapt. Montano, Medico clariſſimo, & acri Fracaſtorii æmulo, ſtipatus acceſſerat, hunc unum eſſe confeſſus ſit, a quo non Jovianus modo Pontanus, ſed ipſemet quoque in Partu Virginis, accurata carminis dignitate, viginti amplius annorum lima ac labore perpoliti, eſſet victus. Fato functus eſt Fracaſtorius ſeptuagenario major VIII Idus Auguſti A. M D LIII, dum pranderet, apoplexia correptus. Ferunt equidem, dum langueret, cognito fatali morbo, poſt multas amicas ſibi herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas, amiſſo penitus ſermonis uſu, manu ſæpius in verticem exporrecta, iis, qui aderant, innuere voluiſſe, ut celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro, quo ille peropportuno remedio ſe olim Veronæ unam Monialium virginum D. Bernardino dicatarum curaſſe adhuc meminerat, ſubvenirent. Sed re nequaquam a domeſticis intellecta, cum alii alia adhibenda tum eſſe pharmaca prædicarent, fruſtra expectato remedio, leniter ſub noctem exſpiraſſe. In vita ſua Jo. Rutgerſius nihil æque deplorat, quam quod perpetuis itineribus ad perficienda Regis Sueciæ negotia, cui a conſiliis erat, occupatus, nulla quiete conceſſa, literis, quibus tantopere capiebatur olim, nihil præter amorem præſtare poſſit. In vita

Vidi

Vidi Fabricii Pibracii, a Carolo Paschalio scripta, narratur, Vidum in gremio nutricis positum, postquam valide tonuit, cœlestem flammam eique mixtam caliginem sepsisse, nutrice de cœlo tacta ac levi vulnere in sinistro crure icta, infante illæso nec territo. Vitam Jo. Phil. Pfeifferi, Theologi quondam Regiomontani ob defectionem ad Pontificios famosi, gener ejus Christianus de Helwich, Medicinæ Doctor, descripsit, in qua de Græcarum Antiquitatum Libris Pfeifferi peringenue judicat, stilum non satis purum in illis fluere, imo interdum vix esse Grammaticum, opus ipsum quoad rerum tractationem esse mancum ac mutilum, in eo multa esse omissa, alia vix levi brachio tacta, alia a recentioribus longe majori diligentia exculta, prætermissam fere fuisse tractationem de veterum Græcorum Musica, de Oraculis, quæ tradita sunt, non satis esse examinata ac falsitatis convinci posse, non satis videri penetrasse aut exhausisse, quæ veterum Græcorum concernunt Architecturam. Porro non exacte observatam temporum differentiam, ac ætates Græciæ varias. Neque enim dubitandum, sicut ex lectione Græcorum Autorum ac Poetarum constat, Græcorum mores pro diversitate temporum alios atque alios fuisse, levitatem eorum etiam proverbio locum fecisse. Præterea modum excessisse Autorem in allegandis Lexicis, & quæ sunt alia, quæ Helwichius magna cum libertate ipsi olim exposuit Autori. Ceterum Universitatibus Jenensi, Lipsiensi, aliisque, quas Pfeifferus perlustrasse dicitur *p. 583*, erronee accensetur *Gerana*. Digna quoque vita Oporini, Typographi Basileensis eruditissimi, visa est Viro cuidam docto, quæ reliquis adjungeretur. Orationem de ejus ortu, vita & obitu in Argentinensi Academia Jo. Henricus Hainzelius, Augustanus, recitavit, autore Andrea Jociseo, Silesio, Ethicorum in eadem Academia Professore. In ea multa de Theophrasti Paracelsi impietate vivendique ratione traduntur, qui sub initium repurgati Evangelii Basileam venit, & Magistratui ab Oecolampadio commendatus, Professionem Medicam in Academia obtinuit. Cumque Oporinus ad Medicinæ studium animum adjunxisset, & Theophrastus superbe jactaret, se unius anni spatio eximium artis Doctorem perfecturum, tam

arcte ei adhæsit, ut ab ejus consuetudine nunquam discederet, imo domestico etiam ejus consortio usus operam ipsi suam, famuli & amanuensis functus officio, locaret, sperans, se vel hac officiosa diligentia perfectam artis cognitionem, quam Doctor ille plenis buccis crepabat, consecuturum. Latinæ linguæ cognitionem Theophrastus habuit, ut sæpe affirmavit Oporinus, perexiguam: memoria tamen adeo felici erat præditus, ut integra Galeni loca memoriter & expedite recitaret. Solebat præterea Theophrastus vino madidus noctu stricto gladio per dimidium fere horæ cum larvis depugnare, non absque Oporini, qui eodem in conclavi cubiculari suo lecto latebat, magno metu & periculo. Inde Oporinum ad dictata excipienda excitabat, quæ tam expedite recitabantur, ut dæmonum instinctu ea suggeri, Oporinus se putasse sæpe affirmaret. Vocatus aliquando ab ægroto rustico Theophrastus, cum Eucharistia usum intelligeret, suæ arti jam non locum esse apud illum ajebat, qui alium auxiliatorem quæreret. Vitæ Oporini adjectus est Catalogus librorum, qui ipso obstetricante, aut beneficio preli ejus lucem viderunt. Minus vero perfectum esse illum indicem, vel exinde intelligitur, quod nulla Epiphanii A. C. 1544 Græce editi Basileæ in fol. cum præfatione Oporini nostri, mentio in eo fiat. Ceterum & alterum Vitarum volumen proditurum, si hoc non ingratum Lectoribus fuerit, speramus.

THE GREAT ABUSE OF MUSICK IN TWO PARTS.

h. e.

INGENS MUSICÆ ABUSUS, DUABUS partibus ostensus, ab ARTURO BEDFORD M. A. Capellano Ducis Bedfordiensis & Vicario Templi Bristoliensis.

Londini, sumtibus Jo. Wyat, 1711, 8.

Plag. 18.

CUm Cl. Autor intelligeret, nobilissimam artem illo scopo hodie maximam partem excidisse, quem veteres ejus inventores inprimis sibi præfixerant, operæ pretium se putavit facturum, si aliis

ſi aliis abuſum hunc commonſtraret. Hoc conſilio duas totius tractationis partes conſtituit, quarum altera conditionem & uſum Muſices, qualis antiquiori memoria fuit, ex idoneis monimentis variarum gentium exponit, commemoratis eadem opera cautionibus, quibus veteres abuſum ejus amoliri conati ſunt; altera ſtatum Muſices hodiernum, in quem profanis & impuris hominum moribus redactus eſt, edisserit. Hoc ipſo perſonam eam ornare optimo conſilio aggreſſus eſt Cl. Autor, quam imponi ſibi paſſus eſt, poſtquam nomen ſuum dedit illorum *Societati*, qui in amplificanda *Chriſtianæ Doctrinæ cognitione* operam ſuam & induſtriam collocant. In priore itaque parte oſtendit, quæ Muſices ratio olim fuerit apud gentes Orientis, ſpeciatimque Judæos. Inter eos autem homines meliorum partium & pietatis ſtudioſi Muſicam ita tractarunt, ut primo quidem concelebrandis Divini Numinis laudibus, deinde menti ad contemplationem rerum divinarum excitandæ ea inſerviret, ac denique mentes ad Muſicam cœleſtem quaſi præpararet. Neque tamen defuerunt inter eos, qui eadem abuterentur. Sic vel ſub initium inventæ inſtrumentalis & vocalis Muſicæ, ad Jubalem, qui ex Caini poſteris erat, autoritate Geneſ. IV, 21 referendæ, Caini poſteritas, vitiis nimium dedita, ab abuſu ſibi vix caviſſe videtur. Poſt diluvium vero uſus ejus genuinus Abrahami poſteris v. c. Labani, Gen. XXXI, 27, videtur fuiſſe commendatus, quemadmodum nec idololatræ ejus ignari fuerunt, ac nominatim Chaldæi, cujus rei exemplum exſtat Dan. III, 5. Sicut autem Caini poſteri, tanquam primi inventores, quod vel ex eo patet, quod Arabes cantatricem adhuc *Cainat* appellare ſolent, Muſicam in abuſum abripuerunt; ita deinceps eorum veſtigiis inſtiterunt ex Abrahami poſteris Idumæi, de quo conqueritur Jobus c. XXX, v. 9, & c. XXVII, v. 36. Ægyptii viciſſim artem hanc a labe illa immunem conſervaſſe atque hoc nomine elogio ſapientis & antiquæ gentis ornati videntur Jeſ. XIX, 11. Neque enim his alium ejus uſum quam ſacrum fuiſſe veroſimile fit ex Iſraelitarum exemplo, qui eorum imitatione procul dubio ducti, Exodi XXXII, 18, vitulum aureum voce & cantu proſequebantur. Paſtores Ægyptiorum Muſicam ad virtutem & amorem conjugalem amplificandum, alii

Pag. 3.

4.

alii vero ad majorum res geſtas enarrandas & virtutis ſenſum
Pag. 5. poſteris infigendum adhibebant, quod Herodotus in Euterpe
teſtatur. Prima Muſicæ exercendæ occaſio in Iſraelitarum gen-
te refertur Exodi XIV, 30 & XV, 1, ubi tranſitus per mare ru-
brum ſolemni ritu dedicatur, quem Judæos ab Ægyptiis didi-
6. ciſſe, arbitratur Kircherus Oedipi Ægypt. Tom. I p. 297. Ejus-
modi exempla plura in tabulis ſacris referuntur, v. c. Deut.
XXXII, 1 Sam. II, Judic. V, &c. Neque exſtat exemplum,
quo probari poſſit, hunc genuinum uſum ante Davidis tempo-
ra exſpiraſſe, quod Cl. Autor fuſius exponit. Quæ etiam cau-
ſa eſt, cur Judæi illius ætatis a Comœdiis æque ac Tragœdiis
13. alieniſſimi fuerint, neque earum uſum ante Antiochi Epiphanis
tempora receperint. Vide 1 Maccab. I, 11 & 2 Maccab. IV, 9 &c.
Propterea etiam Judæi in labem Muſicæ illatam invecti ſunt,
quod apparet ex verſione τῶν LXX, Eccleſ. X, 11 & Joſephi An-
14. tiquitatibus Judaicis lib. XV c. II. Sic & Philo paſſim in ſcriptis
ſuis v. c. *de ſomniis* & *de vita contemplativa* laudat Eſſenos, qui
17. Muſica non niſi in efferendis Dei laudibus utantur. Græci, de
quibus cap. II commentatur Autor, ut Muſicam acceptam fe-
runt Ægyptiis, ita eodem conſilio illam adhibuerunt. Sic
hymni Homeri ad Deos laudandos, ejus Ilias & Odyſſea ad me-
moriam Regum conſervandam pertinuerunt. Idem apparet ex
Orphei, antiquiſſimi Poetæ, hymnis, qui ſuperſunt, quem pau-
lo poſt Homerus, ut hunc Heſiodus, imitatus eſt. Nec Lyri-
corum, nominatim Pindari, in Odis &c. aliud fuit conſilium, a
24 ſqq. quo tamen abiit Anacreon. Ipſæ Græcorum Comœdiæ & Tragœ-
diæ de moribus hominum emendandis inprimis laborabant, &
ſicubi peccaretur prolatis in morum præjudicium ſententiis, pru-
dentiores in temeritatem hanc animadvertere graviter ſole-
30. bant, quod Euripidi accidit, cum Hippolytum de mente in-
jurata gloriantem in ſcenam produxiſſet. Hunc Muſices &
Poeſeos uſum cum Athenienſes tum Lacedæmonii certis inſti-
tutis & legibus perpetuum ſervare conati ſunt, quemadmodum
alii abuſum ejus verbis gravibus ſunt abominati, ut Ephorus &
Alcibiades, quorum pronunciata legere licet apud Polyb. hiſt.
lib. IV, Athenæum Dipnoſophiſt. XIV, 11 & Plutarchum in
Alci-

Alcibiade. Proximo loco ad partes vocantur Romani cap. III, Pag. 33.
qui ut Musicæ & Poeseos usum a Græcis acceperunt; ita nec eorum consilium & scopum sub initium migrarunt. Sic Virgilius in Æneide sua Homerum, Ovidius sæpe Hesiodum, Terentius Menandrum imitatur. 35.
Nolim tamen cum Cl. Autore dicere, Virgilium in Georgicis suis imitatum esse Oppianum, quem sub Antonino Caracella vixisse, adeoque ætate Virgilio inferiorem esse constat. Horum itaque opera Musicæ & Poeseos usus salvus fuit, quem non parum detriverunt Poetæ sequentium 39.
seculorum, Ovidius, Juvenalis, Martialis &c. Quod ad Comœdias attinet, ab illis Romani in primis gentis originibus prorsus abstinuerunt, deinde vero, cum adhiberentur, morum præceptis ita temperarunt, ut, cum vel sic abusus non prorsus evitari posset, subinde de eo ipsi scriptores conquererentur. Vide Senecam de brevit. Vitæ c. 12 & Ovid. de remedio amoris lib. 44.
2. Succedit cap. IV, quod comprehendit diversa Doctorum Ecclesiæ oracula & conciliorum decreta, quæ Musices abusum reprehendunt. Inter illos observes Clementem Alex. Pædagog. III, 11 & II, 4, Tertullian. de Spectac. p. 695, Hippolytum in Orat. de Anti-Christo, Cyprianum de Spectaculis &c. Ex conciliis huc pertinent Agathense Sec. VI can. 39 & Nanatense anni 890. nec non Synodus Senonensis anno 1524 coacta, &c. Hoc labore defun- 61.
ctus Cl. Autor præcipuum suum institutum in Parte II urget, qua exponit omnes illos abusus, qui hac ætate Musicam & varia ejus 64.
genera premunt. Hinc præmissa, quam vocat, cap. I Introductione, cap. II de hymnis minus decentibus agit, qui ignobiliori hominum sorti hodie inter Anglos frequententur. Ex his primo loco exempla affert, deinde idoneas rationes commemorat, quibus eorum usum dissuadere se posse sentit. Cap. III pro- 75.
fanos hymnos & impios vulgo receptos perstringit. Cap. IV Scenicos Anglorum ludos repræsentat, ratione decori minus observati, sicut cap. V profana eorundem instituta & asserta rejiciuntur. Cap. VI Cantica non decentia describuntur, quæ doceri solent fœminæ ætate juniores, melioris, quæ prætexitur, institutionis causa. Cap. VII sistit cantica ejusdem generis sed in ipsam pietatem injuria. Cap. IIX recensentur effecta pessima,

quæ ex ejusmodi Canticorum usu consequuntur. Cap. IX Musices corruptio ex ipsius hodierna constitutione in se considerata demonstratur, ratione compositionis & structuræ ejus. Cap. X idem agitur & evincitur ex Organœdis templorum. Cap. XI Musicæ divinioris & sacratæ Deo præstantia ac commoda, accessionesque quibus amplificari possit, exponuntur, ac cap. XII probatur, Musicam, in eam conditionem reductam, multum ad emendandos gentis mores conferre posse. Tandem cap. XIII conclusio pathetica operi finem imponit.

SCRIPTORUM BRUNSUICENSIA ILLUSTRANTIUM & religionis reformatione priorum Tomus tertius; cura GODEFRIDI GUILIELMI LEIBNITII.

Hanoveræ, sumtibus Nicolai Fœrsteri, 1711, in fol. Alph. 11 pl. 15.

COlophonem nunc illustris Autor egregio huic operi imponit, ac præter res Brunsuicenses & Luneburgenses nonnulla Estensia, leges item complures antiquas Saxonum inferiorum & monimenta historica ipsa horum dialecto in tertio hoc Tomo exhibet, maximamque partem ex MSto in lucem protrahit. Quamvis enim non diffiteatur, quædam inepta & falsa in Scriptoribus nonnullis huic Tomo insertis legi, ea tamen ob alia utilia, quæ subinde occurrunt, supprimere nefas duxit. Residua ergo scripta numero XLII communicat, ac primo loco *Chronicon Principum Brunsuicensium*, ab Anonymo quodam, qui tempore Alberti I Ducis Brunsvicensis floruit, versibus dialecto Saxonica scriptis, postea a Justino Goblero JCto & Consiliario rhythmis ad Thuringorum dialectum accommodatis conscriptum, producit. Visum autem ipsi fuit oppositis columnis utramque dare recensionem, tam e Bibliotheca Augusta Guelpherbytana sumtam, quam Goblerianam, quia innumeris locis altera alteram explicat, nonnullis etiam supplet. Sequitur *Apographum Tabulæ vernaculæ de rebus Ducum*, in Basilica S. Blasii Brunsvicensi suspensæ, quod Leibnitius noster ex collectione Maderiana

repetit.

repetit. Ubi verſus Saxonicos antiquos *de fundatione & incrementis Eccleſiæ Gandeshemenſis* enarrat, Everhardum Presbyterum iſtorum verſuum Autorem ex Chronico illius Eccleſiæ Latino vetuſto, quod intercidit, ſua ſumſiſſe obſervat. His *Chronicon Luneburgicum ab initio Ducatus Luneburgici ad A. MCCCCXXI* vernacula Saxonum inferiorum dialecto a cive quodam Luneburgico, qui Seculo XV adulto ſcripſit, confectum adjungit, et excerpta deinceps ex *Chronico Hermanni Korneri ab A. MCCCLXXI ad A. MCCCCXXXV* ad urbem Luneburgum pertinentia, nec non *continuationem ejusdem Chronici ad A. MCCCCXXXVIII*, quam ex MSto volumine chartaceo ſatis grandi in folii forma, extante in Bibliotheca Sereniſſimi Electoris Brunſvicenſis, depromſit, tradit. *Fragmentum* porro *Chronici Bardevicenſis ad A. MCCCCXLI* proponit, ac *de Magni Ducis*, *vulgo Torquati*, *fatis* diſſerit, verſusque aliquot, quos Georgius, ex Ducibus Brunſvicenſibus, Archi-Epiſcopus Bremenſis & Verdenſis, in hunc Ducem, atavum ſuum, ſcripſit, annectit. Notitiam quoque *rei nummariæ Luneburgicæ, Hamburgenſis & Lubecenſis* ab A. MCCCXXV ad A. MDXXV explicandorum veterum contractuum gratia præbet, & Henrici Langii, Conſulis urbis Luneburgi, libellum *de origine belli Prælatorum Luneburgici* vernaculo ſermone concinnatum in apricum producit. Poſt odam Saxonicam brevem & carmen Saxonicum prolixius *de bello Hildeshemenſi*, vulgo *Stifftiſche Fehde*, quod A. MDXIX inter Epiſcopum Hildeſienſem & Henricum Ducem Brunſvicenſem Cellis commorantem ab una parte, ab altera vero inter Duces Brunſvicenſes alterius lineæ exarſit, collectioni ſuæ inſerit, & *fragmentum Chronici Hildeſienſis*, vernaculo Saxonum ſermone ſcripti, ſubjungit. Ex archivo civitatis Hildeſienſis *Joannis Stadtweg Poppendikenſis Chronicon* promit, & circa recenſionem *Chronici Brunſvicenſium picturati*, h. e. more illius temporis multis figuris xyloglypticis referti, in quo varia alibi non obvia inveniuntur, annotat, quod illud a Conrado Bothone, cive Brunſvicenſi, conſcriptum, & Moguntiæ ſub titulo: *Cronecken der Saſſen*, A. 1492 ex officina typographica omnium prima, nempe Patri Schöfferi, qui ſocerum habuit Joannem Fauſtum invento-

rem, vulgatum fuerit. Res Goslarienſes illuſtrabunt *Chronicon breve Principum Romanorum*, qui Goslariæ aut in vicinia Eccleſias privilegiis donarunt, & Catalogus *Reliquiarum Eccleſiæ Collegiatæ*, vulgo *das Munſter* dictæ. Ad Brunſvicenſes autem ſpectant *antiquiſſimæ Leges Municipales civitatis Brunſvicenſis*, quæ a Duce Ottone I latæ, & ab Imperatore Friderico II confirmatæ ſunt, uti quidem codici membranaceo adſcriptum legitur; item *Ordinarius Senatus Brunſvicenſis*, ipſius juſſu A. 1408 conſcriptus, qua occaſione illuſtris Editor de judicio *Vemeding* dicto ac Feimeris, de inventione haleces ſaliendi & cui illa tribui debeat, aliisque rebus ad antiquum ſtatum civitatis & linguæ veteris Saxonicæ cognitionem pertinentibus agit. *Leges* etiam *antiquas municipales* tum *Cellenſes* tum *Goslarienſes* commemorat, & *metallicas antiquas Goslarienſes* pro fodinis in Rammelsberg ex MSto ſuperaddit. Facta deinceps *Chronici S. Ægidii in urbe Brunſviga* mentione, adjuvante Roberto Verbockhorſt, Monaſterii S. Ludgeri apud Helmſtadium Præpoſito, tum Franciſci Henningi Hagenii *Syllabum Abbatum Werthinenſium & Helmſtadienſium*, tum Uffingi Monachi Werthinenſis *carmen in laudem Werthinæ* exhibet. Sequuntur Werneri Rolevinkii Larenſis Ordinis Carthuſiani *de moribus & ſitu antiquorum Saxonum* libri tres, cum emendationibus & additamentis tum *ad vitam B. Mathildis* Reginæ Germaniæ, tum *ad Chronicon de Gvelfis Principibus*, quorum utrumque Tomo I memoratum fuit. Excerpſit etiam Autor celeberrimus ex *Viti Arnpeckii*, Sacerdotis Bavari, *Chronico Bajoariorum* nonnulla de Gvelfis, ac notat, Arnpeckio innotuiſſe, Azzonem Marchionem, patrem Gvelfi Ducis, Eſtenſem fuiſſe; quod apud nullum ex Scriptoribus in tota collectione occurrentibus, qui Arnpeckio ſit prior, legitur. Rurſus ex Bibliotheca Auguſta Gvelfica narrationem *belli a Magno Juniore Duce ejusque filiis cum Luneburgenſibus geſti*, & excerpta ex *Collectaneis Poeticis Theoderici Blockii*, Brunſvigo-Hildeſienſis Medici, qui circa finem Seculi XV floruit, communicat. Poſtea adjicit *Chronologiam Abbatum Ilſenburgenſium*, cum annotationibus quibusdam Guilielmi Budæi, Halberſtadienſium Medici, ac notitiam tum *de origine & Abbatibus*

Mona-

Monasterii Luccensis, cui Gerardus Molanus, primus Prælatus Ducatus Calenbergici & supremus Theologus Serenissimi Electoris Brunsuicensis, hodie præest, tum *de Abbatibus S. Michaelis Luneburgensibus* ex veteri tabula præbet. Emendat etiam ac supplet Henrici Bodonis Syntagma de Ecclesia Gandesiana, quod Tomo II collectionis suæ dederat. Ex Ambrosiana vero Bibliotheca *Arnulfi Historiæ Mediolanensis libros IV* beneficio Johannis de Sitonis, JCti Mediolanensis, nactus est, quos ideo huic Operi inserere voluit, quia Arnulfus multa de antiquis Estensibus Principibus a Sigonio primum dicta confirmat. Adductis deinde partim ex *Necrologio Monasterii Werdinensis*, partim ex *Andreæ Danduli*, Ducis Venetiarum, *Chronico Opere* rebus memoratu dignioribus, lacunam *Chronici Magdeburgensis* ab Henrico Meibomio Juniore editi ex MSto supplet, suppeditante supplementum V. Cl. Jo. Georgio Eccardo, Histor. in Acad. Julia Prof. Publ. qui Ill. Editorem in recensendis his Scriptoribus non mediocriter adjuvit. Nec omittit *legum Wisbyensium ab Henrico Leone confirmatarum* præfationem, cui tandem *leges antiquas Luneburgenses de Hæreditatibus* & observationes *ex Necrologio Fuldensi antiquissimo* subjungit.

Post introductionem in hunc Tomum comparet Epistola elegans æque ac erudita de posteris Azzonis Marchionis, præsertim Italis, a celeberrimo Viro Ludovico Antonio Muratorio ad illustrem Leibnitium exarata, quem paucis hoc loco recensebimus. Nimirum duas habuit uxores Azzo seu Albertus, primam Cunizam, seu Cunigundam Welphicam, e qua filium unicum, quantum constat, *Welphonem IV* suscepit, quem Henricus IV Imp. A. 1072 ad Bavariæ Ducatum evexit, alteram Garsendem, Hugonis Cænomanensis Comitis & Principis filiam, quæ illi *Fulconem* & *Hugonem* filios peperit, quorum uter major natu sit, incertum Nostro videtur. Ex his Hugo exstincta Comitum Cænomanensium in Herberto Garsendis fratre prole mascula Principatum illum aliquandiu obtinuit, vulgo *Hugo a Manso* a Cænomanicæ urbis nomine dictus; sed & rursus illo excidit. De Jtalicis vero provinciis, quæ tum sub *Marchionatus Liguriæ* titulo veniebant, haud satis convenit

venit inter fratres, quod Fulconi præ reliquis proſpectum Pater voluiſſet & Welpho in Germania abſens partem, quæ ſibi in Italia debebatur, tueri ægre poſſet; quæ lites ita demum A. 1154 fuere compoſitæ, ut Henricus Leo, Welphonis IV nepos, Fulconis filiis jura ſua ſolenniter in feudum concederet. *Welphoni IV* filius primum ſenior *Welpho V*, cui Matildis, celebris Italorum Comitiſſa, A. 1089 nupſit, eoque non relicto prole defuncto, junior *Henricus* Niger ſucceſſit, qui e Wulfilde, Magni Saxonum Ducis filia, Juditham, Friderico Suevorum Duci nuptam, matrem Friderici I Imp. filiosque *Henricum* & *Welphonem VI* aliosque liberos haud ita memorabiles ſuſcepit. Horum alter *Henricus*, qui ducta Gertrude Lotharii II filia, ad Bavariæ Ducatum Saxoniam adjecit, multa quoque adhuc in Marchia Treviſana & Veronenſi tractu tenebat, quemadmodum Noſter e tabulis evincit, unicumque filium habebat Henricum Leonem. *Welpho VI* vero a Friderico I Imp. ſororis ſuæ filio, A. 1152 *Marchiam Tuſciæ*, *Ducatum Spoletanum*, *Principatum Sardiniæ* & *Domum* ſeu hereditatem *Matildis* in beneficium accepit, verum is, *Welphone VII* filio jam tum A. 1167 exſtincto, improlis deceſſit A. 1191. Henricus Leo filios habuit, *Henricum*, *Saxoniæ Ducem* & *Palatinum Comitem Rheni* dictum (nam Palatinatum ducta filia unica Conradi Palatini, qui Friderici I Imp. frater erat, acceperat) *Ottonem IV* Imp. & *Guilielmum* Ducum Brunſuicenſium ſatorem. Sed ut ad Hugonem & Fulconem, Azzonis filios, revertamur, illius quidem ſtirps cum Manfredo nepote defecit, maxima hæreditatis parte ad Fulconis familiam, reliqua ad Eccleſias translata, hic vero familiam Ducum Mutinenſium propagavit, quos jam circa A. 1170 *Marchionum Eſtenſium* axiomate compellatos fuiſſe, Autor obſervat. Ceterum genealogiam Principum Eſtenſium usque ad mortem Azzonis VI, quæ in annum 1212 incidit, pulcre deducit, pluribus, quæ hactenus latuere, ex archivis depromtis, quæ hic cuncta recenſere ob brevitatis ſtudium haud licet. Illud tacere poſtremo non poſſumus, ſub finem hujus Tomi III Indicem locupletiſſimum in tres Tomos Scriptorum Rerum Brunſuicenſium comparere, quem

Digitized by Google

quem magno historiarum cupidis usui futurum omnino nobis persuademus.

NOVA LITTERARIA.

NOn ingratum Lectori existimamus, ut, quæ in caussa Camaclensi hactenus edita accepimus, brevibus hoc loco memoremus. Notum est, primum Pontificis partes tuendas suscepisse Justum Fontaninum, edito A. 1708 libro: *Il Dominio temporale* &c. cui eodem anno Lud. Antonius Muratorius responsionem sub tit. *Osservazioni sopra una lettera intitolata Il Dominio* &c. opposuit, de quibus scriptis accurate egimus in Actis A. 1709 p. 195 seq. Inde cum Fontaninus librum illum recuderet A. 1709, Defensionem quoque, *La Difesa* &c. subjunxit, qua ad Observationes illas quædam reposuit, eodemque anno Latine Romæ prodiit *Dissertatio historica de summo Apostol. Sedis Imperio in Urbem Comitatumque Comacli*, cujus autor perhibetur Laur. Zaccagnus, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, nuper defunctus. Sed dum utrique justo opere respondere conatur Muratorius, interim Prodromi loco A. 1710 præmisit Supplicem libellum nomine Ducis Mutinensis ad Cæsarem datum, *Umilissima supplica*, de quo, ut & de Fontanini & Zaccagni scriptis in Actis A. 1711 p. 225 dictum est. Interea nec alii promachi defuere Ducibus Mutinensibus, quippe pro illorum caussa prodiere libri: *Succinta Esposizione delle Ragioni del S. R. Imperio & della Sereniss. Casa d' Este sopra Comacchio*, 1710, in fol. & *Quistioni Comacchiesi, oue si espongono i punti superflui, a quali vorrebbe la Camera Apostolica ridurre la Controversia di Comacchio*, 1711 in fol. incertum quo loco editi. Hinc Fontaninus, quasi colophonem controversiæ impositurus, Defensionem secundam *La Difesa seconda* &c. superiori anno in 4 prodidit, cui etiam *Tabulam Chronologicam Jurium & Actorum supremæ potestatis S. Sedis Apostolicæ super Civitate Comaclensi* addidit; quæ cum Nuntius Pontificius in nuperis Comitiis Electionis Cæsareæ pro asserendo jure Pontificis exhiberet, Legatus Ducis Mutinensis Illustriss. Comes d' Olivazzi in iisdem Comitiis duo opuscu-

opuſcula Francofurti vulgavit, quorum alterum Italice & Gallice ſub tit. *Quanto ſia giuſto e convenevole, che Comacchio ſi conſervi al S. Rom. Imper. per lo Ser. Sign. Duca di Modena, che n' e ſuo Vaſallo*, i.e. *Memoire pour prouver* &c. in fol. alterum Latine ſub tit. *Animadverſiones pro S. Romano Imperio & pro Seren. Duce Mutinæ in Monitum Lectori, quod præmittitur Tabulæ Chronologicæ favore Rev. Cameræ Romanæ nuperrime editæ in cauſa Comaclenſi* in 4, neutrum vero Autoris aut Loci mentione facta prodiit. Prodiere & Moguntiæ ante biennium fere ſub tit. *Copia inveſtituræ Mantuanæ* in fol. ſine Loco & Anno, variæ literæ inveſtituræ ſtatus Ferrarienſis & ſpeciatim Comacli, quæ in hac cauſſa conferri cum fructu poſſunt; et recuduntur nunc uno volumine Francofurti ad Mœnum ſcripta quædam ad eam cauſam pertinentia, in quibus tamen, cum Pontificiorum autoritate imprimantur, ea, quæ Eſtenſium jura tuentur, vix omnia comparitura, credamus.

Tranſmiſſus nobis nuperrime fuit titulus: *Imperium Orientale ſive Antiquitates Conſtantinopolitanæ in IV Partes diſtributæ: quæ ex variis ſcriptorum Græcorum operibus & præſertim ineditis adornatæ, Commentariis, ac Geographicis, topographicis aliisque quam plurimis monumentorum ac numiſmatum tabellis illuſtrantur & ad intelligentiam cum ſacræ tum profanæ hiſtoriæ apprime conducunt. Opera & ſtudio* Domni Anſelmi Banduri, *Raguſini Presbyteri ac Monachi Benedictini e Congregatione Melitenſi. Pariſiis, typis & ſumtibus Jo. Baptiſtæ Coignard, 1711*, 4 maj. acceſſere & contenta Operis ſatis prolixa, e quibus apparet, tribus Partibus prioribus, quæ primum operis Tomum conſtituunt, variorum Autorum, ut Conſtantini Porphyrogeniti, Hieroclis Grammatici, Agapeti Diaconi, Baſilii Macedonis Imp. Theophylacti, Nicetæ Choniatæ, aliorumque, Anonymorum potiſſimum, opera anecdota vel minus emendate hactenus edita, quartâ vero Parte, ſeu Tomo II, Cl. Editoris Animadverſiones & Commentarios contineri.

* *
*

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno M DCC XII.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Sciences Année M. D CC IX. &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiarum Anni M D CC IX, cum Commentariis Mathematicis & Physicis.

Amstelodami, apud Petrum de Coust, 1711, 12.
Alph. 1 pl. 10 Tabb. 15.

PHysicam generalem illustrant *De la Hire, Maraldi* & *Lemory* filius. *De la Hire* observationes barometricas recenset, quas barometro composito *Hugenii* instituit ad explorandas diversas Mercurii altitudines in locis elatis ac depressis. Invenit altitudinem columnæ aereæ cum unica linea Mercurii æquilibrium servantis 76 fere pedum, pondere totius atmosphæræ 28″ & fere $\frac{1}{2}$‴ Mercurii æquilibrato. Observationibus istis alias jungit de influxu caloris ac frigoris liquorum barometri compositi, comparans altitudines Mercurii in simplici cum altitudinibus in composito. Supponit nimirum (quod experientia ipsum docuit) in barometro simplici, etiamsi radiis solaribus aut frigori hiberno exponatur, sensibilem altitudinis Mercurii variationem non mutari. *Maraldi* observationes Genuæ a Marchione *Salvago* factas cum Parisiensibus comparat & inde concludit, quod Genuæ ac Parisiis mutationes barometri sint fere eædem, ventis licet statuque aeris diversis. Reperit autem conformitatem maximam in altitudine media Mercurii, quam adeo commendat, ubi per barometricas observationes, in diversis locis eodem tempore factas, montium altitudines

invenire volueris. Notat ulterius, in locis meridionalibus Scalam totius variationis Mercurii minorem esse quam in septentrionalibus: a qua tamen regula recedunt observationes *Scheuchzeri* Tigurinæ. Ostendit denique, aërem non habere in omnibus locis terræ eandem vim sese dilatandi atque hinc heterogeneum esse. *Lemery* de materia ignis disquirit,& præter subtilitatem summam & agitationem celerrimam, insuper figuram ipsi propriam requirit. Ei tribuit, quod calx aqua affusa incalescat, & hinc probat, ipsam in corporibus, quibus includitur, non mutari. Includi eam corporibus calcinatis, quia poros calore dilatatos ingredi potest; sed per frigore constrictos egredi nequit. Immo ab ipsa inflammabilitatem corporum unice pendere. Mirati sunt Academici, cur hyeme extraordinaria Anni 1709 per plures dies durante frigore Auster spiraverit,nec Sequana tota glacie obducta fuerit: id quod tamen hyeme ordinario fieri solet. Varias quoque ibi de pluvia & ventis observationes reperies.

In *Anatomicis* delirium melancholicum explicaturus *Vieussens* filius, supponit, sedem functionum spirituum animalium esse centrum ovale, quod pater ipsius contextum esse docuit ex subtilissimis vasculis, quæ mediantibus aliis adhuc minoribus innumeris in locis inter se communicant. In primis sanguinem attenuari, ut ad formam spirituum induendam paratus sit, & hinc per altera spiritus ex eo separari. In hisce vasculis fere imperceptibilibus omnes fieri motus, quæ ideis aut perceptionibus mentis respondent. Sanitatem igitur spirituum pendere a regularitate,æquabilitate & libertate motus spirituum per dicta vascula. Si eorum plurima occludantur,ut spiritibus transitus denegetur,ut in somno,spiritus per paucos apertos fluentes somnia excitare. Si e contrario omnia aperiantur, & spiritus nimia copia affluant, phrenesin causari. Si quædam obstructa spiritus excludant, animam non posse uti illis ideis, quibus respondent motus in vasculis obstructis, uti tamen prompte reliquis. Inde delirium melancholicum ortum trahere, cujus adeo causa remota sit sanguis nimium crassus & lente fluens, vel quia ob vehementem calorem transpiratio nimia facta, vel quia ex alimentis

Digitized by Google

mentis craſſioribus elaboratus eſt ſanguis, vel quia ingenti ac diuturno metu perculſi fuimus &c. *Gandolphus* per triplex vulnus tunicæ corneæ inflictum humorem aqueum a ſanguine ob vehementem contuſionem magna copia extravaſato purgavit & vulnera intra octiduum feliciſſime ſanavit, ita ut ne minimum cicatricis veſtigium ſupereſſet, linteamina aqua plantaginis & vulneraria (4 nempe uncias prioris miſcuit duabus poſterioris) madefacta, decenter applicans. Hoc remedium in vetuſto quodam libro ſe reperiſſe teſtatur. Pupilla utut perfecte rotunda, nimis tamen dilatata ſemper deprehenſa, ita ut diameter oculi ſanati ad diametrum alterius eſſet in ratione dupla. *Helmontius* dudum obſervavit, cancros circa menſem Junii ægrotare & per 9 circiter dies quaſi ſemimortuos jacere. Tunc temporis novam formari membranam, quæ ſtomachum ipſorum involvit & inter quam ac ſtomachum ex liquore lacteo lapilli (cancrorum oculos vulgo vocant) formentur. Ex ea novum generari ſtomachum & priorem intus concluſum cum lapillis & liquore reſiduo in nutrimentum ejus abire. *Godofredus* junior non minoris momenti judicans, ut obſervationes, veterum præſertim, dubiæ denuo confirmentur & confirmatæ conſerventur, quam ut novæ in apricum producantur, propria experientia confirmat, quæ *Helmontius* annotata reliquit. *Reaumur* experimentis docuit, cochlearum teſtas formari ex exhalationibus, quæ ex corpore animalis intus poſtea latentis prodeunt & circa ipſum indurantur. Limacum ſcilicet teſtas pertudit & interpoſita inter foramen atque corpus pellicula fruſtum ablatum infra eam continuo reſtitui didicit. Similiter cum exteriorem teſtæ partem avelleret, ut reliqua corpori limacis tegendo non amplius ſufficeret, atque cuticulam complicatam extus & intus teſtæ agglutinaret, partem avulſam nihilominus reſtitui annotavit. Die 1 Februarii A. 1709 Aquis-Sextiis uxor lanii cujuſdam enixa eſt intra aliquot dierum ſpatium 9 infantes utriusque ſexus, (qui omnes ſacro lavacro adſperſi) una cum maſſa informi quatuor priores inſecuta. Matricis in fœmina læſionem minime lethalem eſſe, memorabili exemplo docetur. *Plantade* e Societate Regia Montepeſſulana duos commemorat pullos, quibus duo corda

largita eſt natura, intervallo dimidii digiti diſtantia. *Mery* in teſticulis maris reperit veſiculas iis ſimiles, quæ in ovariis fœminarum aſſervantur, & in aqua calida pariter indurantur: indurationem adeo hanc non eſſe argumentum ſufficiens, concludit, quo probetur, veſiculas in ovariis fœminarum latentes ova eſſe. Idem *Mery* & *Littre* fœtus monſtroſos deſcribunt. Prior etiam motus linguæ Pici accuratius, quam *Borellus* & *Perrault*, explicare intendit. *Lemery* 4 unciis Mercurii crudi miſcens 8 uncias ſalis decrepitati & in pulverem redacti, ſine vitriolo ſublimatum paravit; ſed cum vitriolo ſolo ſine ſale parare haud potuit. *Godofredus* junior foco vitri cauſtici *Tſchirnhuſiani* ſuper catino ordinario vel ſilice expoſuit ferrum, cuprum, ſtannum & plumbum & quæ exhibuerunt phænomena, diligenter annotavit, ut inde in intimam compoſitionem aditus pateret. Concludit autem, baſin horum metallorum eſſe terram friabilem, quæ in vitrum abire poteſt, diverſam tamen in diverſis. Huic ſociari ſulphur, in omnibus non modo metallis, ſed etiam vegetabilibus & animalibus idem: a quo opacitas, ſplendor & malleabilitas ortum ducat. Poſterius probatur, quia metalla carbonibus impoſita vitrificari nequeant. *Boulduc* per analyſes chymicas convictus docet, grana Indica, quæ *Cachou* appellari ſolent, eſſe ſuccum ex vegetabili extractum. *Lemery* contra opinionem vulgo receptam defendit ſcolopendras viviparas, & earum analyſin chymicam inſtituit. Duas autem agnoſcit ſpecies, alteram domeſticarum, quæ in tectis, cellis & locis humidis atque nitroſis reperiuntur; alteram agreſtium, quæ in frumento, rimis arborum veterum & lignis commorantur. Ex domeſticis e. gr. per deſtillationem ſal volatile extraxit, prorſus ſimile ei, quod ex viperis extrahitur, & eandem cum hac virtutem medicam habens. Cum carbones a deſtillatione in retorta reſiduos calcinaret, in cineribus ferrum reperit: quale etiam in cineribus aliorum animalium invenit. Nullum tamen dedere cornu cervi, ebur, lapilli cancrorum, teſtæ oſtrearum. Quamvis experimenta quædam ſuadere videantur, acida mineralium & vegetabilium eſſe diverſa; *Hombergius* tamen pro identitate pugnat. Ex terra enim acidum ſuum attrahunt plantæ: in terra

vero

Digitized by Google

vero mineralia existunt. Habet autem acidum pro fasciculo acicularum, quæ in transitu per exigua plantarum vascula disjunctæ pungendi vim ex unione ortam amittunt. Reperit etiam, fel boum esse saponem artificiali admodum similem, compositum nempe ex oleo & alcali; id quod jam agnitum est ab *Havero* in Actis A. 1705 p. 546. Idem sua Chymiæ tentamina continuans de Mercurio disserit, per quem nonnisi argentum vivum intelligit. Quamvis enim Mercurium in numero compositorum contineri concedat, quia destrui potest; cum tamen modus ipsum in sua principia simplicia resolvendi nondum in publicum constet, ipsum tamdiu in numerum principiorum chymicorum referendum esse existimat, quamdiu ejus analysis non aperitur. Mercurii figuram triplici in statu considerat, 1 cum fluidus est, 2 cum in metallum degeneravit, 3 quam post destructionem metalli recipit. In primo statu ex globulis solidis ac politissimis eundem constare: in secundo illos globulos a materia luminis undiquaque perforari & in istis foraminibus materiam luminis residere: in tertio foramina hæc adeo dilatata esse, ut materiam luminis amplius continere nequeant. In primo statu globulos esse Mercurium verum; in secundo metallum; in tertio rudera Mercurii a metallorum destructione residua, hoc est, materiam terrestrem, ex qua Mercurius reviviscere nequeat. Differentiam argenti ab auro hanc adeo agnoscit, quod in illo producendo materia luminis minus temporis insumserit, quam in hoc. Quodsi enim argentum ab omni auro liberatum centies fundatur & per unius minimum horæ spatium in fluore detineatur, notabilis auri quantitas tandem inde separabitur, quam de novo productam esse censet. Eandem argenti in aurum per materiam luminis transmutationem alio experimento corroborat, quod minus temporis, sed plus laboris requirit. His addit, quod interdum in mineris obvium sit aurum nimis pallidum, a quo tamen nihil argenti separari possit, per repetitam fusionem ad colorem consuetum evehendum. Ex hac hypothesi una rationem reddit, cur aqua fortis argentum solvat, non aurum & aurum contra solvat aqua regia, non vero argentum.

In *Botanicis* plantam monstrosam ex earum genere describit

Marchant, cui raphani minoris oblongi ceſſit nomen. Ejus rationem redditurus aſſumit, variis experientiis fretus, plantam eſſe congeriem innumerarum plantarum exiguarum ſimilium, quæ non niſi partes ejusdem totius comparent. Quod ſi itaque contingat, ut pars aliqua evolvatur, quæ evolvi non debebat, ut ſub forma totius appareat, cum nonniſi partem exhibere deberet; monſtrum produci in plantarum genere. Circulationem ſucci nutritii, A. 1665 a Medico quodam Hamburgenſi primum publicatam, multis experimentis confirmare anniſi ſunt *Perrault* atque *Mariotte*, cui hypotheſi etiam calculum ſuum adjecit *Malpighius*, ſed ſemper adverſati ſunt *Du Clos* & *Dodart*. Admiſit equidem *Dodartus*, non minus ex foliis ad radicem ſuccum deſcendere, quam alius a radicibus ad folia aſcendat; ſed eundem numero eſſe, qui aſcendat & deſcendat, pernegavit. Hanc controverſiam renovavit *Magnolius* & ad ſingula experimenta data opera reſpondit. Summa reſponſionum capita in Hiſtoria *Fontanellius* recenſet. Ulmus circa veris initium A. 1708 a radice usque ad ramos cortice denudata per æſtatem omnem folia aluiſſe dicitur. Unde ſuſpicatur, corticem non adeo neceſſariam eſſe ad arborum vitam, ac vulgo putatur.

In *Algebraicis Rollius* corroborare conatur objectiones contra methodum *Sluſianam* conſtruendi æquationes, quarum mentionem injecimus in Actis A. 1710 p. 207.

In *Geometricis* cylindros & conos, circulares, ellipticos, parabolicos, integros aut truncatos, ſegmenta ſphæræ, paraboloidum, conoidum &c. invenire docet *Parentius*, quorum ſuperficies pariter ac ſoliditas æqualis eſt ſuperficiei ac ſoliditati alicujus ſphæræ. Caſus ſimpliciſſimus hic eſt: Sit radius ſphæ-

TAB. II. Fig. 1.

ræ $=r$, peripheria $=c$, erit ſuperficies $=2rc$, ſoliditas $=\frac{2}{3}cr^2$. Sit altitudo cylindri $AG=l$, radius baſis $AF=m$, erit peripheria baſis $cm:r$, conſequenter ſuperficies $cml:r=2rc$ & ſoliditas $cm^2l:2r=\frac{2}{3}cr^2$. Ex prima æquatione elicitur $l=2r^2:m$; ex altera $l=4r^3:3m^2$. Unde $m=\frac{2}{3}r$ & $l=3r$, hoc eſt, $AC:2r=2r:AG$. Proſtant paſſim Geometrarum methodi, quibus radius evolutarum *Hugenianarum* determinatur. In iis ſupponitur, radios omnes eſſe ad curvam alteram perpendiculares. Itaque *Reaumur* problema

Fig. 1.



Fig. 2



Fig. 9.

Fig. 5.



Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 6.

Fig. 7.



Fig. 8.



Digitized by Google

blema illud generalius redditurus, considerat etiam alios casus, in quibus lineæ rectæ infinitæ numero *FM* & *fm* in punctis contactuum *M* & *m* cum tangentibus *TM* & *tm* angulos *FMT* & *fmt* æquales faciunt angulo cuidam dato *IOL* recto minori aut majori. Docet nimirum determinare 1 punctum intersectionis *N* duarum linearum *FM* & *fm* infinite propinquarum, 2 naturam curvæ *BNK* per innumeras istiusmodi intersectiones descriptam. Sint itaque *MC* & *mc* radii evolutæ curvæ *AMG* infinite propinqui, ducaturque ex centro *N* radio *NM* arculus *MR*: erunt sectores *CMm* & *NmR* similes, quia anguli cognomines æquales. Demittantur porro perpendiculares *PM* & *pm* & ducatur axi *AP* parallela *MV*. Quodsi jam fiat $MC=r$, $MN=z$, $Mm=ds$; erit $MC(r):MN(z)=M(ds):MR\ (zds:r)$. Quoniam in triangulo ad *R* rectangulo *MmR* omnes anguli dantur, si sinus anguli *mMR* dicatur *m*, sinus anguli *MmR* vero *n*; erit $m:n=mR\,(zds:r):MR\,(nzds:mr)$. Est etiam $MR=\surd(Mm^2-mR^2)=ds\surd(r^2-z^2):r$. Quare $nzds:mr=ds\surd(r^2-z^2):r$, consequenter $z=\pm mr:\surd(m^2+n^2)$. Ergo *MN* est quarta proportionalis ad sinum totum, sinum anguli dati & radium evolutæ. Æquationem pro curva *BNK* ita elicit. Ducatur *NQ* ad axem *AQ* curvæ *AMG* perpendicularis, itemque *TF* ad *FM*. Jungantur puncta *T* & *N* recta *TN*. Agatur denique per *N* recta *EN* axi *PQ* parallela. Sit jam $AP=x$, $PM=y$, $AQ=u$, $QN=s$, subtangens $TP=p$, tangens $TM=t$: erit $PQ=EN=AQ-AP=u-x$; $ME=PM-PE=y-s$. Quoniam $MN^2=ME^2+NE^2$; erit (*A*) $z^2=y^2-2sy+ss+uu-2ux+xx=m^2r^2:(m^2+n^2)$, per superius demonstrata. Ob similitudinem triangulorum *FMT* & *RMm* anguli eorum eosdem habent sinus: quare ut sinus totus $\surd(m^2+n^2)$ ad sinum anguli $FTM(n)$ ita $TM(t)$ ad $FM\,(nt:\surd(m^2+n^2))$ & ut sinus totus $\surd(m^2+n^2)$ ad sinum anguli $FMT(m)$ ita $TM(t)$ ad $TF(mt:\surd(m^2+n^2))$. Hinc $FN=FM+MN=(nt+mr):\surd(m^2+n^2)$. Est vero $QT=PT+PQ=p+u-x$. Ergo $QT^2+QN^2=p^2+2pu+u^2-2ux-2px+x^2+s^2$ & $FT^2+FN^2=(n^2t^2+2mntr+m^2r^2+m^2t^2):(m^2+n^2)$, consequenter (*B*) $t^2+(m^2r^2+2mtr):(m^2+n^2)=s^2+p^2+2pu+u^2-2px-2ux+x^2$. Quodsi æquationem *A* ex hac altera *B* subtrahas,

TAB. II. Fig. 2.

TAB. II. Fig. 2.

blema illud generalius redditurus, conſiderat etiam alios caſus, in quibus lineæ rectæ infinitæ numero *FM* & *fm* in punctis contactuum *M* & *m* cum tangentibus *TM* & *tm* angulos *FMT* & *fmt* æquales faciunt angulo cuidam dato *IOL* recto minori aut majori. Docet nimirum determinare 1 punctum interſectionis *N* duarum linearum *FM* & *fm* infinite propinquarum, 2 naturam curvæ *BNK* per innumeras iſtiusmodi interſectiones deſcriptam. Sint itaque *MC* & *mc* radii evolutæ curvæ *AMG* infinite propinqui, ducaturque ex centro *N* radio *NM* arculus *MR*: erunt ſectores *CMm* & *NmR* ſimiles, quia anguli cognomines æquales. Demittantur porro perpendiculares *PM* & *pm* & ducatur axi *AP* parallela *MV*. Quodſi jam fiat $MC=r$, $MN=z$, $Mm=ds$; erit $MC(r):MN(z)=M(ds):MR\ (zds:r)$. Quoniam in triangulo ad *R* rectangulo *MmR* omnes anguli dantur, ſi ſinus anguli *mMR* dicatur *m*, ſinus anguli *MmR* vero *n*; erit $m:n=mR\,(zds:r):MR\,(nzds:mr)$. Eſt etiam $MR=\sqrt{}(Mm^2-mR^2)=ds\sqrt{}(r^2-z^2):r$. Quare $nzds:mr=ds\sqrt{}(r^2-z^2):r$, conſequenter $z=\pm mr:\sqrt{}(m^2+n^2)$. Ergo *MN* eſt quarta proportionalis ad ſinum totum, ſinum anguli dati & radium evolutæ. Æquationem pro curva *BNK* ita elicit. Ducatur *NQ* ad axem *AQ* curvæ *AMG* perpendicularis, itemque *TF* ad *FM*. Jungantur puncta *T* & *N* recta *TN*. Agatur denique per *N* recta *EN* axi *PQ* parallela. Sit jam $AP=x$, $PM=y$, $AQ=u$, $QN=s$, ſubtangens $TP=p$, tangens $TM=t$: erit $PQ=EN=AQ-AP=u-x$; $ME=PM-PE=y-s$. Quoniam $MN^2=ME^2+NE^2$; erit (*A*) $z^2=y^2-2sy+ss+uu-2ux+xx=m^2r^2:(m^2+n^2)$, per ſuperius demonſtrata. Ob ſimilitudinem triangulorum *FMT* & *RMm* anguli eorum eosdem habent ſinus: quare ut ſinus totus $\sqrt{}(m^2+n^2)$ ad ſinum anguli $FTM(n)$ ita $TM(t)$ ad $FM(nt:\sqrt{}(m^2+n^2))$ & ut ſinus totus $\sqrt{}(m^2+n^2)$ ad ſinum anguli $FMT(m)$ ita $TM(t)$ ad $TF(mt:\sqrt{}(m^2+n^2))$. Hinc $FN=FM+MN=(nt+mr):\sqrt{}(m^2+n^2)$. Eſt vero $QT=PT+PQ=p+u-x$. Ergo $QT^2+QN^2=p^2+2pu+u^2-2ux-2px+x^2+s^2$ & $FT^2+FN^2=(n^2t^2+2mntr+m^2r^2+m^2t^2):(m^2+n^2)$, conſequenter (*B*) $t^2+(m^2r^2+2mtr):(m^2+n^2)=s^2+p^2+2pu+u^2-2px-2ux+x^2$. Quodſi æquationem *A* ex hac altera *B* ſubtrahas,

has, relinquetur tertia (C) $2mntr:(m^2+n^2)=p^2-t^2+2pu-2px-yz+2sy$, in qua si substituatur valor ipsius $-y^2=p^2-t^2$, prodit quarta (D) $mntr:(m^2+n^2)=pu+sy-px-y^2$, quæ cum æquatione A & altera curvæ $AMmG$ sufficiet ad inveniendam aliam, in qua nonnisi coordinatæ u & s curvæ DNK occurrunt, ut uno alteroque exemplo *Reaumur* ostendit. Sed cum in hac methodo supponatur radius evolutæ cognitus; ideo solutionem alteram superaddit generalem, quæ etiam ei casui una satisfacit, ubi radii evolutarum quæruntur. *Saurin* analysin exhibet problematis *Bernoulliani*, quo ex infinitis cycloidibus ea determinari jubetur, per quam descendens grave ad datam quandam positione lineam citissime pertingat, a *Jacobo Bernoullio* in Actis A. 1698 synthetice demonstrati; & idem problema generalius ad omnes curvas similes in eodem plano verticali descriptas extendit.

In *Astronomicis* historiam stellæ in hydra per vices apparentis ac disparentis tradit *Maraldi*, quem ejus variabilitatem primum detexisse, annotavimus in Actis A. 1708 p. 347. Sub initium ægre per tubum videri potest; postea ad magnitudinem quartam excrescit ac inde rursus decrescit. Periodum revolutionis statuit *Maraldi* duorum annorum, quæ cum observationibus satis congruit, initio in Anno 1662 constituto, nisi quod Anno 1702 non apparuerit, cum tamen vi hujus periodi apparere deberet, & annis 1705 ac 1706 extra periodum suam visa fuerit. Plures istiusmodi stellas commemorat, quæ similes vicissitudines amant, & optat, ut ex novis observationibus mappæ cœlestes construantur, quibus stellæ nudo oculo visibiles annotentur, quo illarum cum cœlo collatio mutationes facilius prodat. *Cassini* succinctam Astronomiæ theoricæ historiam condidit & motus Planetarum ex Tellure viso, *Saturni* quidem ab A. 1708 usque ad annum 1737, *Jovis* ab anno 1708 usque ad A. 1720, *Martis* ab anno 1708 usque ad A. 1723, *Veneris* ab A. 1708 usque ad A. 1716, Mercurii denique ab A. 1708 usque ad A. 1715 per schematismos repræsentavit, quorum usus in determinando tempore convenientissimo ad parallaxin Planetarum inveniendam & in determinandis Veneris atque Mercurii phasibus. Ipse parallaxin

Martis

Martis invenit 25″, unde parallaxin Solis elicuit 10″. Uterque *De la Hire* mensibus Januario & Februario motum maculæ solaris observarunt periodo $27\frac{1}{2}$ dierum respondentem. Denique variæ observationes eclipsium A. 1708 & 1709 recensentur.

In Opticis *De la Hire* rationem reddit phænomeni, cujus jam A. 1706 p. 441 in his Actis mentio facta est, cur scilicet felis capite sub aquis demerso & oculis Soli obversis, 1 pupilla dilatetur & 2 fundus oculi distincte videri queat. Nimirum cum humor aqueus ejusdem fere sit densitatis cum aqua; radii ex aqua in oculum perpendiculariter vergentes fere irrefracti ad retinam pertingunt, adeoque impressio minor est, quam ubi ex aere in oculum ingressi per refractionem uniuntur. Addit, quod felis pupilla ob attentionem ejus magis dilatetur, etiam in lumine fortiore, experientia teste.

In *Acustica* docet *Carre*, non a vibrationibus solarum chordarum, sed potius particularum minutarum pendere sonum & ea fini in sonum a cylindris diversis editum inquirit.

In *Mechanicis* suas de resistentia medii meditationes continuat *Varignonius*, idemque problema hydrostaticum sequens solvit. Si duo pondera *P* & *Q* chordæ *ABCP* alligata, quæ retinetur clavo *A* & revolvitur circa trochleam *C*: determinandum est punctum *B*, in quo pondera æquilibrium servant. Ducatur sub angulo quocunque *ET* ea lege, ut sit $ET : AE = P : Q$. Sint rectæ aliæ *et* innumeræ ipsi *ET* parallelæ, ducanturque *CE* & *ce*. Si semper fiat $eb = et$, $EB = ET$; curva *AbBβ* circulum *DBL* ex centro *A* radio *AB*, (*Ab*) descriptum intersecans puncta æquilibrii determinat. Sit enim parallelogrammum *HK*, cujus diagonalis *BF* sit in verticali *QB* versus *F* prolongata & latera *BH*, *BK* in portionibus chordæ *ABCP*. Ob triangulorum *FKB* & *ABE* similitudinem erit $BK : BF = BE : BA = ET : EA$ (*per construct.*) $= P : Q$. Ergo ex alibi demonstratis constat, pondera *Q* & *P* esse in æquilibrio. Locum quoque curvæ *AbBβ* duplici æquatione determinat. TAB. II. Fig. 3.

Academia Scientiarum duos hoc anno amisit Socios, *DN. de Tschirnhausen* & *Poupartum*. Illius elogium jam extat in Actis A. 1709 p. 41. Hic juvenis Philosophiam *Cartesianam* exco-

U luit,

Digitized by Google

luit, scholastica neglecta, & pædagogum Parisiis egit inopia pressus. Mox tamen, cum animadverteret, multum sic temporis falli debere; parcius vivere maluit & Physicæ ac historiæ naturali summo cum ardore se totum tradidit, insectorum præcipue contemplationi vacans. Anatomiæ plenius percipiendæ ergo chirurgum in nosocomio egit & cum triennium in hac functione consumpsisset, Medicinæ soli operam dedit, & in Academia Remensi Medicinæ Doctor creatus, ut *Cartesii* Philosophiam intelligeret, Mathesi quoque aliquam operam navavit ita, ut nec Architecturam insuper haberet. Vidit eum *De la Hire* inter auditores suos, cum Architecturam profiteretur, & miratus, cum eum in Academia Scientiarum A. 1699 in numero Medicorum videret. Inter novos socios tunc primus in Academia creatus, dissertationem de hermaphroditis in medium proferebat, cui postea alias de quibusdam insectis addidit, quæ in Historia Annorum præcedentium recensentur. Mortuus est sub initium Novembris. Autor creditur libri, cui titulus: *Chirurgia completa.* Ipsi successit *Enguéard*, Medicinæ Doctor e Facultate Parisina; *Tschirnhusio* vero *Sloane* Anglus, Societatis Regiæ Londinensis Secretarius.

PETRI VARIGNONII RESPONSIO ad P. GRANDINI Librum de Infinitis Infinitorum.

PEr annum exspectatus P. Grandini liber de *Infinitis infinitorum*, quo me oppugnari audiveram, ad manus tandem pervenit mense Decembri anni proxime elapsi 1711. Hunc eo ardentius exoptaram, quod nihil mihi sit veritate carius, ut nimirum mentem corrigerem, si forte erraverim in expendendis *plusquam infinitis* Wallisianis, quæ respui in Reg. Sc. Acad. Mon. an. 1706, quorumque P. Grandinus in libro suo patrocinium suscipit: cujusvis enim hominis est errare, nullius nisi insipientis perseverare in errore. Quamobrem simul ac illius libri compos fui, eundem cursim & avide legere sum ingressus. Terruit me, fateor, P. Grandinus, ubi eum ipsum Virum Religiosum in Dedicationum suarum altera quæ est ad Nobilissimum atque eruditissimum

mum

Digitized by Google

mum Virum Henricum Newton, vidi tentantem in me commovere totam Regiam Societatem Anglicanam, quam summa semper veneratione colui, etiamnumque colo. Ast ficta a Grandino controversia totum metum ademit, quem iste mihi pro reverentia illi Societati omni scientiarum genere percelebri debita gravem incusserat: imo hæc Grandini fictio risum movit ubi ipsum vidi phantasmatis duntaxat spolia tam venerabili Societati offerre ausum magnifica narratione præclarorum facinorum, a præeunte Poeta decantatorum, quæ pro tuenda illius Societatis gloria se patrasse jactat, quasi unius membri lapsum judicet totius esse Societatis; quod quam iniquum sit judicium, nemo non videt.

Porro phantasma, quo debellato P. Grandinus me funditus deletum esse putat, ipsi natum est ex logomachia, quam induxit appellando infinita alia aliis infinities majora eodem *plusquam infiniti* nomine, quo Cl. Wallisius fractiones denominatorum aut indicum negativorum prius appellarat: hujus scilicet identitate (ut ajunt) nominis deceptus Grandinus, incaute credidit identitatem esse quoque rei. Unde non mirum, si me, Wallisiana plusquam infinita negantem, & sua negare sit arbitratus. Sed ut pateat, quantopere in iis hallucinetur P. Grandinus, ostendendum mihi est, quantum Wallisiana plusquam infinita distent a Grandinianis: quocirca audiamus Wallisium sua definientem, deinde Grandinum pariter audiemus in definitione suorum.

I. Cl. Wallisius, *Arith. infinit. prop. 104* agens de fractione exprimente aream hyperbolicam asymptoticam, ita loquitur: *Si denique ejusmodi figura sic continuo decrescat juxta seriem, quæ sit reciproca directæ, indicem habenti unitate majorem; habebit illa ad parallelogrammum inscriptum rationem plusquam infinitam: qualem nempe habere supponatur numerus positivus ad numerum negativum sive minorem nihilo.* Hoc autem ut clarius exemplis exponat Wallisius (quasi Grandino omne perfugium intercludere intendisset) addit in explicatione hujus suæ prop. 104: *Ratio quam habet 1 ad indices illos sic auctos, puta 1 ad —1, 1 ad —2, 1 ad —3, &c. major erit quam infinita, sive 1 ad 0; quia nempe* (attendat

dat velim Grandinus) *rationum consequentes sunt minores quam o.*

Ex his Cl. Wallisii verbis palam est *plusquam infiniti* nomine eum intellexisse fractiones denominatorum negativorum, quales sunt $\frac{1}{-1}$, $\frac{1}{-2}$, $\frac{1}{-3}$, &c. quas ideo *plusquam infinitas* appellavit, quod existimaverit, harum rationum consequentes esse minores quam o, seu quam zero absolutum, Hæc sunt *plusquam infinita* Wallisiana : dispiciamus jam, quæ sint Grandiniana.

II. P. Grandinus de his suis *plusquam infinitis* in suo libro *de Infinitis infinitorum def.* 7 ita loquitur : *Si quæ magnitudines infinities majores ostendantur aliis magnitudinibus jam absolute infinitis, adeoque ordinis superioris ad ipsas probentur, illæ plusquam infinitæ poterunt appellari.*

Hæc sunt etiam *plusquam infinita* Grandiniana, quæ quantum discrepent a Wallisianis (*art. 1*) nemo Geometrarum non videt. Unde licet sua demonstraverit P. Grandinus, non inde sequitur, eum etiam Wallisiana firmasse, nisi præterea demonstraverit (juxta præcedentes duos articulos) fractiones denominatorum negativorum exhibere infinita alia aliis infinities majora.

III. Hoc incumbere Grandino demonstrandum innueram in contextu epistolæ ad Amicum, a quo expetebam illius Autoris Librum *de infinitis infinitorum*, quique hanc epistolæ partem ab ipso Italice redditam Diario Veneto commisit. Sed P. Grandinus in responsione sua id sibi sumere demonstrandum recusat. At qui potest id recusare? cum in falsa sua *expositione controversiæ* pag. 13, 14 de spatiis hyperbolicis asymptoticis omnium generum agens, istam ipsam (*art. 1*) Wallisii sententiam sit amplexus his verbis: *Ratio hyperbolici spatii post unam ex dictis ordinatis juxta suam asymptoton, cum ipsa curva, infinite productam extensi, ad inscriptum parallelogrammum erit, ut y ad x — y, hoc est, ut 2 ad 1 — 2 (nempe ut 2 ad — 1, sive ut 1 ad* $-\frac{1}{2}$*); vel ut 3 ad 1 — 3 (id est, ut 3 ad — 2, sive ut 1 ad* $-\frac{2}{3}$*) & sic de aliis; quæ ratio cum major sit ratione 1 ad o (ob consequens minus quam o) sitque 1 ad o ratio simpliciter infinita, constat majorem rationem spatiorum,*

ctorum, de quibus loquimur, ad inscripta parallelogramma esse plusquam infinitam & ideo dicta spatia merito a Cl. Wallisio plusquam infiniti nomine fuisse appellata.

Hæc ipsa sunt P. Grandini verba, quibus constat (*art. 1*) eum fuisse cum Cl. Wallisio in errore Analystis olim pluribus communi, nimirum quantitates negativas $-1, -\frac{1}{2}, -2, -\frac{2}{3}$ &c. minores esse quam o. Quodsi ita esset, ultro hercle faterer, rationes 2 ad -1, 1 ad $-\frac{1}{2}$, 3 ad -2, 1 ad $-\frac{2}{3}$, &c. *merito a Cl. Wallisio plusquam infiniti nomine fuisse appellatas*, etiamnumque a P. Grandino appellari. At id ipsum est quod Wallisio negavi, quodque Grandino pariter nego. Si enim $-1, -\frac{1}{2}, -2, -\frac{2}{3}$, &c. minores essent quam o; atque ita ratio 1 ad -1 major esset quam infinita, vicissim esset ratio -1 ad 1 minor quam infinite parva. Attamen est $-1 : -1 = -1 : 1$. Siquidem productum extremorum æquatur producto mediorum. Ergo juxta Wallisium & Grandinum ratio major quam infinita esset æqualis minori quam infinite parvæ. Quod sane absurdum cur tam oculati Geometræ non viderint, vix capio; unde non mirum mihi est, quod P. Grandinus jam admonitione mea in Diario Veneto inserta melius consultus id demonstrare recuset.

IV. Id demonstrandum suscipere eo etiam prudentius abnuit, quod viderit art. 6 pag. 16, 17 Acad. Mon. an. 1706 edit. Paris. (Amstelodamensis editio non est ad manum) scripti ab ipso impugnati fractiones seu areas hyperbolicas negativas Wallisii, quantumcunque productas secundum suam asymptoton, nedum non esse plusquam infinitas, imo ne quidem esse simpliciter infinitas, sed solummodo finitas; e contra affirmativas, in infinitum secundum alteram asymptoton pariter productas, infinitas semper esse. Unde patuit, asymptoticas hyperbolarum omnium areas duabus constare partibus, quarum in infinitum extensarum altera expressionis est negativæ & finita, altera expressionis affirmativæ & infinita; excepta solius hyperbolæ Apollonianæ area, cujus hæ duæ partes sunt infinitæ singulæ. Qua ratione dixi, hanc esse quodammodo infinitiorem cæteris una tantum sui parte infinitis singulis: non quod ad infiniti naturam attendens, quicquam infinitius altero, seu vere plusquam infinitum

assequi mente valeam; sed tantummodo quod asymptotica hyperbolæ Apollonianæ area, utpote utrinque infinita, sit veluti dupliciter infinita respectu ceterarum, quas non ideo negavi sua parte infinita alias aliis infinite majores esse, etsi non infinitiores, cum infiniti definitio his singulis æque competat; nec etiam varia hæc infinitorum genera asserui, imo ne quidem ad ea me cogitasse memini, cum de his controversia non esset; sed duntaxat de fractionibus negativis, num scilicet infinito quovis $\frac{1}{0}$ vel $\frac{a}{0}$ majores essent; atque ita *plusquam infinita* dici possent, ut (*art. 1*) censuit Wallisius. Tantum autem abest ut varia illa genera infinitorum aliorum aliis infinities majorum respuerim, ut potius omnia hyperbolica asymptotica contexuerim in una simplicissima formula quatuor lineis demonstrata art. 5 scripti a Grandino reprehensi. Tam paucis, inquam, horum Grandinianorum (*art. 2*) plusquam infinitorum veritas, & (*art. 1*) Wallisianorum falsitas demonstratur art. 5, 6 monumenti illius, ut ea hic referre liceat, quibus Lector instructus judicet, jure an injuria Grandinus sua plusquam infinita me rejecisse asserat. En itaque Latine duobus articulis proxime sequentibus, quod in illo meo scripto art. 5, 6 Gallice legitur.

TAB. II. Fig. 4. V. Posita hyperbola generali *AFB* inter asymptotos orthogonales *CA*, *CB*, quibus ab hyperbolæ puncto quovis *F* parallelæ fingantur *FE*, *FL*: „ sint $CE = x$, $EF = v$, & $CK = a$ con„stanti; sitque $x^m v^{m+n} = a^{2m+n}$, vel $v\,(EF) = a^{\frac{2m+n}{m+n}} x^{\frac{-m}{m+n}}$ lo„cus ad hyperbolam, ex quo fit elementum $vdx = a^{\frac{2m+n}{m+n}} x^{\frac{-m}{m+n}}$ „dx, & area *ACEFA* $(\int vdx) = \frac{m+n}{n} \cdot a^{\frac{2m+n}{m+n}} x^{\frac{n}{m+n}} = \frac{m+n}{n} \cdot CK$ „$^{\frac{2m+n}{m+n}} \cdot CE^{\frac{n}{m+n}}$, scilicet finita ad partem *A*, cujus respectu *CE* fi„nita est, & solummodo infinita ad partem *B*, siquidem *CE* hanc „ad partem tantummodo infinita esse potest.

„ VI. Ergo, si assumendo *LF* (*x*) in ordinatam hyperbolæ *AFB*,

AFB vel (*art.5*) $xdv = a^{\frac{2m+n}{m}} . v^{\frac{-m-n}{m}} dv$ in elementum areæ,,
asymptoticæ *BCLFB*; area hæc ($\int xdv$) reperiatur $= \frac{m}{-n} . a^{\frac{2m+n}{m}}$.,,
$v^{\frac{m}{-n}}$ negativa, signum non est eam esse plusquam infinitam ut,,
(*art.1*) Cl. Wallisius asserit, sed solummodo quod loco illius areæ,,
BCLFB assumendum sit complementum ejus *ALFA* $= \frac{m}{n} . a$,,
$\frac{2m+n}{m} . v^{\frac{-n}{m}}$: quod sæpe sæpius contingit in multis aliis qua-,,
draturis.,,

VII. En hoc art. 6 monumenti a Grandino culpati confutata plusquam infinita, quæ Wallisius posuit (*art. 1*) in fractionibus negativis: en etiam art. 5 stabilita, quæ Grandinus e contra posuit (*art. 2*) in infinitis sese invicem infinities excedentibus, ut ipse jam monitus perspiciet: posita enim x longitudinis infinitæ, eo plura infinita alia aliis infinities majora aut minora exhibebit illi formula (*art. 5*) in qua est $x^{\frac{n}{m+n}}$, quo plurium valorum positivorum majorum aut minorum fiet index numericus n, manente eodem quovis numero positivo m; siquidem tunc quantitas (*hyp.*) infinita x eo plurium aut pauciorum dimensionum evadet: quamobrem his diutius non immoror.

Patet ergo, me in scripto, quod Grandinus (hæc omittens) oppugnat, non solum plusquam infinitorum Wallisianorum (*art. 6*) falsitatem, sed etiam Grandinianorum (*art. 5*) veritatem demonstrasse. Fateor tamen, de his Grandinianis aliter me tunc non cogitasse, quam quod eorum formula (*art. 5*) viam sterneret (*art. 6*) ad confutanda Wallisiana, de quibus solis erat controversia, & hæc causa fuit, cur inanem reliquerim superiorem (*art. 5*) istorum plusquam infinitorum formulam. Hinc etiam liquido constat, me de his non cogitasse: qui autem fieri potuisset, ut ea non cogitata rejecissem, aut ea cogitata non vidissem in superiore eorum formula art. 5, inquirenti Analystæ cuivis etiam Tyroni ea propalante?

Cur

Cur autem de his plusquam infinitis Grandinianis non cogitaverim, jam dixi: eo quod ſcilicet de ſolis Walliſianis ageretur, a quibus toto cœlo diſcrepant (*art.1, 2, 5, 6*) infinita alia aliis infinities majora, quæ non ſuſpicabar eodem nihilominus *plusquam infiniti* nomine a Grandino fore appellanda; atque hac ſua logomachia deluſum, affictarum perperam eum eſſe mihi ſua exploſiſſe plusquam infinita, eo quod Walliſiana respuerim. Permirum ſane mihi eſt, & haud dubie erit Geometris, qui me norunt, Grandinum autumaſſe, varia illa infinitorum genera a me repudiari, quaſi vero qui infinite parva alia aliis infinities minora recepit, poſſet ratione ſaltem Geometrica aſcendendo, non admittere infinita alia aliis infinite majora; quaſi, inquam, Grandinus non me vidiſſet ſæpe ſæpius horum ideo minora præ majoribus nihili facientem.

IIX. Tantum porro abeſt ut Cl. Fontenellus, a P. Grandino contra me citatus, a mea hac de re ſententia diſceſſerit in eleganti ſua expoſitione monumenti a Grandino damnati, ut potius in ea totus ille videatur eſſe, cum Gallice dicit, quod Latine Grandinus (*pag. 17*) reddit his verbis: *illas plusquam infinitas magnitudines demum cenſendas eſſe, quæ ab infinitorum ordine emergentes, ad ordinem ſuperiorem fuerint elevata, ut accidit finitis magnitudinibus, ubi ad ordinem ſuperiorem tranſierint.* Hæc, inquam, mea eſt, fuitque ſemper ſententia, videlicet ut finitæ magnitudines infinitæ evaſiſſe dici nequeunt, niſi cum finitarum quarumvis ſimiles ſunt transgreſſæ, ſic etiam plusquam infinitas pari ratione dici nequire, niſi quæ (ſi id fieri poſſet) ultra infinitarum quarumlibet extenſionem aſſurrexiſſent, quales (ut docte obſervat idem Fontenellus) forent Walliſianæ fractiones denominatorum negativorum, ſi hi nihilo minores eſſent. Certe quidem, ſi loco citato Cl. Fontenellus ab hac mea ſententia mihi viſus fuiſſet alienus, contra eum ſtatim dixiſſem, quod nimirum in interpretatione meorum a meo ſenſu abfuiſſet. Scit autem ipſe, & teſtari paratus eſt, me huic ejus relationi non reclamaſſe, imo hanc approbaſſe.

Quod ſpectat Diarii Gallici loca duo, usque adhuc mihi ignota, quæ Grandinus mihi etiam opponit, cum primus ſolis &ipſiſſimis

Digitized by Google

& ipſiſſimis ſuperioribus Cl. Fontenelli verbis conſtet, eum jam ſuperius comprobavi: ſecundum autem, in quo Diarii Autor poſuit, varios infinitorum *ordines* a transcendentali Geometria prohiberi, pariter approbo, ſi omnia infinita ſimul includi voluerit ille in uno trium ordinum, quibus infinite parvum, finitum, & infinitum ſecernuntur ab invicem; hoc enim ſenſu unus eſt, non multiplex, infinitorum ordo. Contra vero ſi per illos *ordines* idem Autor intellexerit varia genera aut varias claſſes infinitorum aliorum aliis infinities majorum (quod vix crediderim); hunc ſecundum Diarii locum eo magis improbo, quod (ut jam dixi) ſæpe ſæpius in Acad. Mon. infinita alia aliis infinite majora mihi obvenerint, qualia ſunt x, x^2, x^3, x^4, &c. in hypotheſi ipſius x infinitæ; adeo ut priora præ poſterioribus pro nihilo habuerim, ponendo ſcilicet (hac in hypotheſi infinitæ x) $x+x^2=x^2$, $x+x^2+x^3=x^3$, $x+x^2+x^3+x^4=x^4$, &c. quæ cum aut ſimilia ratione ſimili a me tractata in iisdem Monumentis identidem Grandinus viderit; magnopere iterum miror imputantem eum mihi infinita alia aliis infinite majora negaſſe. Sed quid tamdiu his inconſulte objectis immoror? cum factis alienis non teneat.

IX. Non modo Walliſiana plusquam infinita ſpeciatim ratione art. 6 ſed etiam generatim omnia ideo reſpui, quod (prout ipſa *plusquam infiniti* vox ſonat) ea, ſi quæ eſſent, omnem transgrederentur extenſionem *infiniti* definitione comprehenſam: ac proinde cum ipſa infiniti, utpote inexhauſtibilis, natura pugnarent; ſiquidem nihil omnium rerum eſt plusquam quod ſua definitione continetur: hoc P. Grandinus ſuos adoleſcentes olim ſe docuiſſe non meminit. Atque hæc cauſa fuit, cur dixerim in præfatiuncula ſcripti, quod Grandino bilem movit, non nihil in illis contradictionis & chimeræ mihi videri, aſymptoticasque deinde hyperbolarum omnium areas (quantumcunque infinitas) eſſe tantummodo infinitas, non negando tamen, alias aliis infinite majores eſſe, ut ex ſuperioribus conſtat, nec etiam aſſerendo, cum id e re controverſa non eſſet.

Hinc etiam fuit cur in Acad. Mon. an. 1710 d 4 Junii, quo ſane tempore P. Grandini librum *de infinitis infinitorum* (ſi forte tunc

esset editus) nondum videram, cum (ut jam dixi) eum non obtinuerim nisi mense Decembri anni proxime elapsi 1711. Hinc, inquam, fuit cur in illis Mon. an. 1710 pag. 359 licet (exigente quæstione) duo varia genera infinitorum in una hyperbola Apolloniana demonstraverim absque auxilio ullius alterius curvæ, atque hac occasione repererim infinita numero genera infinitorum aliorum aliis infinities majorum, plane diversa ab iis quæ Grandinus demonstrare suscepit; nihilominus tamen ibi dixerim quantitatum infinite parvis majorum nullam esse posse præter finitam aut infinitam, utpote quod infiniti ordinem, sive naturam aut inexhaustibilem extensionem nulla transgredi queat nec consequenter vere *plusquam infinita* seu *plusquam infinite magna* dici possit, ut infinite parvarum aliarum aliis infinities minorum nulla *plusquam infinite parva* hucusque dicta fuit, licet hæ parvitatis limitem habeant zero, illis suæ magnitudinis termino carentibus.

X. Siquidem hanc loquendi rationem moleste fert P. Grandinus, summopere vereor, ne molestius longe ferat aliam, qua in iisdem Monumentis an. 1710 ipsum etiam *Infiniti* nomen abnegavi variis generibus quantitatum superiorum (*art. 9*) quas notavi (eas animadverterat quoque Cl. Fontenellus) medias finitam inter & simpliciter infinitam, licet illæ sint quaeunque finita majores, qualis nimirum est y inter finitam a & infinitam x in æquatione parabolica $ax = yy$ dum x infinita ponitur: quæ y si tunc infinita dicatur, hæc illam x de infimo ad secundum infinitorum gradum illico contra hypothesin efferet; atque sic de aliis proportionalibus mediis inter finitam quamvis quantitatem & simpliciter infinitam ad libitum inserendis, quæ si *infiniti* nomine donarentur, hanc illæ de inferiori infinitorum gradu ad totuplicem eveherent quot illæ essent insertæ; atque ita (Grandiniana lingua loquendo) ea primum (*hyp.*) simpliciter infinita, jam tunc plusquam infinita gradus ad arbitrium dicenda foret; quod absurdum forsan ipsi Grandino videbitur.

Utut sit, cum illo de vocibus pugnandi non est animus: itaque si libeat ipsi, non solum quantitatibus illis finitas inter & infinitas mediis, nomen *infiniti*, sed etiam *plusquam infiniti* nomen

men aliis infinitis sese invicem infinities excedentibus ultro concedam, modo tamen ille hæc sua plusquam infinita accurate secernat a Wallisianis, quæ, licet ejusdem nominis, multum ab illis discrepare vidimus art. 1,2. Quod si non fecerit P. Grandinus, logomachia sua continuo abutetur: Grandinianam dico *logomachiam;* quia nulla fuit Wallisio fractiones suas negativas (*art. 1*) appellasse, licet absone, *plusquam infinitas*, cum nova nomina sint arbitraria; sed idem *plusquam infiniti* nomen alio (*art. 2*) postea detorsisse, vere Grandini logomachia fuit, aut alterius cujusvis, si quis prior illo & Wallisio posterior detorserit.

Ceterum licet doctissimum Wallisium in his suis plusquam infinitis hallucinatum esse crediderim, etiamnumque credam, mea tamen illi observantia nunquam, defuit nec deerit ob multiplicia erudissimaque opera, quibus Rempublicam Literariam ditavit: sed sunt in Sole maculæ; & ideo si quam in Cl. Wallisio tot ac tantis operibus illustri notavi, ea sane nihil quicquam detrahere debet de veneratione tanto Viro debita, ut de P. Grandini (pluribus etiam operibus illustris) autoritate quidquam apud me, licet ab ipso inique lacessitum, detraxit nec rumor, quem falsum sparsit de me circa infinita, nec error, in quem raptus est ipse animo contra me dicendi, dum unam etiam impugnat methodorum, quibus vires centrales, osculorumque radios olim definivi. Hoc enim unum est adhuc in quo me vellicat; sed videat rursum quam temere id tentavit.

Error in reprehendentem ipsum Grandinum recidens.

XI. P. Grandinus in eodem suo libro, de quo huc usque, Schol. prop. 4 arguit me, quod (assumptis curva quacunq; QLM, & circulo EDL eam osculante in aLl, pro polygonis infiniti lateris) asseruerim angulum RLl contactus esse æqualem angulo LCl centri; quasi nesciat ille hac in hypothesi polygonorum osculum fieri per duplicem contactum factum in duobus infinite parvis lateribus aL, Ll, polygoni regularis EDL, productumque latusculum rectum aL versus R, tangentem fieri LR illis duobus polygonis communem. Hæc autem cum non ignoret P. Grandinus, qui fieri potuit in eadem hypothesi a me posita & ab ipso ad- TAB. II. Fig. 5.

 missa,

missa, ut negaverit angulum contactus RLl æqualem esse angulo centri LCl? siquidem enim est de regulari polygono EDL, cujus centrum C, angulique a, L, l, &c. ut habeat non modo CL = Cl, sed etiam angulum CLa = CLl = ClL; erit quoque de ejusdem polygoni natura ut habeat angulos CLa + CLl = ClL + CLl. Ergo cum sint anguli CLa + CLl + RLl = 2 rect. = ClL + CLl + LCl, restat ut contactus angulus RLl sit æqualis angulo LCl centri. Ac proinde hanc angulorum æqualitatem, olim etiam assertam ab insigni Geometra Jac. Bernoullo, in Act. Lips. an. 1694 pag. 264, Grandinus male reprehendit.

XII. Jam vero si loco latusculi aL in tangentem LR producti medietate anguli RLl dissitam ab accurata perpendiculari LH ad radium CL, quæ ipsamet est tangens peripheriæ circularis elementis ubique curvis constantis, quorum unius tum chorda est elementum rectum ejusdem peripheriæ polygonæ EDL; palam est angulum RLl, sive (*art. 11*) LCl duplum esse anguli HLl, ut innui in Acad. Mon. an. 1706, 24 Aprilis, art. 17, ubi (producto radio Cl usque ad occursum cum rectis LR, LH, in punctis T, P,) dixi lT duplum esse ipsius lP: Unde cum ex hoc fluat altro angulus HLl = $\frac{1}{2}$ RLl (*art. 11*) = $\frac{1}{2}$ LCl, sive HLl = $\frac{1}{2}$ LCl, idque solum demonstret P. Grandinus in Schol. suæ prop. 4, quo me appetit, nihil de hac æqualitate dicit quod non prior satis dixerim.

Ast in eo fallitur ille, quod elementum circuli polygoni assumat hic in elementum circuli ubique curvi, seu subtensam pro arcu. Erroneum quidem non est, in infinite parvis chordam arcui æqualem ponere, cum inter se non discrepent nisi differentia ad eos infinite parva; sed erronéum omnino est, angulum HLl illa chorda & tangente LH comprehensum sumere pro angulo contactus circuli elementis ubique curvis constantis, id est, pro angulo contento hanc inter tangentem LH & arcum illa chorda Ll subtensum, cum hic angulus longe futurus sit minor altero, quamdiu circulus ubique curvus spectabitur, illique duntaxat sit æqualis in hypothesi circuli polygoni, in qua (*art. 11*) constitit angulum RLl contingentiæ æqualem esse angulo LCl centri, ut dixeram cum Cl. Jac. Bernoullo, cujus heu! nimis immaturam mortem lugemus, demonstraveramque in Acad. Mon. locis, quos hac in

in re Grandinus improbat. Videat ergo jam ille, uter nostrum accuratius infinite parvorum leges observavit.

XIII. In Acad. Mon. an. 1706 d. 24 April. & 18 Decemb. de radiis osculorum & de viribus centralibus agens, spectavi circulum curvasque cæteras omnes non solum ut rectis, sed etiam ut curvis elementis constantes, qua nim rum duplici consideratione pateret, hanc utramq; hypothesin eodem redire in consequentiis; nec quidem frustra, cum ambæ sigillatim eosdem impertiverint mihi radios osculares, easdem virium centralium rationes, & eosdem valores earum absolutos comparate ad constantem mobilis gravitatem. Attamen quod notaveram (art 15 Mon. 24 April.) de variis modis earum rationes easdem exprimendi, id perperam Grandinus *excusationem* appellat, quod æquior appellasset diversas eodem perveniendi vias.

XIV. Licet autem illa omnia vera esse fateatur, tamen nihilominus addit de mea methodo superiore (*art. 11*) qua (ut & altera) ea omnia inveni, quod, *admissa hac arguendi ratione, posset in aliis casibus talis error irrepere, unde falsa penitus conclusio deduceretur.* Geometra qui asserit, is assertum demonstrare tenetur: Unde velim demonstrare tentet mihi P. Grandinus casum vel unum, in quo arguendi rationem deficere credat; & statim ostendam, illum ipsum potius a vera defecisse. Causa assertionis aut saltem formidinis ejus in eo solo posita est, quod non viderit consensum (*art. 11, 12*) superiorum mearum methodorum, quarum una utitur ut alteram convellat. Sed ut consensio hæc magis adhuc ipsi pateat, insuper addo ex angulo LCl = RLl in circulo polygono æque ac hexangulo LCl = 2 + HLl in circulo ubique curvo (latusculo scilicet recto Ll prioris, quod est chorda posterioris, manente eodem in triangulis LCl, ZLl, NLl, quorum medium ZLl sit isoscelium basin habens arculum lZ centro L radioque Ll factum, sive rectulam lZ occurrentem tangenti LH in puncto N, alio nimirum ab eo N, in quo eidem tangenti occurrit producta Dl per extremitates D & l diametri LD & latusculi Ll) sequi ND + Nl = LN + LN, quod hac in re Grandinianæ difficultatis caput est, quodque est demonstratu perfacile. Nam siquidem (*art. 11*) in circulo polygono est contactus angulus RL

 =LCl,

$= LCl$, triangula (*constr.*) isoscelia ZLl, LCl, dabunt $CL . Ll :: Ll . zl = \frac{Ll+Ll}{CL}$. Unde cum sit (*art. 12*) $lY = 2+lP$, ac proinde etiam $zl = 2+Nl$, erit quoque $2+Nl = \frac{Ll+Ll}{CL}$, sive $Nl = \frac{Ll+Ll}{2CL} = \frac{Ll+Ll}{LD} = \frac{LN+LN}{ND}$; atque ita est $ND+Nl = LN+LN$ imposito circulo polygono perinde ac in circulo ubique curvo, idque sequitur (ut nunc palam est) ex angulo $LCl = RLl$ in priore pariter atque ex angulo $LCl = 2+HLl$ in posteriore: unde cum ex hac secunda æqualitate nil timeat P. Grandinus, nec etiam ex illa quicquam timendum habet. Fateatur ergo necesse est, nimio me lacessendi animo, aut (ut de Viro Religioso officiosius judicem) nimia præcipitantia se in errorem fuisse inductum, dum has duas æqualitates inter se pugnare dixit, ut dum me infinita alia aliis infinite majora negasse protulit.

XV. Hæc sunt quæ coactus dicenda habui ad ea, quæ de me percepi in P. Grandini libro *de infinitis infinitorum*, cujus tantummodo legi Dedicationes, non nihil poematum, expositionem controversiæ, solos propositionum titulos, & Schol. prop. 4, inquirens duntaxat in illo libro, quid inibi esset quod ad me pertineret, cum eum totum legere nondum vacaverit. Quamobrem hac in responsione de Demonstrationibus *plusquam infinitorum* Autoris nil assero; attamen cum sint de re aliunde mihi nota, libens præsumo has valere omnes, præter eam quæ reperitur in Schol. prop. 4, quamque cæterarum tituli mihi suaserunt solam esse quæ me attingat, & quam Autor in hac responsione (*art. 11, 12, 14*) falsam esse deprehendet. Porro simul ac primum fuero solutus a negotiis, quibus undique premor, quibusque multum ac sæpe responsio fuit impedita, totum librum illius eo ardentius legam, quod, quæ mihi analytice nota sunt, ea synthetice demonstrata mihi sint perplacitura, quodque magno in numero mihi sit Libri istius Cl. Autor, qui (ut spero) veniam dabit justæ huic meæ defensioni, pro illata mihi ab ipso injuria moderatissimæ, tum pacis ergo, tum ob reverentiam Viro Religioso debitam.

G. G. L.

G. G. L. OBSERVATIO, QUOD RATIONES *sive proportiones non habeant locum circa quantitates nihilo minores; & de vero sensu Methodi infinitesimalis.*

CUm olim Parisiis Vir summus Antonius Arnaldus sua nova Geometriæ Elementa mecum communicaret, atque in iisdem admirari se testatus fuisset, quo modo posset esse 1 ad —1, ut —1 ad 1; quæ res probari videtur ex eo, quod productum est idem sub extremis, quod sub mediis, cum utrobique prodeat +1; jamtum dixi mihi videri, *veras* illas *rationes* non esse in quibus quantitas nihilo minor est antecedens vel consequens; etsi in calculo hæc, ut alia *imaginaria*, tuto & utiliter adhibeantur. Et sane identitatis rationum verarum fundamentum est rerum similitudo, quæ facit, exempli causa, ut segmentis similibus diversorum circulorum assumtis, sit ubique eadem ratio chordæ ad radium, seu ut chorda minoris se habeat ad radium minoris, ut chorda majoris ad radium majoris. Sed vero nulla plane apparet similitudo in supra dicta Analogia; si enim —1 est minus nihilo, utique 1 ad —1, erit ratio majoris ad minus. Sed vero contra ratio —1 ad 1 est ratio minoris ad majus. Quomodo ergo utrobique eadem ratio erit? Sed rationes istas esse imaginarias etiam alio certissimo argumento comprobabo, scilicet a Logarithmis. Nempe ratio cui nullus datur respondens Logarithmus, ratio vera non est. Porro posito unitatis Logarithmum esse *o*, rationis —1 ad 1, idem est Logarithmus qui ipsius —1. At ipsius —1 non datur Logarithmus. Non enim est positivus, nam talis omnis est Logarithmus numeri positivi unitate majoris. Sed tamen etiam non est negativus; quia talis omnis est Logarithmus numeri positivi unitate minoris. Ergo Logarithmus ipsius —1 cum nec positivus sit, nec negativus, superest ut sit non verus sed imaginarius. Itaque & *ratio* cui respondet, *non vera sed imaginaria* erit. Idem etiam sic probo: si daretur verus Logarithmus ipsius —1, seu rationis —1 ad 1, ejus Logarithmi dimidium foret Logarithmus ipsius $\sqrt{-1}$, sed $\sqrt{-1}$ est quantitas imaginaria. Itaque daretur Logarithmus verus imaginariæ, quod est absurdum. Et proinde non nihil humani passus est insignis in paucis Geometra Johannes Wallisius, cum dixisset rationem 1 ad

—1 esse

—1 esse plus quam infinitam; & recte hoc (etsi aliis considerationibus) celeberrimus Varignonius rejicit. Interim nolim cum ipso negare—1 esse quantitatem nihilo minorem; modo id sano sensu intelligatur. Tales enuntiationes sunt *toleranter vera*, ut ego cum summo Viro *Ioachimo Iungio* loqui soleo; Galli appellarent *passables*. Rigorem quidem non sustinent, habent tamen usum magnum in calc lando & ad artem inveniendi universalesque conceptus valent. Talis fuit locutio Euclidis, cum Angulum Contactus dixit esse rectilineo quovis minorem; tales sunt multæ Geometrarum aliæ, in quibus est figuratum quodammodo & crypticum dicendi genus. Sunt tamen quidam, ut sic dicam, *tolerabilitatis* gradus. Porro ut nego, rationem, cujus terminus sit quantitas nihilo minor, esse realem; ita etiam nego, proprie dari numerum infinitum vel infinite parvum, lineamve infinitam, vel infinite parvam. Etsi Euclides sæpe, sed sano sensu, de linea infinita loquatur. *Infinitum* continuum vel discretum, proprie nec unum, nec totum, nec quantum est; etsi analogia quadam pro tali a nobis adhibeatur; ut verbo dicam, est modus loquendi. Cum scilicet plura adsunt, quam ullo numero comprehendi possunt, numerum tamen illis rebus attribuimus analogice, quem infinitum appellamus. Itaque jam olim judicavi, cum infinite parvum esse errorem dicimus, intelligi dato quovis minorem, revera nullum. Et cum ordinarium & infinitum & infinities infinitum conferimus; perinde esse ac si conferremus ascendendo diametrum pulvisculi, diametrum terræ & diametrum orbis fixarum, aut his quantumvis (per gradus) majora minoraque eodemque sensu descendendo diametrum orbis fixarum, diametrum terræ & diametrum pulvisculi posse comparari ordinario, infinite parvo, & infinities infinite parvo, sed ita ut quodvis horum in suo genere, quantumvis majus aut minus concipi posse itelligatur. Cum vero saltu ad ultimum facto ipsum infinitum aut infinite parvum dicimus, commoditati expressionis seu breviloquio mentali inservimus, sed non nisi *toleranter vera* loquimur, quæ explicatione *rigidantur*. Atque hæc etiam mea sententia est de areis illis Hyperboliformium Asymptoticis, quæ infinitæ infinitiesque infinitæ esse dicuntur,

tur,

Digitized by Google

tur, id est, talia rigorose loquendo vera non esse posse, tamen sano aliquo sensu tolerari. Atque hæc tum ad terminandas Virorum Clarissimorum Varignonii & Grandii controversias, tum ad præcavendos chimæricos quosdam conceptus, tum denique ad elidendas oppositiones contra *methodum infinite similem*, prodesse possunt.

Entdecktes Jüdenthum.

h. e.

JO. ANDREÆ EISENMENGERI Judaismus detectus.

Pars II.

Regiom. & Berolini apud Jo. Christ. Pape, 1711, 4.

PArtem priorem Operis hujus laboriosissimi primo hujus anni Mense per summa capita euntes recensuimus, nunc posteriori eadem opera præstanda erit. Capite I Rabbinorum pronunciata de animabus Christianorum, & eorum, qui a Judæorum sacris alienos se esse profitentur, Cl. Autor recenset, illisque ad latus collocat eorundem assertiones, de animabus suis, earumque ex alio corpore in aliud, aut ex alio loco in alium commigratione, prolatas. Et mireris sane, μετεμψύχωσιν tam pag. 25.
crassam illis vero visam esse similem, ut animas hominum non solum in alios homines, sed etiam in bestias cujuscunque generis, plantas item & arbores, ipsaque adeo corpora sensu & motu carentia ac vel in diabolos devolvi putarent. Hæc persuasio 34.
effecit, ut, cum animas in animalium mundorum corpora abire censeant, sollicite caveant, ne acies cultrorum, quibus ad mactanda sacrificia uti solent, incisuris, ex quibus animæ illæ nimium dolorem sentirent, depravata & interstincta sit. Vide librum Mischmath chajim fol. 160. De transitu animarum im- 42.
piarum in diabolos & pravos spiritus exponit liber Emek hammelech fol. 85. Easdem nusquam consistere posse, sed huc illuc ferri, quod pœnæ genus *Na vanad* appellant, traditur in eodem libro fol. 16. Hanc migrationem repetitis vicibus fieri 55.

præcipiunt eorum Doctores, qui tamen in definiendo numero dissentiunt, cum alii ter, alii quater, millies alii eam usu venire statuant. Argumenta, quibus sententiæ suæ fidem facere
Pag. 16 sq. conantur, nunc infirma & lubrica, nunc ridicula & vana sunt, quod evincit Autor fusius. Cap. II commemorantur exsecrationes & diræ, quibus Judæi in Christianos grassari impie solent.
90 sq. Quamvis enim in nonnullis ipsorum scriptis v.c. in Opere Schulchan Aruch & ejus parte, quæ inscribitur *Choschen hammischpath*, n. 425, in Maasch hasschem f. 134, in Meor Enajim cap. 55, contrarium præcipiatur, & Judæi ad preces pro gentibus, inter quas versentur, faciendas disertis verbis excitentur, noster tamen Autor ex solennibus precum formulis, quibus utuntur, & aliis argumentis evincit, præceptiones has non ubique occur-
98. rere, nec locum illis relinqui. Propterea multa in precatiunculis eorum invenias, quæ ultionem divinam de gentibus sumendam exposcunt. Speciatim id perspicitur ex oratione, quam *crassam Tephillam* vocant. Negari tamen non potest, Judæos v. c. Lipmannum in libro Nizzachon num. 348 & alios omnem operam in eo collocare, ut hanc suspicionem a se amo-
109. liantur. Sed irritum omnem eorum laborem esse apparet ex il-
121. lis, quæ Cl. Autor erudite commentatur. Sigillatim postea enumerantur dies, quibus solemni quasi ritu precibus suis ad procurandam Christianis divini Numinis pœnam abutuntur.
154. Inter hæc suaviter somniant, Christianos ipsorum Judæorum peccata luere debere, quod apparet ex Parte II libri Machsor, qui Pragensis dicitur, fol. 4 col. 2; unde etiam impudenter fin-
158. gunt, hircum Asasel, qui anniversario Expiationis festo in desertum emitti solebat, Esavum ejusque posteros ac speciatim Christianos adumbrasse. Hæc causa est, cur anno 1699 Franco-
161. furti ad Mœnum, ea, quam diximus, festivitate recurrente, fœminam quandam, Christi sacris addictam, certa pecuniæ summa conduxerint Judæi, ut sibi hirci expiatori loco inserviret.
189. Cap. III Judæorum in Christianos odium amplius exponit, quod tantum est, ut religioni sibi ducant, Christianum, in vitæ periculo constitutum, vitæ & incolumitati vindicare. Ita enim sentire jubentur in Schulchan Aruch, speciatim in Jore dea n. 158, cujus

Digitized by Google

cujus præcepti varias afferunt causas, Imo odium illud his terminis non coercetur, sed tantæ acerbitatis est, ut Judæos, ad Christi sacra conversos, se jure quodam suo vita privare posse putent. Vide Jore dea num. 158 & alios locos, quos Autor affert, quibus accedit illustre ejusdem rei exemplum p. 197. Non illos vero solum, quos a doctrina sua discessionem fecisse vident, occidere se posse opinantur, sed nec illis omnibus parcunt, qui Christianis Parentibus orti sunt. Præcipiunt enim, licere sibi gentium sanguinem profundere, profitentur, dignas esse gentes, quæ funditus evertantur, dignos esse idololatras, qui intereant, &c. quæ singula præter alia ex ipsorum monimentis comprobantur. Deinde non unum exemplum cædis, in Christianos adultos, vel eorum liberos perpetratæ, in medium affertur, totumque momentum ea diligentia, &, ut putamus, fide tractatur, ut vel hujus Autoris beneficio controversia illa, quæ inter Wagenseilium ac Tenzelium τὰς μακαρίτας agitata olim est, finiri posse videatur. Sub finem disputatur, utrum Judæi sanguine Christianorum carere non possint, &, cum Judæi, nominatimque Aberbanel, per calumniam hoc dici conquerantur, rem in medio relinquit diligentissimus Autor. Ultimo loco idem usum Medicorum Judaicorum Christianis graviter dissuadet, ideo, quod Judæi hostes Christianorum jurati sint, iisdem cædes Christianorum licita putetur, Medici Judæorum ejusmodi medicaminum, quorum vim ignorant, experimentum in Christianis capere jubeantur, plerique eorum Medici literarum vel ignari vel non admodum periti sint, multi denique non parum detrimenti inde ceperint. Propterea in Jure Canon. Parte II Decret. Causa 28 qv. I c. 13 Christiani Judaicorum Medicorum opem ad levandos morbos implorare prohibentur. Cap. IV novum odii in Christianos exemplum repræsentatur. Sicut enim Judæi nemini suorum salutis spem dubiam faciunt; ita eandem adimunt omnibus, quos sacra sua aversari intelligunt Neque obstat illorum assertio, quæ exstat in Jalkut Rubeni tit. Gilgulim num. 63 in eam sententiam, qua pii inter gentes partem futuri seculi sperare jubentur. Hujus enim liberalitatis quasi obliti verpi in omnia alia aliis in locis discedunt, v. c. Bechai in comment.

(Margin: pag. 194. — 200. — 219. — 225. — 227. — 234. — 248.)

comment. in Pentat. fol. 55 col. 4 & fol. 144 col. 4 &c. Dum in
pag. 236. his eſt Cl. Autor, obiter etiam & ſtrictim disquirit, quid per
עולם הבא ſive *ſeculum futurum* intelligi debeat, de quo argumento
eruditæ Witſii & Rhenferdi commentationes in publi-
274. cum exſtant. Spem illam, quam de ſua ſalute animo conceperunt,
variis modis confirmare annituntur, &, cum peccatis
ſe infectos videant, illorum veniam non uno ſibi modo pollicentur.
Eam enim certiſſimam ſibi credunt, ſi obitum pie defuncti
doleant, ſi legi ſtudeant, ſi peccatorum pudore corripiantur,
ſi veſpera Sabbathi verba Gen. II, 1 legant, ſi denique ſacrifi-
278. ciorum leges ſcrutentur. Recipiunt ſe præterea etiam ad merita
Sanctorum defunctorum, quos pro vivis ſupplices ad Deum
280. preces deferre putant, ac propterea eosdem religioſe venerantur.
281. Nec minus confidunt in precibus, celebratione Sabbathi,
in caſtigationibus & calamitatibus, morte ac variis bonorum
operum generibus, quæ ne difficiliora videantur, obedientiam
legi præſtandam tam anguſtis limitibus conſtringunt, ut, qui
uni præcepto obtemperet, is totam legem obſervaſſe judicetur
in Medraſch Miſchle fol. 65 col. 3. Imo, ne quid confidentiæ
deſit, impios quoque Judæos de ſalute bene ſperare volunt, in
295. lib. Thorath Adam fol. 100 col. 2. Cap. V Judæorum de Paradiſo
doctrina explicatur, quem duplicem illi faciunt, ſuperiorem
alterum, alterum inferiorem, utrumque ſeptem nominibus
inſignem, & in ſeptem domicilia diſtinctum ac ſeptem
juſtorum ordines ſive cœtus comprehendentem. In eo fingunt
varia herbarum odoriferarum genera ſuccerſere: vide A-
313. vodath hakkodeſch fol. 46. Ex inferiore in ſuperiorem paradiſum
animas evehi, & viciſſim ex hoc in illum deturbari, affir-
323. mant in Jalkut chadaſch fol. 57 col. 2. Cum hoc argumento
cap. VI conjungitur eorum doctrina de Inferno, quem variis
nominibus deſignatum itidem duplicem & in ſeptem manſiones
337. diſtinctum credunt. In eum omne hominum genus deferri
ſtatuunt, ex quibus tamen animæ piorum non diu in illo commorantur,
ſi credimus autori Niſchmath Chajim fol. 82 col. 2.
347. Damnatis tamen quotidie quatuor & dimidiam horas a vexationibus
liberis eſſe licet, ſecundum Jalkut Rubeni fol. 167 col. 4.

Ex

Ex impiis alios breviori, alios longiori temporis intervallo, alios in æternum, pro delictorum varietate, infernalibus pœnis sustinendis destinari iidem putant, quam in rem præter ceteros legi potest Menasseh ben Israel in Nischmath Chajim fol. 37 col. 2; quæ tamen cum illis vix conciliari possunt, qui ipsum infernum olim in paradisum commutatum iri censent, in Jalkut Rubeni n. 2. Sufficere hæc possunt, ut cum de Autoris nostri diligentia tum de Judæorum ineptiis judicium ferri queat. Propterea reliquorum capitum argumenta strictim enumerabimus. Caput VII doctrinam de Angelis bonis, cap. IIX de Angelis malis, sive Diabolis, proponit. Cap. IX contemtionem Magistratuum Judæis familiarem & religionis in præstando jurejurando neglectionem describit, sicut cap. X iidem Judæi de ditionibus suis, quas aliis in regionibus possideant, Principibus ac Regibus suis subjecti, magnifice gloriantes introducuntur. Cap. XI fraudes, furta & immodicam lucri cupiditatem sistit. Cap. XII de ciborum & potus ratione, cap. XIII de Messia, cap. XIV de iis, quæ a Messia sibi pollicentur, cap. XV de imperii, a Messia administrandi, duratione, cap. XVI de resurrectione mortuorum, cap. XVII de extremo Judicio, ex sententia Judæorum, commentatur, quibus extremum caput subnectitur, quod in causas, quæ Judæorum conversionem prohibeant, inquirit, ac quibus illa mediis promoveri queat, non infeliciter ostendit.

pag. 368.

370.

S. IRENÆI, EPISCOPI LVGDVNENSIS ET Martyris, Detectionis & eversionis falso cognominatæ agnitionis, seu contra hæreses Libri quinque. Studio & labore RENATI MASSUET, Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri.

Parisiis, typis & sumtibus Io. Bapt. Coignard, 1710, fol. Alph. 9 pl. 15.

MIrifico decem abhinc annis excepta plausu est splendida illa Irenæi editio, quam e Sheldoniano theatro emisit Grabius, recensita nobis A. 1702 p. 308 sq. Nec tamen is omni ex parte satisfecit Massueto, quippe qui in Præfatione, post latum de

 ceteris

ceteris omnibus Irenæi editionibus judicium, notat, Grabium in multis Irenæi locis lectiones minus ſanas amplexum eſſe, rejectis melioribus: in aliis corruptelam vel non animadvertiſſe, vel infeliciter ſublatum iviſſe: porro, ut Irenæum vel invitum Anglicanæ eccleſiæ adjungeret, in notis ſæpius ad nauſeam usque copioſum eſſe: aliorum notas nullo delectu adſciviſſe: ſuas vero auxiſſe majorem in modum iis locis, ubi ad Irenæi ſententiam illuſtrandam parum conferant: contra nihil ſæpe annotaſſe, ubi autori luce erat opus: capitum lemmata pro arbitrio ſuſtuliſſe vel diſſecuiſſe: denique fragmenta Græca admodum incommode diſpoſita eſſe, quod quidem typographi culpa factum eſſe Maſſuetus credit. Hisce proinde nævis ne ſua laboraret editio, ſibi providendum putavit. Ac primum, ut Irenæus prodiret quam emendatiſſimus, eum ad tres MSS. codices, nondum a quoquam recenſitos, exegit: quorum, primus judicio Mabillonii ante annos 800 exaratus eſt, tertius ante 400 annos, medius autem ipſi viſus non eſt. Accepit enim varias lectiones, toto libro I & prioribus octo libri II capitibus Paſſeratii manu adſcriptas ad oram editionis cujuspiam Eraſmi: niſi forte eæ lectiones a Paſſeratio partim ex aliis libris jam impreſſis annotatæ, partim ex ingenio depromtæ ſunt. Quod ſi ita eſſet, non tres, ſed duos tantum MSS. codices laudandi Maſſuetus cauſam haberet. Diſſerit deinceps de aliis MSS. codicibus, quibus uſi ſunt Fevardentius atque Grabius, quantumque iis auctoritatis ſit tribuendum, ſententiam exponit ſuam. Horum codicum ope factum ait eſſe, ut Irenæum adeo emaculatum reddiderit, pauca ut jam ſupereſſe videantur, in quibus Lector hærere ac genuinam deſiderare lectionem poſſit. Fragmenta Irenæi commodiore ordine diſpoſita, & interdum auctiora emendatioraque, quam in Grabiana editione exſtent, exhibere ſe ait, eorum, quæ ex Epiphanio excerpta ſunt, Latina quoque verſione Iac. Billii e regione veteris adjuncta. Fecit quoque novam capitum ſectionem, novaque ſingulis præfixit lemmata: idque ea de cauſa, quod vulgata diviſio una cum lemmatibus & Irenæo ſit multo recentior, & utraque ſæpius abſurdiſſima ſint. Quin & capita in paragraphos diviſit, veteri tamen diviſione capitum, legentium commodo, in margi-

margine servata. Ut vero & sententia Irenæi, sæpe obscura, planius cognosceretur, difficilia quæque loca subjectis textui notis explicare conatur, adjectis aliorum etiam doctis observationibus, nisi quod eas prætermisit, quæ solum ad eruditionis ostentationem vel ad dogmata & fidei controversias pertinent. Ceterum quæ fusiori examine indigebant, singularibus Dissertationibus toti operi præmissis pertractavit, de quibus postea dicamus. Singulis Irenæi libris brevem præmisit ac dilucidam analysin, haustam ex Nurrii Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum Ad calcem operis, præter deperditorum Irenæi librorum fragmenta, quorum quædam nunc primum prodeunt, adjecta sunt ex Grabii spicilegio excerpta ex veterum Gnosticorum libris. Tandem adjunxit eorum præfationes, prolegomena, notas & observationes, qui novas Irenæi editiones adhuc publicarunt vel illustrarunt: ut sic uno volumine comprehensa minorique sumtu Lector habeat, quæ antea pluribus contenta & majore impensa erant comparanda. Agmen claudunt quatuor Indices, primus Græcarum obscuriorum vocum, alter Latinarum difficiliorum, tertius Scripturæ S. testimoniorum, quartus rerum.

Nos antequam ad ipsum Irenæum adeamus, Massueti Dissertationes Irenæo præfixas perlustrabimus. Harum prima hæreticos persequitur, quos primo libro recensuit Irenæus, eorumque actus, scripta & doctrinam. §. 1 de Valentini agit patria, cumque Epiphanius eum Phrebonitem fuisse ex Ægypti quadam ora referat, Phtenotitem legere mavult. §. 2 in ejus ætatem inquirit, subductisque rationibus censet, eum anno circiter 158 mortuum, natum vero anno circiter 85. §. 4 recte notat eorum errorem, qui ex Tertulliani verbis perperam intellectis tradiderunt, librum a Valentino scriptum fuisse sub nomine Sophiæ. Tertullianus quippe ad Sophiam, Valentinianorum æonum novissimum, alludit, non ad librum eo titulo vulgatum. §. 5 de Valentini dogmatibus agens rejicit Cl. Buddei opinionem, (quam tamen ante eum jam alii faverunt, ut Corn. Agrippa de Vanit. Scient. c. 47 & 48, Hottingerus Thes. Philol. 53. lib. I cap. 3 Sect. V p. 445 & Io. Crojus in Specim. Conjectur. in Irenæum,) Valentiniano-

nianorum placita ex Judæorum Cabbala derivantis, probatque ex veterum ſilentio, Sephiroticas chimeras, Cabbaliſticos mundos ac reliquas Cabbaliſtarum ineptias nondum illo tempore auditas fuiſſe. Addit, libros Cabbaliſticos, hodie qui exſtent, vix ante annos quingentos aut ſexcentos exarari potuiſſe. Noſter arbitratur, Valentinum ſyſtematis ſui inventorem non fuiſſe, ſed iis, quæ jam adinvenerant Gnoſtici priores, addidiſſe non nihil ac ſupremam admoviſſe manum: Gnoſticis vero pariter ac Valentinianis occaſionem præbuiſſe Pythagoricos ac Platonicos Philoſophos, Ægyptiosque, & Chaldæos Myſtagogos, quorum placitis ac myſteriis ipſorum animi fuerint imbuti: id quod præclare probat ac dilucide, facta cum illorum doctrinis collatione Valentinianorum dogmatum. Quod ſi non ſingula recte ſunt a Noſtro explicata, (quis enim tantis in tenebris ſatis lynceus ſit?) in univerſum tamen apparet, eum veros nugarum Valentinianarum fontes monſtraſſe. Quando vero Noſter p. 46 exinde concludit, Valentinianos puros putosque Chriſtianos fuiſſe, qui ridiculis gentilium philoſophematis ſimulatam Chriſtianiſmi ſpeciem induxerint: nobis contrarium videtur verius, nimirum eos fuiſſe Chriſtianæ quidem religionis approbatores, ſed partim amore Philoſophiæ, cui aſſueti erant in Gentilismo, partim metu calamitatum Chriſtianos ceteros prementium, Chriſtianiſmo ſpeciem induxiſſe religionis vel gentilis vel ſaltem philoſophicæ, id eſt, Theologiæ naturalis. Nihil enim cauſæ erat, cur Valentiniani videri vellent Chriſtiani, a cujus nominis ſocietate iis temporibus nil commodi ſperari poterat, ſed potius mala omnia. Contra complures eſſe tum malebant Chriſtiani, quam videri, cavebantque, ne haberentur in contemtoribus Gentilismi: quippe quod hominum genus in bonorum vitæque perpetuo verſabatur diſcrimine. Nec videtur notatu indignum, quod nusquam legimus in veterum monimentis, hoc genus hominum in acerbiſſimis illis Chriſtianorum vexationibus ſimul fuiſſe male habitum: quam libertatem omnino debuerunt ſyncretiſmo ſuo, quo Chriſtiana & ethnica ſcita in concordiam quandam redigere ſtudebant, more eorum, qui e Judaismo ad Chriſtianam religionem ſe converterant, notati ab Apoſtolo Galat. VI, 12. Pergit

Maſſue-

Maſſuetus, & Artic. II agit de Valentini diſcipulis, Secundo, Epiphane, Ptolemæo, Colarbaſo, Marco, & in horum quoque placitis ſubinde notat Platoniſmi veſtigia: quod & facit Artic. III agens de Valentini magiſtris, Simone Mago, Menandro, Saturnino, Baſilide, Carpocrate, Cerintho, Ebionæis, Nicolaitis, Cerdone, Martione, Tatiano, variis Gnoſticorum ſectis, Ophitis & Sethianis. Inter hæc p. 54 propugnat cum Tillemontio traditionem veterem de poſita Romæ ſtatua Simoni Mago quod fortaſſe non feciſſet, ſi, quæ ad refellendam hanc fabulam ab Antonio Daleo lib. de Orac. p. 579 ſqq. afferuntur, expendiſſet. P. 65 ſq. non obſcure indicat, ſibi videri nullum exſtitiſſe Ebionem, cum ejus nullam fecerit mentionem Irenæus, Euſebius vero & Origenes diſerte ſcribant, Ebionæos non a magiſtro ſuo, ſed a paupertate nomen accepiſſe: quique Ebionem aliquem ſtatuant, ſint recentiores ac duce utantur Epiphanio. P. 76 diſſertationem hanc primam concludens ait, ſe hæreſes ab Irenæo memoratas ad genuinos fontes, Platonica philoſophemata, revocaſſe: pleraſque enim Gnoſticorum fabulas purum putumque Platonismum eſſe, laceris & fœde mutilatis Scripturæ S. tegumentis Chriſtianæque religionis dogmatibus peſſime veſtitum.

Diſſertatione II de Irenæi vita, geſtis & ſcriptis commentatur Maſſuetus. Ac §. 2 Irenæum circiter A. 140 natum eſſe, ſubductis rationibus fidem facere conatur. §. 13 ſqq. docet, Irenæi ævo in Gallia nullum fuiſſe Epiſcopum, præterquam Lugduni, adeoque tardius in ea gente Chriſtianam religionem ſe diffudiſſe. §. 19 ſqq. agit de controverſia ob celebrationem Paſchatis orta, ingenueque Victoris Papæ fervidiorem æſtum notat & ab Irenæo merito eum fuiſſe reprehenſum fatetur. §. 30 ſqq. Dodwelli, Irenæum fuiſſe martyrem negantis, argumenta labefactare & vulgatam opinionem confirmare conatur. §. 42 probabile facit, eum, ad quem Irenæus ſuos contra hæreſes libros ſcripſit, fuiſſe Epiſcopum. §. 46 probat, Irenæum operi ſuo hunc dediſſe titulum: Ελεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. §. 47 contendit, Irenæum hoſce libros circa A. 192 conſcripſiſſe, ac §. 48 & 49 Dodwellum & Grabium, ratos,

eum scripsisse sub annum 177, refutat. Ceterum Græce scripsisse Irenæum, non Latine, quod Erasmo visum fuit aliisque, operose comprobat §. 51 & 52. Unum, sed firmissimum, argumentum & ipso Irenæo addemus, qui in præfatione excusat scripturæ suæ genus his verbis: *Orationis artem non exquires a nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum sermonem plerumque avocamur.* Si enim Latine scripsisset, *Gallos* dixisset pro *Celtis*, nec Latinam linguam *βάρβαρον διάλεκτον* appellasset. Utrumque autem a Græcis dici, satis notum est. Latinæ porro versionis autorem fuisse Græculum quempiam, sermonis Latini plane rudem, docet §. 53: ubi &, versionem illam esse antiquissimam, ex Tertulliano, ipsa ejus verba producente, &, ubi Latinus interpres erravit, ipso quoque lapso, manifestum reddit: item §. 54 ex Cypriano atque Augustino, a quibus pariter ipsa Latini Irenæi verba recitentur. Unum fortasse caput in hac dissertatione desiderabunt lectores nonnulli, quo fides Irenæi historica sub examen revocata sit. Vulgus quidem historiæ lectorum non considerat, quanto locorum ac temporum intervallo disjunctus sit autor aliquis ab eo de quo scripsit, sed quam longe a sua legentium ætate remotus sit: at prudentiores scire avent, inprimis in historia de adversariis scripta, an scriptor notitiam habuerit undiquaque certam, eamque sine affectu exposuerit. Non ignoramus, Irenæum a Tertulliano vocari *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem.* Sed an vera sit hæc laus, dubitare in mentem venit, postquam videmus, ipsum Massuetum longe doctius de origine Gnosticorum errorum judicare, quam Irenæum. Cum igitur Irenæus non viderit, hæreticorum illorum dogmata ex Theologia gentilium, maxime Platonis, repetenda esse, verendum est, ne non satis peritus fuerit historiæ philosophicæ, nec ubique recte exponere potuerit hæreticorum dogmata. Unde nondum damnare audemus Cl. Jo. Clerici judicium, quod de Irenæo tulit in Animadvers. ad Ioan. I, 16 p. 41: *Vir*, inquiens, *profecto fuit pius & religioni Christianæ addictissimus: sed callidum rerum & dogmatum æstimatorem nunquam credent, qui ejus opus non oscitanter legerint.* Sed ne manes sanctissimi Viri immerito videamur lacessere, duo ejus capita expendemus paucis,

qui-

Digitized by Google

quibus Nicolaitarum & Simonis Magi hæreses describens nec diligentiæ nec ingenii nec doctrinæ magnæ dedit documentum. De Nicolaitis enim ita agit lib. I cap. 27, ut manifesto appareat, eum de hæresi eorum non aliunde notitiam hausisse, quam ex Apocalypsi Joannea. Attamen non solum audacter affirmat, eos flagitiose vivere, quasi sua adhuc ætate viguerit Nicolaitarum hæresis: sed etiam eorum magistrum & autorem fuisse Nicolaum diaconum, Actor. VI, 5 laudatum, sine ulla dubitatione tradit. Quodsi perspicuum fecerimus, nullos unquam exstitisse hæreticos Nicolaitarum nomen gerentes: ex quo deinceps illud consequetur, ut nugas egisse judicentur, qui audito Nicolaitarum nomine hujus hæreseos originem continuo retulerunt ad Nicolaum illum diaconum, quasi præter hunc nullus Nicolaus in orbe tum esse potuerit: necesse nobis erit fateri, & nimis credulum & exiguo admodum judicio præditum fuisse Irenæum nostrum. Quod enim alii post Irenæum idem tradiderunt, facilius excusari potest, quod hi sibi visi sunt sequi autorem fide dignum, quique nisi exploratum & certo perspectum nihil tradiderit. Ceterum facile est demonstratu, nullo unquam loco vel tempore exstitisse sub Nicolaitarum nomine hæreticos. Joannes quippe Apostolus in toto illo libro (quod vel perfunctorie legentibus manifestum fit,) non proprietatem verborum secutus, sed symbolico atque ænigmatico dicendi genere usus est. Unde Nicolaitas memorans non docet, fuisse pravos homines id nominis gerentes, sed, exstitisse tum temporis nonnullos, qui revera essent (etsi ita non appellarentur) Nicolaitæ, quique hoc nomine haud injuria vocari possent. Eundem in sensum capite eodem v. 20 mentio fit Jesabelis, non quod tum aliqua hujus nominis fœmina turbas dederit in ecclesia, sed quod multi essent Jesabelis, Ahabi regis uxoris, similes ac verum Dei cultum idololatria commaculantes. Hi sub Jesabelis, pessimi exempli mulieris, persona eundem in modum notantur, uti totum regnum Antichristianum, quod plures sane habuit administratores, sub persona meretricis regio cultu ornatæ Apoc. XVII proponitur. Sic & Apoc. VII, 4 & XXI, 12 per Israelem non Judæi significantur, sed Christiani, qui veri sunt Israelitæ, & majori jure, quam

Judæi, ſic appellari poſſunt. Conf. Rom. IX, 6. Pari modo cum Apoc. III, 9 ſcribitur, falſos doctores videri voluiſſe Judæos, cum tales non fuerint: per Judæos ſignificantur veræ religionis profeſſores, quales olim erant Judæi. Etiam Apoc. VIII, 11 magni cujusdam impoſtoris nomen eſſe dicitur ἄψινθος. Certe nullus in Eccleſia exſtitit hæreſiarcha hoc nomine uſus. Quare non poteſt id nominis de re ipſa non accipi. Sicut enim Chriſtus Matth. XVI, 6, 11 & 22 doctrinam Phariſæorum vocat *fermentum*, quod inficiat totam veluti maſſam veritatis: ſic hoc loco doctrina Muhammedis (is enim innui videtur) comparatur cum *abſinthio*, quippe cum illa totum Chriſtianismum (cujus doctrina eſt *dulcis*, 1 Corinth. V, 8,) corrumpat & ingratum peſtiferumque ſaporem ei inducat. Sed quid multa? Ipſe Ioannes Apoc. XI, 8 expreſſis verbis docet, nomina in hoc libro ab ſe poſita non proprie eſſe capienda, ſed πνευματικῶς. Nec alia deſunt exempla hujus loquendi generis. Nam & Jeſaiæ VII, 14 dicitur, Meſſiæ nomen fore Immanuelis, quod ſcilicet is eſt (licet ita non fuerit nominatus, ſed JEſus,) verus Immanuel, id eſt, DEus nobiscum. Conf. Jeſa. IX, 6; Matth. V, 19. Hinc jam certum eſt, Nicolaitarum nomen in Apocalypſi mere ſymbolicum eſſe. Dicuntur autem Nicolaitæ, quod ipſorum errores conveniebant cum Balaami, verſu præcedenti memorati, doctrina. *Balaam* enim apud Hebræos ſignificat *Dominum populi*, ac reſpondet Græco nomini Νικόλαος. Eodem modo Apoc. IX, 11 mali angeli nomen eſſe dicitur Hebraice Abaddon, Græce Apollyon. Conf. Apoc. XVI, 16. Ergo Græco hic nomine dicuntur Nicolaitæ, qui Hebraico appellandi erant Balaamitæ. Accedit, quod, qui v. 14 & 15 deſcribuntur ſub Nicolaitarum aplatione, iidem ſub Jeſabelis perſona repræſentantur v. 20: ut vel hinc pateat, utroque loco nomina ſymbolice eſſe interpretanda. Ceterum quæ fuerint Nicolaitarum illorum doctrinæ, jam non exponemus, illud ſolum monentes, eas pariter myſtico ſenſu capiendas eſſe: ut & hinc appareat eorum error, qui ex verbis Apocalypſeos Nicolaitis flagitioſum ac propudioſum vitæ genus affinxerunt. Sufficere hæc poſſunt ad revincendum Irenæi de Nicolaitis errorem. Unum addimus, quod nec

nec Lucas, Nicolai mentionem in Actis faciens, nec ceteri Apostoli, quorum epistolas adhuc habemus, quicquam de Nicolao hæresiarcha vel Nicolaitis hæreticis meminerint: quod silentio præterituros eos fuisse, oblatis tam sæpe ac tam commodis occasionibus, si quidem Nicolaitarum titulo tunc hæretici fuissent in orbe, vix ac ne vix quidem credi potest.

Alterum, ex quo Irenæi autoritatem labefactari prædiximus, est historia illa de Simone Mago hæresiarcha, quam persequitur lib. I cap. 20. Neque enim Simonem illum hæreticum, neque sectæ novæ conditorem fuisse, Lucas Apostolorumque epistolæ, dum tacent, clamant. Quod si enim vera essent, quæ de eo narrantur, oportet, ut acciderint Luca & Apostolis, quorum hodie supersunt scripta, superstitibus. Hos tanti Antichristi voces impias nec successu carentes excepisse silentio, ecquis, rem animo secum reputans, a se impetrare possit, ut credat? Nec vero tota illius historiæ tela ex fabulis contexta videtur, cum omnis fabula aliquid ex vero trahere merito credatur. Ipse Irenæus accurate inspectus nobis persuadet, occasionem vulgari fabulæ dedisse Simonem quendam Gnosticum, quocum Simonem illum magum a veteribus confusum esse, conjicienti Cl. Vitringæ lib. V Obs. sacr. cap. 12 prorsus assentimur. Etenim Gnosticæ doctrinæ vestigia satis luculenta deprehendimus in Irenæi historia Simoniana. Hinc ob nominis societatem in senatum hæresiarcharum allectus fuit Simon Magus, id quod facile accidit, cum primis Ecclesiæ temporibus ore, non scriptis, memoria rerum conservaretur, fama, ut fit, addente multa, multa detrahente, non nulla immutante. Jam postquam pro certo compertoque haberetur, Simonem Magum fuisse hæreticum, sequens ætas id sibi negotii datum credidit, ut historiolam hanc exornaret & augeret narrandis artis ejus magicæ speciminibus. Non satis erat, generatim ex Luca nosse, eum artem illam Samariæ exercuisse: sed Pseudo-Clemens ac Nicephorus Callisti suum esse putabant, largissima manu admetiri, (prope dixerim *admentiri*,) quid patrarit. Proinde memoriæ prodiderunt, eum in aerem evolasse, lapides convertisse in panes, in varias species se transmutasse, & quæ sunt hujus generis alia. Ex quo rursus nova nata

est fabula de ultimo Simonis volatu, qui ob Petri preces male ei successisse legitur: cujus fabulæ natales detexit B. Ittigius noster Diss. de hæres. sect. 1 cap. 2 §. 8. Ceterum mirum videri non debet, de Simone illo tantum fabularum confictum & creditum esse, cum ne Cypriano quidem martyri ejusmodi nugivenduli pepercerint, Confessionem sub ejus nomine componentes, in qua refertur, quantam magicæ artis peritiam is habuerit: de quibus vigilantium somniis merito ac graviter questus est doctissimus Episcopus, Ioannes Fellus, in lectu dignissima præfatione, illi Confessioni præmissa. Sed ut ad Simonem Gnosticum redeamus, quid is docuerit, ex Irenæi narratione erui potest, modo advertamus animum. Quæ enim eum docuisse refert de Ennoea & angelis mundi fabricatoribus, amice conspirant cum ceterorum Gnosticorum deliriis suamque adeo originem satis produnt. Notamus tantummodo, fabulam de Selenæ, quam posteriores in Helenam mutarunt, pariter ortam esse ex συζυγίαις Gnosticis: id quod manifestum est ex ipso Irenæo. Idem Simonem dixisse scribit, se in Samaria ut Patrem descendisse, in Judæa ut Filium apparuisse, ad reliquas gentes venisse ut Spiritum sanctum. Posterior ætas mendacium hoc comtius exornavit, & historiam effinxit credibiliorem, nempe eum dixisse, (ita refert Augustinus,) se in monte Sina legem Mosis in persona Patris dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii persona apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum S. venisse in Apostolos. En quantum hæc relatio mutata sit a priore! Ceterum originem hujus narrationis conjectura assequi non est difficile. Consentaneum quippe est, Simonem illum Gnosticum æque, ut hæreticos sequentes, mysterium Trinitatis pervertisse, veritumque, ne ex formula baptismi Christiani tres crederentur Dii, statuisse, unum esse Deum, qui in veteri Testamento se manifestaverit ut Patrem: deinde ad Judæos adsumta hominis persone venerit ut Filius; tandem ad ethenicos quoque venerit secumque illos reconciliarit per Spiritum Sanctum ejusque miraculosa opera per Apostolos patrata. Quod igitur Simon Gnosticus de Deo dixerat, id Simon Magus de semet ipso dixisse ferebatur, partim ut homo exosus fieret eo execrabilior, partim quod proclivius esset ad credendum, cum

Scri-

Digitized by Google

Scriptura S. testis sit, eum a Samaritanis habitum fuisse pro magna virtute DEI. Ex quo & illud confingi cœpit, quod refert Hieronymus, eum dixisse: Ego sum sermo DEI, ego speciosus, ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia DEI.

Neque vero, cum Irenæo non simpliciter credendum esse contendimus, omnem ei fidem derogamus. Nam quæ de Valentinianis commemorat, majorem mereri auctoritatem ex eo debent, quod, ut in præfatione Libri I scribit, ipsorum Valentini discipulorum commentarios legit, & cum quibusdam Valentinianis colloquens eorum opiniones studuit perdiscere. Ibidem meminit, *Ptolemæum* Valentinianum suo tempore floruisse, in cujus adeo dogmatum notitiam pervenire ipsi facile fuit. Porro lib. I cap. I & 9 refert, se Valentinianorum errores didicisse ex conversarum aliquot mulierum confessiönibus. Marcionis quoque scripta sibi lecta esse, lib. I. cap. 29 fatetur. Quanquam mulierum illarum testimonium fortasse non est omni exceptione majus. Potest enim factum esse, ut illæ dogmata Gnosticorum, obscura quippe ac mysteriosa, non recte ceperint: item, ut prava quorundam facinora prodiderint, quæ Irenæus tribuit toti sectæ. Verum mittamus hoc argumentum, progressuri ad Massueti *Dissertationem III*, qua de doctrina Irenæi agens, systema Theologiæ Irenæi sistit, ita tamen, ut eum Pontificiorum in castra sæpius obtorto collo rapiat, ac Protestantibus, qui eum sibi vindicare conantur, inprimis Grabio, identidem dicam scribat. Non fert instituti nostri ratio, ut in talibus recensendis multi simus, nec multa hic occurrunt, quæ non dicta sint prius. Quapropter ad Irenæum ipsum esset veniendum: sed, ne nimis longa ejusdem operis recensione patientiam Lectoris benevoli fatigemus, reliqua reservabimus Mensi proximo.

DE VALENTINIANORUM HÆRESI conjecturæ, quibus illius origo ex Ægyptiaca Theologia deducitur.

Londini, typis Guil. Bowyer, 1711, 4.
Pl. $3\frac{1}{2}$ & fig. æn.

Cum

Digitized by Google

CUm proxime in recensione Irenæi sententiam Massueti de Valentinianæ hæreseos origine retulerimus, haud alienum fuerit, brevem hancce Dissertationem ejusdem argumenti subnectere. Autor, qui nomen quidem non apposuit, est Georgius Hooper, S. Theol. Doctor, olim Ecclesiæ Centuariensis Decanus, nunc Bathoniensis & Wellensis Episcopus, cujus scripta, *Ecclesia Anglicana a Papismo libera* & *de Jejunio quadragesimali*, vernaculo sermone ἀνονύμως edita, plausum Eruditorum dudum meruere. Incidit autem in eandem opinionem, quam Massuetus tuetur, ac Tertulliano concedens, Platonicum fuisse Valentinum, altius id repetendum ducit. Ostendit idcirco, Platonem ac Pythagoram, cujus ille placita est amplexus, ex Ægypto sua hausisse dogmata. Philosophiam enim Ægyptiacam non solum ideas admisisse, sed voluisse, ut numina illa varia, quæ coluit, mortalia essent imagines æternorum. Porro docens, Valentinianos a Platone & Pythagora mutuo sumsisse prærogativas numerorum, quaternarii, octonarii, denarii, duodenarii ac tricenarii, addit, Ægyptiis pariter numerum duodenarium fuisse solennem, quod tot menses annum conficerent: tricenarium, quod tot diebus mensis absolveretur. Sic &, Herodoto teste, Dii Ægyptiorum majores octo fuerunt; secundi ordinis duodecim, inferiores decem, ne suus cuique mensis diei deesset Deus. Ex quo apparet, eodem numero esse & in classes similes distributos Valentinianorum Æonas & Ægyptiorum Deos. Connubia quoque Æonum Valentinianorum redolent Ægyptiorum dogma, quos conjugia inter Deos suos conciliasse, Jamblichus testatur. Procedit hinc Autor ad ipsos Æonas, ex quibus nonnullorum peregrina nomina, ab Epiphanio commemorata, ad Ægyptiacam linguam reducens, eorum quoque primarios in Ægyptiorum Theologia invenisse sibi videtur. Bythum certe Valentinianorum invisibilem & incognitum Ægyptiis tribuunt Jamblichus, Plutarchus atque Damascius. Ab iisdem Sigen, quam Bytho conjugem dedere Valentiniani, cultam fuisse, ex Jamblicho probat, simul recordatus, eosdem veneratos esse Harpocratem, *silentii* Deum. Proximum quoque Æonum Valentinianorum par, e Bytho & Sige enatum, Νȣ̃ν & Ἀλήθειαν, inter Ægyptiorum ac Platonis mysteria

mysteria fuisse, docet. Tertio pari Æonum, λόγῳ & ζωῇ respondere putat celeberrima Ægyptiorum numina, Osirin & Isidem, allato Jamblichi loco. Ceterum quod non pari felicitate cetera omnia cum Ægyptiorum dogmatibus comparari queant, ex eo fieri judicat, quod illi mysteria sua studiose occultarint. Quare reliquas Autoris conjecturas prætermittimus, Lectorem ablegantes ad ejus in Tertulliani Opus *de Valentinianis* notas, quas se propediem emissurum esse pollicetur.

JOANNIS BATTELY, S. T. P. ARCHIDIAconi Cantuariensis, Antiquitates Rutupinæ; Opus Posthumum.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1711, 8 maj. Plag. $6\frac{1}{2}$ cum 4 tab. æneis.

ETiamsi Latinarum pariter ac Græcarum literarum omnimodæque antiquitatis peritissimus Autor historiam oppidi *S. Edmundi Burgi* & celeberrimi in eo monasterii concinnare cœperit, eandemque ad annum MCCL perduxerit, & alia forsan opera molitus sit, nullum tamen opusculum excepto hoc, quod in modum dialogi scripsit, absolutum reliquit. Ad hoc autem promovendum perficiendumque optimam ei occasionem dederunt numi, fibulæ, annuli, claves, urnæ, aliæq; Romanæ supellectilis reliquiæ, quæ in vicinia loci, in quo vixit, quotidie repertæ, & continuo ad eum allatæ fuerunt: quarum thesaurum satis amplum collegit, & nepoti suo *Joanni Battely*, e Collegio Trinitatis Cantabrigiæ, integrum legavit. Dum ergo in eo versatur, ut Regulbium Rutupiasque, antiqua Cantii loca exponat, Tanatim insulam Cantiano littori objectam portum facere, portumque duobus ostiis, quorum unum Septentrionem, alterum Orientem spectat, gaudere ait. Rutupias geminas olim fuisse, earumque alteram, inclinato ac prope jacente in memorata Insula imperio Romano, *Regulbium* vocatam arbitratur, ac in situm portus Rutupini, quem cum veteri Sandwicensi unum eundemque, immo iisdem terminis circumscriptum esse dicit, sedulo inquirit, suamque sententiam testimoniis Autorum corroborare annititur.

Nec a proposito longius abesse putat, quando de *Lapide tituli* loquitur, cumque non apud *Stonar*, cum Camdeno & Usserio, nominis origine deceptis, sed ad ripam *Gallici maris* collocat. Ex portu egressurus ad ipsam urbem properat, quam neque Dubrim, neque Sandwicum, neque Cantuariam, neque Roffam fuisse, sed in dejectu collis, cui castrum imponitur, exporrectam jacuisse, autoritatem Camdeni secutus, affirmat. De castri autem situ neminem dubitare patiuntur præclaræ illius reliquiæ, quæ septem circiter stadiis a Sandwico in edito loco adhuc conspiciuntur. Deinceps, paucis de portu Trutulensi, Cantii promontorio, ac Tanatis insulæ nomine, celebritate laudibusque interjectis, in nominis Rutupini originem inquirit, quod, cum Rutupias nostras tam ab Orosio, quam a Beda *Rutubi portum* constanter appellari, & in Gallia, tempore Julii Cæsaris, Rutubi portum fuisse constet, a Gallico derivat. Nam omnia fere urbium nomina in Britannia e Belgio i. e. Gallia Belgica accersiri posse, tum testimonio Cæsaris luculento tum aliquot exemplis probat. Missis Rutupiis, Regulbium ex Notitia Provinciarum memorat, quod juxta ostium Aquilonare fluminis *Genlade* situm fuit, nomenque a Britannicis vocabulis *rhag* & *gwylfa*, in Latio *præ* vel *ante* & *speculatum* vel *excubias* denotantibus accepit. Regulbium enim, inquit Autor, prima omnium specularum in littore Cantiano positarum sese e Thamesi fluvio navigantibus ostendit, unde jure merito *specula anterior* dicitur. Porro de loco, ubi Cæsar ad Britanniam appulerit, disceptat, cumque urbes se reperisse testetur ipse Cæsar, sentit, fuisse in Britannia ante Romanorum ingressum sive urbes sive oppida, non quales Historici fingunt ac describunt, muris, turribus, portis instructas firmissimis, at saltem tales, in quibus conventus habere, contra hostium incursiones se tutari, atque mercaturam commode exercere possent. Colligi in agro sive littore Regulbino innumeros numos æreos, minutos, rudes, ait, Romanos tamen, quod indicant signata in iis capita vel laureata, vel diademate redimita, atque in aversa parte vel signa militaria, vel equites hostes prosternentes, vel lupa cum Romulo & Remo. Illorum minutissimos vix vicesimam drachmæ Romanæ partem æquare asserit, eosque vel inclinante imperio vel urgente

urgente necessitate publica cusos, & numero non pondere æstimatos fuisse autumat. Unum atque alterum ex illis affert, præcipue qui rem Britannicam & videntur spectare, & possunt illustrare. Notatu dignus est *Severi Imperatoris argenteus* cum figura inter duo signa militaria stante, in quo *Britannicus* anno Tribunitiæ potestatis secundo appellatur, etiamsi titulus non ante annum decimum octavum, reliquis numis, lapidibus ipsaque historia testibus, ei obtigerit. Nec minus memorabilis est Carausii numus, in quo Imperatoris caput radiatum & in aversa parte *Providentiæ* typus conspicitur. Apparet etiam ex inscriptione, Imperatorem non solum in partem orbis regendi a Diocletiano & Maximiano vocatum, sed etiam ob prosperos belli eventus *Invicti* nomen sibi arrogasse. Postea in hisce Antiquitatibus recensentur urnæ, pateræ, ollæ, testæ, latera, acus sartoriæ, annuli tam clavibus instructi quam sigillis insculpti, ephippiorum ornamenta ænea, armorum fragmenta, armillæ aureæ sapphiris distinctæ, baltei, fibulæ & id genus supellectilis Romanæ reliquiæ. Multa inprimis de strigili ejusque usu tum primario in balneis tum secundario in re medica disserit, ac *ligulam* strigili multo minorem, non καμπύλην sive incurvam, sed rectam, cujus figuram communicamus, affert. Triplex genus ligularum aut mensuris aut rei rusticæ aut mensis inservientium fuisse notat, ligulamque Regulbinam pro *mensæ vasculo* instar cochlearis agnoscit. Ad rem vestiariam deinceps progressurus *bullarum* mentionem facit, duplicemque bullæ usum olim apud Romanos fuisse ex Macrobio confirmat, *primam*, quod ingenuis pueris attributum sit, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quales inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent: *secundum*, quod gestamen esset triumphantium, quam in triumphis præ se gerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Exhibemus talem utrique usui convenientem, quæ non solum in cordis figuram structa, sed & eadem insculpta est; & in pyxidum morem cava, excipiendisque amuletis apta, ut alia antiquitatis monumenta, quæ Cl. Autor sollicite conservare voluit, silentio prætereamus.

TAB. II. Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

Fig. 9.

DE RELIQUIIS ADAMI, PROTOPLASTI, Epiſtola M. PAULI CHRIST. HILSCHERI; accedit ejusdem de Bibliotheca Adami Schediaſma.

Dreſdæ, apud Joh. Chriſt. Zimmermann, 1711, 4.
Plag. 5.

CUm D. Georgius Henr. Gœtzius, Lubecenſ. Superintendens, in edita A. 1710 Diſſertatione, de *Patriarcharum reliquiis*, Adami etiam mentionem feciſſet, anſam Cl. Autori dedit hanc ad ipſum conſcribendi Epiſtolam. Dicendi initium ab iis capit reliquiis, quæ poſitæ ſunt extra controverſiam, interque eas refert *coſtam Adami*, ex qua Eva fuit extructa, & relicta tandem poſt mariti obitum vidua; *poſteritatem* ejus, numerumque veriſimilem invenit, quot liberos ex ſe natos vidiſſe poterat, & vivos poſt ſe relinquere moriturus; *peccatum originis*, ad omnes in univerſum homines derivatum, *plurimarumque rerum ſcientiam*, ac denique *totum terrarum orbem*, tanquam poſſeſſionem, hæreditatemque longe ampliſſimam. Deinde ad illa καταλείμματα procedit, quæ ſuſpecta non ſolum, ſed manifeſto etiam conficta ſunt. Sunt vero illa: *Animæ ſingulorum hominum*, quæ a Judæis in Adamo tanquam vagina fuiſſe feruntur reconditæ primitus, & poſtmodum ſuo cuique corpori diſtributæ, ipſiusque *Adami* demortui *anima*, quæ in Davidis corpus, & Meſſiæ, itemque Pauli Apoſtoli, ac denique Poſtelli migraſſe dicitur; *lutum*, ex quo Adamus fuit conditus, cujus reſiduæ partes juxta Muhamedanos quosdam ad formandas locuſtas adhibitæ ſunt, juxta Judæos autem arcam præbuerunt altari Patriarcharum; *Adami corpus*, ad Sethum Noachumque translatum, & a Semo tandem & Mathuſalemo eo in loco, ubi meditullium terræ, ſepultum; *materia*, ex qua *Maria*, aliaque *particula ſubſtantiæ Adameæ*, ex qua humana Chriſti natura aliquando naſceretur, in ipſo Adamo a labe immunis conſervata, & ad poſteros admiranda propagine traducta; *tegumenta corporis*, quæ ſibi & uxori ipſe contexuerat e foliis, quæque tandem herbis fragrantiſſimis originem dederint; *tunica a Deo confecta*, hereditarioque jure ad Jacobum usque translata, hodieque

Digitized by Google

hodieque aſſervata Romæ; *baculus*, qui per Patriarcharum manus ad Moſem pervenit, ac tandem ſtipitem fabricandæ Salvatoris cruci ſuppeditavit; *arboretum* in eoque palmæ imprimis, aureæque arbores; *poma Adami*, *numus*, *annulus magicus*, *ſpelunca*, *lectus*, *fons*, *lacryma*, *vinum*, *altare*, quo & ceteri Patriarchæ uſi, cujusque lapidem unum ſibi Jacobus ſubſtraverit dormiturus in exilio, Scotia tandem acceperit, nunc vero Londinum felici omine repoſitum habeat; *feretrum*, *ciſta libraria*, *calcaneum*, *columna*, *pons*. Atque has reliquias, etſi nullam ex mereantur fidem, habere tamen Cl. Autor ait, quo ſe commendare maximopere poſſint, antiquiſſimæ ſcilicet vetuſtatis nomen, & honorificam relationem ad hominem omnium primum præſtantisſimumq; ac univerſi generis humani admirabilem celeberrimumque conditorem: ipſam quoque materiæ hujus tractationem non omnino inutilem eſſe, quia non ſolum ad ſententias aliquot Rabbinorum rectius intelligendas, ſed loca etiam Scripturæ ſacræ non pauca illuſtranda faciant. Denique hortatur maxime Reverendum Gœtzium, ut *Moſis* quoque, *Aaronis*, *Prophetarum*, *& Regum V. T. reliquias*, quod promiſerat olim, publicam lucem adſpicere jubeat.

His accedit ejusdem *de bibliotheca Adami protoplaſti Schediasma*, librorum ipſius catalogum, cenſuram, & fata exhibens. Libros Adamo Arabes XXI alii X aſſignant, eosque oppido incertos. Memorantur ex iis, quorum apud Scriptores extat memoria: *Adami tabula a b c daria*, cujus quatuor exempla afferuntur, nimirum Angeli Rocchæ, Laurentii Schraderi, Julii Bartoloccii, & Jacobi Bonaventuræ, porro *Liber ignis*, *Adami apocalypſis*, *liber de Chryſopœja*, *de divinitate*, *de agricultura*, *Sedra ladam*, ſeu ordo Adam, *Sepher le Zira*, liber *de omnibus rerum virtutibus*, *Sepher toledoth Adam*, ſeu *Sepher Channoch*, itemque *de genealogia filiorum & filiarum Adami* vel *Geneſeos*, *Sabaf Adam*, & *Sabaf Hieabie*, *Chava*, *Adami* & *Evæ Pſalmi*, Adami *tabula Eccleſiaſtica*, *lamina ſaxea artium conſervatrices*, liber *de pœnitentia Adami*, *tres libri incerti*, *Adami teſtamentum*, *prophetia Evæ*, *ejusdemque Evangelium*. De his opuſculis Theologicis, Phyſicis, Genealogicis, Apocalypticis, Hiſtoricis, Magicis, Chymicis,

Digitized by Google

œconomicis, grammaticis, ita judicatur, quod, etsi quorundam Deus ipse, quorundam angelus Raziel Raphaelque, quorundam Adamus autor esse perhibeatur, aliquot tamen eorum animi tantum gratia & exercendi ingenii causa conficta sint, alia inconsiderantiam, alia ignorantiam, alia pruriginem defendendi novas opiniones, alia superstitionem, alia confusionem obstetricem habuerint. Fata denique quod attinet bibliothecæ hujus, deperditam fuisse eam olim, sed restitutam per Razielem, ad Abrahamum, & postremo Salomonem pervenisse ajunt.

CHRISTOPHORI CELLARII DISSERTATIONES Academicæ, in summam redactæ studio JO. GEORGII WALCHII, qui & Dissertationem de Autoris vita & scriptis adjecit.

Lipsiæ, apud Jo. Ludovicum Gleditschium, 1712, 8.
Alph. 2 pl. 13.

MAgna omnino Cellarii merita sunt, quæ in antiquioris literaturæ incrementum contulit. Inter scripta, quibus eximia doctrina, quæ illis inest, magnum locum fecit, Dissertationes quoque, quæ Halæ Saxonum XIII annorum spatio propositæ sunt, laudem merentur. Quæ cum seorsim distractæ fuerint, doctissimus Editor ad hoc literarum negotium excitatus est, ut illas in uno fasciculo conjunctas in publicam lucem emitteret. Eoque nomine præter Dedicationem ad Cl. Bœrnerum, Gœtzium ac Menckenium, Dissertationem ipsi operi præmisit, qua de vita, meritis ac scriptis Cellarii, de quibus nos quoque suo loco diximus, verbosius edisserit & ejus ingenii monumentorum fata, quæ illis contigere, uberius recitat. Ipsas Dissertationes duæ partes complectuntur, quarum prioris sunt: de imperio Palmyreno; Cn. Pompeji expeditione Judaica; principio regnorum & historiarum; Silio Italico; origine linguæ Italicæ; gente Samaritana; itinerario Pauli; Joanne Baptista; captivitate Babylonica; utilitate propædevmatum; historia Herodum; originibus & antiquitatibus Medicis; LXX Interpretibus; primo Principe christiano, & de studiis Romanorum literariis. Posterioris

rioris autem partis sunt: de carcere Joannis Baptistæ; vigiliis & lucubrationibus veterum; septem ecclesiis Asiæ; Cimbris & Teutonis; fatis Latinæ linguæ; Julii Cæsaris bello contra Ariovistum; Cl. Drusi expeditionibus; initiis cultioris Germaniæ; Neronis crudelitate; Magis ex Oriente; Germanico Cæsare; Poetis scholæ utilioribus; solutæ orationis scriptoribus scholis commendandis, & de Pauli Romana civitate. Hisce appendix subjuncta est duarum, de excidio Sodomæ & Pathmo Lutheri, quæ opera eorum, qui responderunt, conscriptæ, sub præsidio tantum Cellarii discussæ fuerunt, quibusve ideo ultimum locum assignare libuit.

HERMANNI VON DER HARDT, PROF. Publ. & Præpos. Mariæb. de Juramento per dextræ carpum Commentatio.

Helmstadii, apud Hammium, 1711, 4.

Plag. 7.

IN sacris paginis invenimus duo loca Genes. XXIV, 2, XLVII, 29, quæ memorabilis jurandi apud Ebræos consuetudinis mentionem faciunt, ac tale juramentum in rebus Abrahami & Jacobi, qui illud tum a domus curatore tum a Josepho exegerunt, præstitum esse declarant. Quodsi modum respicias, Veteres manum femori alterius subjicere consuevisse, communis hactenus Interpretum fuit sententia: ast longe aliter sentit Cl. Autor, cui ritus hoc modo expositus ab honestate, aptitudine & ratione valde remotus esse videtur. Hinc novam prorsus opinionem Eruditis proponit, eidemque, posteaquam vulgarem sententiam & nonnullis difficultatibus premi & Judæis suarum rerum imperitis deberi ostendisset, robur addere annititur. Non enim per femur, sed potius per dextram dextræve carpum olim juravisse arbitratur, & ante omnia illud ex nativa vocis ירך significatione, qua carpum, nobilem dextræ partem, notat, probare satagit. Probat etiam ex usu totius Orbis, veteris & recentis, morem jurandi per dextram, atq; ex luculentis Homeri & Eustathii testimoniis ostendit, veteres jurasse per dextræ carpum. Denique ex Arabica versione

ſione in illum ſenſum conſpirante nonnulla promit, ac exemplum ipſius Dei, qui per dextram ſuam robuſtumque brachium juraſſe memoratur, ſubjungit.

LIBRI NOVI.

DE M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V Diſſertatio Hiſtorico-Chronologica. Autore P. D. Virginio Valſechi a Brixia, Monacho Bened. Congr. Caſinenſis. Florentiæ, typis Regiæ Celſitudinis, 1711, 4.

Diſſertatio Hiſtorico-Canonica de Epiſcopo Viſitatore, ſeu de antiquo regimine Eccleſiæ vacantis, ad intelligentiam verborum in Regiſtro Epiſtolarum B. Gregorii Magni Viſitator accedas. *Autore Franciſco Nicolai, Epiſcopo Caput-Aquenſi. Romæ, excudebat Franc. Gonzaga,* 1710, 4.

Jo. Mariæ Lanciſii, Intimi Cubicularii & Archiatri Pontificii, Diſſertatio de nativis, deque adventitiis Romani cœli qualitatibus, cui accedit Hiſtoria Epidemiæ Rheumaticæ, quæ per hyemem Anni MDCCIX vagata eſt. Romæ, apud Franciſcum Gonzagam, 1711, 4.

Memorie Iſtoriche dell' Antico Tuſcolo oggi Fraſcati, raccolte da D. Domenico Barnaba Mattei. In Roma, nella Stamperia di G. Fr. Buagni, 1711, 4.

Theologiæ Moralis Summa, in qua per traditas diſtinctiones brevia ac facilia firmantur theoremata ad quoslibet Conſcientiæ caſus reſolvendos accommodata. Autore Clemente Piſelli ab Olibano, Clericorum Regul. Minorum, in Romano Sapientiæ Archigymnaſio Ethicæ Profeſſore. Partes III. Romæ, typis Bernabò, 1710, 8.

La Vita civile e l'educazione del Principe, di Paolo Mattia Doria. Parte I, II & III. Francfort, 12.

Guidonis Grandi, Cremonenſis, Monachi Camaldulenſis, S. Theol. Doct. in Piſana Univerſitate Publ. Phil. Profeſ. ac M. Ducis Etruriæ Theologi & Mathematici, e Regia Soc. de Infinitis infinite parvorum ordinibus Disquiſitio Geometrica. Piſis, e typogr. Franc. Bindi, 1710, 4.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno M DCC XII.

HERMANNI HAMMELMANNI OPERA Genealogico-Historica de Westphalia & Saxonia inferiori.

Lemgoviæ, sumptibus Henrici Wilhelmi Meyeri, 1711, 4.
Alph. 8 pl. 16.

RArissima fuerunt opuscula Hermanni Hammelmanni, Superintendentis quondam Ecclesiarum in Comitatu Oldenburgico, Viri in historia Germanica medii ævi versatissimi æque ac fide dignissimi, qui A. 1595 septuagenarius obiit. In hoc volumine, cujus editionem Nobilissimus Vir, Ernestus Casimirus Wasserbachius, curavit, qui tamen, antequam opus prodiret, mortuus est, potiora opuscula ab Autore edita comparent. Accesserunt etiam inedita quædam e Manuscripto Autoris, quod Editor ex Bibliotheca Guelferbytana, curante Illustri Leibnitio, obtinuit. Primum opusculum agit de populis olim in Westphalia habitantibus, cui sub finem adduntur quædam de populis hodie illam terram incolentibus. Alterum continet tractationem de Ducatibus, Principatibus, Comitatibus & Dominiis Westphaliæ veteribus & hodiernis. Existimat vero p. 48. Autor cum Cranzio, plerosque Comites in Westphalia initio fuisse Gallos natione, a Carolo M. adductos & rebelli populo præfectos: id quod nomina Gallica *Pirmont*, *Halremont*, *Tretmont*, aliaque complura indicare ipsi videntur. Sequitur delineatio urbium & oppidorum Westphaliæ, cujus in præfatione Autor multa differit de Irmensula, celebri veterum Saxonum idolo. Delineationem hanc excipit Oratio de Westphaliæ Viris scientia claris, ut & Relatio plenior de eodem argumento posthac edita.

edita. Inter viros hos claros eminent Alexander Hegius, Erasmi in Schola Daventriensi Præceptor, qui quanquam gloriæ contemtu quodam pauca admodum nec quidquam eximium scripsit, a discipulo tamen ob eruditionem, sanctitatem & facundiam passim laudatur, Theodorus de Nyem, Episcopus Verdensis, postea Cameracensis, Conradus de Vechta, Archiepiscopus Pragensis, quorum uterque de abusibus Ecclesiæ Romanæ testimonia publica edidit, aliique non pauci. Inprimis vero Rudolphum Langium & Hermannum Buschium, equites Westphalos, peculiaribus Orationibus, huic collectioni insertis, Autor noster laudavit, vitamque eorum descripsit. Prior dicitur primus

p. 109. fuisse Poeta Germanus, & refelluntur illi, qui Conrado Cel-

295. ti hanc gloriam tribuunt. Posterior cum in aliis Academiis, tum etiam Lipsiæ per aliquot annos Philosophiam & humaniores literas publice magna laude docuit. De hoc Christianus Bojarius, Friderici Sapientis Electoris Cancellarius, in tetrasticho quodam testatur, quod ipso duce in Academia nostra barbariei pestis primum exstingui cœperit. Sed quia nimio applausu audiebatur, non desierunt fautores barbariei Georgium Ducem instiga-

298. re, donec eum urbe ejiceret. Idem Buschius, si Nostro credimus, Epistolas obscurorum virorum in invidiam Ortuini Gratii, itidem natione Westphali, quod hic, opimam præbendam aucupans, causam Jacobi Hochstrati, Theologi barbari, contra Johannem Capnionem defendendam suscepisset, una cum Hermanno Comite de Neuenar, Ulrico Hutteno aliisque contexuit. Subjuncta est Oratio historica, qua probatur, hominibus Westphalis potissimum restaurationem linguæ Latinæ in Germania deberi. Succedunt Genealogiæ Ducum, Comitum, Baronum & Dominorum, quorum familiæ eo tempore, quo hæc scripta sunt, in Saxonia inferiore & Westphalia floruerunt: in quo opere Autor magna diligentia versatus est, sed dolendum, quod annos, quibus quisque decessit, non addere potuerit. Post Genealogias sequuntur Chronica, Monasteriense, Osnabrugense & Mindense, ex Alberti Cranzii operibus potissimum collecta. Quæ vero Cranzius de rebus Osnabrugensibus omiserat, supplentur e Chronico Ertwini Erlmanni, Consulis quondam Osnabrugensis,

brugensis, qui sub initium seculi decimi sexti obiit, ab Autore nostro ex Codice MS. in epitomen redacto. Præ ceteris tractatibus utilissimi sunt, qui sequuntur, Libri tres de Familiis emortuis, quæ olim in inferiore Saxonia & Westphalia floruerunt, ubi plerumque piis meditationibus subjunctis sedulo imprimis annotat, quam parum commodi plerumque Viri principes eorumque familiæ habuerint ex bonis & ditionibus injuria aliorum aut certe avaritia partis, imo quod ipsi potentia & divitiis suis miseriores facti fuerint quam ceteri mortalium, non solum ob graves rationes supremo judici post mortem reddendas, sed etiam ob molestias, quas in hac vita perpetiendas habuerunt. Fuse quoque admodum Autor persecutus est historiam Lutheranismi per Saxoniam inferiorem & Westphaliam: qui liber fere dimidium totius voluminis absolvit. Optandum vero esset, ut Cl. Editor, uti in prioribus tractatibus cœptum, ita in sequentibus quoque summaria præmisisset, quod fortassis morte præventus facere non potuit. Fuisset id in historia hac ecclesiastica eo magis necessarium, quo minus plerorumque lectorum interest de rixis pastorum in urbibus & pagis, de quibus multa passim inspersit, cognoscere. Ipse quidem Autor institutum suum in Præfatione eo excusat, quod & in S. literis multarum personarum & rerum mentio fiat, quarum memoria carere posteritas potuisse videatur. Qua in re tamen historias suas minus apte cum historiis sacris comparat, quippe sub quibus, quamvis initio parum memoratu dignæ videantur, Spiritus Dei, qui Autores agitavit, sæpissime res maximi momenti recondere voluit, uti inter alia exempla ex historia Hagaris, collata interpretatione Pauli in epistola ad Galatas, apparet. In fine subjunctæ sunt Epistolæ quatuor Justi Lipsii, in quibus de Westphalia parum honorifice judicavit, una cum apologiis Hammelmanni & Johannis Domanni pro Westphalia. Nec illud denique silentio prætereundum, additum esse indicem rerum ac nominum satis locupletem. Ceterum Typographus, si, quod in Præfatione promittit, reliqua etiam Hammelmanni opuscula prelo subjiciat, faciet rem historiæ patriæ cupidis gratissimam.

A REPLY TO D. ALLIX'S REMARKS. &c.
i. e.
AD PETRI ALLIXII OBSERVATIONES in quædam loca Librorum GUIL. WHISTONI partim impressorum partim manuscriptorum Responsio, cum Appendice triplici; Autore GUILIELMO WHISTONO, M. A.

Londini, impensis Autoris, 1711, 8.
Plag. $2\frac{1}{2}$.

PLura de Appendice libelli hujus dicenda erunt, quam de ipso libello, quem Vir doctus Petri Allixii stricturis, ad quædam loca librorum Whistoni, ut videtur, deproperatis, opposuit. In Whistoni Præfatione Historica, Suppl. T. V Sect. V recensita, p. 8 inter eos nominabatur Cl. Allixius, qui faterentur, invocationis Spiritus S. tribus primis seculis nullum apparere vestigium. Ab ea imputatione famam suam vindicare cum laborasset Allixius, dicendo, de publicis precibus, non de privatis sermonem
p. 3. tum fuisse, hic a Whistono compellatur, ut, si quod habeat ex ista ætate exemplum precum privatarum ad Spiritum S. directarum, id producat. Vindicatur porro a Whistono supposita antea in Commentario in Apocalypsin ab ipso versus primi Cap. I Ezechielis transpositio, quem quidem Capiti II prorsus adversari, at vero ad vaticinium contra Ægyptum, quæ habetur Ezechielis XXX Capite, spectare contenderat. Hac autem hypothesi Allixius existimaverat ridiculam fieri prophetiam istam, quippe quæ anno ante Christum 599, ex Whistoni sententia, fuerit prolata, cum Ægypti per Nabuchodonosorem occupatio per eam prædicta 4 annis ante, nempe anno 595 ante Christum facta sit.
5. Ostendit igitur Whistonus ex Usserio, factam eam esse A. 599 paulo post prophetiam Ezech. XXX proditam, quæ disertis verbis proxime instare illius rei impletionem, v. 2 & 3 præ se ferat. Porro ea, quæ Allixius contra Constitutiones Apostolicas urgeri voluerat, brevissime perstringuntur, imputatio, quasi Whistonus *Arii personam* defendat, abstergitur, & alia minoris momenti vel a Whistono defenduntur, vel Allixio objiciuntur.

Denique

Denique velitatio illa concluditur gravi Whiſtoni querela de iniqua adverſariorum contra ſe agendi ratione, cum qua adhuc conflictetur. Sed Appendix magis eſt commemoranda, qua primo continetur Præfatio τῆς διδασκαλίας τῶν Ἀποστόλων ex Arabico MS. Bodlejano integra inſerta Anglice, quam Latinam hic exhibere viſum eſt, ut libri, quem inter Canonicos reponere ſtudet Whiſtonus, indoles noſcatur. Titulo præfixo: Didaſcalia, ſequitur: „ In nomine Patris omnipotentis, & Filii ejus uni- „ geniti, & Spiritus S. Paracleti. Nos duodecim Apoſtoli uni- „ geniti Filii Dei Patris omnipotentis, Domini & Servatoris no- „ ſtri Jeſu Chriſti (cui ſit gloria) congregati ſumus Hieroſoly- „ *mis in urbe* magni Regis, & ſimul nobiſcum præſens eſt frater „ noſter Paulus, vas electum, Apoſtolus gentium, & Jacobus „ Apoſtolus dilectæ civitatis Hieroſolymorum. Confirmavi- „ mus nos hanc *Catholicam Didascaliam* in hac urbe. Denomi- „ navimus porro gradus juxta dignitatem ſuam ad exemplum „ cœlicarum poteſtatum, ita nos diſpoſuimus ordines eccleſia- „ ſticos. Sciat unusquisque obligatum ſe eſſe, ut in celebratio- „ ne Euchariſtiæ ſtet conſtitutione facta per Epiſcopum, tan- „ quam Paſtorem, per Presbyteros, tanquam Doctores, per Dia- „ conos, tanquam Miniſtros, per Subdiaconos tanquam aſſi- „ ſtentes, per Lectores, & eos, qui cantant cum intelligentia, & „ per inferiores ordines, nec non per populum & reliquam con- „ gregationem audientem verbum Evangelii cum intemerata „ vitæ praxi. Itaque impoſito fine *Canonibus ordinationum*, iis- „ que in *his Eccleſiis* repoſitis, hic eſt alius *Liber Didascaliæ*, „ quam etiam nos ſcripſimus, & utramque miſimus per manus „ Clementis ſocii noſtri, ut hæc Didascalia declaretur in uni- „ verſo orbe, ut vos, qui eſtis Nazareni, h. e. Chriſtiani ſub Sole, „ intelligatis præcepta, ſciatisque quid ſit maxime purum. Et „ quicunque audiet ſervabitque præcepta, quæ ſunt in hoc libro, „ is habebit vitam æternam. Hæc itaque ſunt a Domino noſtro „ Jeſu Chriſto, hæc ſunt, quæ ille nobis commiſit ex magno my- „ ſterio, quod in illis continetur. Enimvero, qui fuerit inobe- „ diens neque obſervaverit hæc præcepta, hunc tanquam ho- „ ſtem ejicimus, & infernus habitatio ejus æterna erit, quemad- „ modum

Digitized by Google

„ modum ſcriptum eſt: Qui mala egerint, ibunt ad æternas pœ-
„ nas, & qui bona egerint ad vitam æternam in regno cœlorum. Amen. „ Hæc Viro doctiſſimo fucum facere potuiſſe incredibile videri poterat, niſi ipſe addita nota plenam ſe his fidem adhibere teſtatus eſſet, atque iſtam Synodum Apoſtolicam A. D. 67 fuiſſe celebratam, *Catholicam Didascaliam* primo memoratam ſex priores libros τῶν διαταγῶν innuere, ex quibus hæc ſit excerpta, *Canones ordinationum* VII & VIII Conſtitutionum libros deſignare, *has Eccleſias* novendecim illas eſſe, quibus Apoſtoli ipſi Epiſcopos præfecerint & διαταγὰς commiſerint, nominatas L. VII Conſt. Apoſt. extremo, aſſeruiſſet. Quibus ſubjunxit, ſacrum hunc διδασκαλίας minoris librum inter Acanonicos N. T. (h. e. eos, inquit, qui poſt LXXXV Canonem Apoſtolicum fuerant conſcripti) referri ab Euſebio, Athanaſio, Autore Synopſeos Scripturæ S. & antiquis ſtichometriis, Origenem quoque Homil. X in Levit. id allegare: Invenimus in quodam Libello ab Apoſtolis dictum &c. quod dictum in hoc libro reperiatur, denique illum ab Eccleſiis Æthiopicis & Copticis pro ſacro ſemper habitum fuiſſe. Altera Pars Appendicis exhibet propoſitiones Cl. Whiſtoni, quibus complexus eſt primitivam fidem Chriſtianorum & ſuam de Trinitate & incarnatione, quas forte non ingratum erit fere ſine ulla omiſſione hic legere: „ I Non datur niſi *unus Deus ſupremus*, vivens, æter-
„ nus, infinitus, omniſcius, omnipotens, inviſibilis, *Pater* Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti, *Origo* omnium *entium*, Creator omni-
„ um creaturarum. II Deus Pater & ille ſolus primario eſt co-
„ lendus & adorandus, h. e. ſenſu maxime proprio & modo ma-
„ xime ſublimi, ſolus qui ſit objectum ſupremi gradus divini
„ cultus per Jeſum Chriſtum. III Jeſus Chriſtus ſingulari quo-
„ dam modo eſt *Filius Dei unicus*, *unigenitus*, *dilectiſſimus*, h. e.
„ Perſona divina extraordinaria & peculiari ratione derivata a
„ ſupremo Deo Patre, eique proxima & chariſſima. IV Jeſus
„ Chriſtus eſt vere *Deus* & *Dominus*, ſive reapſe ex conſtitutio-
„ ne Patris, *Deus noſter* & *Dominus noſter*, *Rex* & *Judex noſter*.
„ V Jeſus Chriſtus eſt *Sanctus Dei*, perſona ſupereminentibus &
„ *divinis perfectionibus*, *ſcientia*, *potentia*, & *autoritate* prædita,
& in

& in tantum *superior* omnibus subordinatis creaturis, thronis, dominationibus, &c. quæ ipsi subjecta sunt. VI Jesus „ Christus est λόγος θεῦ προαιώνιος, primogenitus omnium „ creaturarum, principium creationis Dei, Persona divina, „ *creata* vel *genita* a Patre ante omnia secula, sive ante omnes „ subordinatas creaturas visibiles & invisibiles. VII Deus Pater „ per Verbum & Filium suum, tanquam per ministrum & instrumentum activum, primo *creavit*, fecit, ordinavit & disposuit, & adhuc *gubernat* omnes subordinatas creaturas, visibiles & invisibiles. VIII Jesus Christus, Verbum & Filius Dei, „ est divina Persona, multum *inferior* Patre suo, natura, attributis & perfectionibus. IX Hinc Jesus Christus, Verbum & Filius Dei, frequenter *missus* fuit in mundum a supremo Deo Patre primis ætatibus, & iterum magis evidenter per incarnationem suam, tanquam servus, legatus & minister. X Fuit & „ semper *penitus subordinatus & obediens* Patri, ejusque beneplacito in omnibus rebus *ministravit*. XI Inde frequenter solebat *adorare* & *laudare* & *fiducia sua proponere* Deum supremum, tanquam *Dominum, Deum & Patrem suum*, & adhuc *intercedit* apud eum in cœlis pro Ecclesia & populo suo in terra. „ XII Porro fatebatur, omnem *scientiam*, *potentiam*, *autoritatem*, *revelationes*, *doctrinam & miracula* se referre accepta „ Patri, omniaque ita agebat, ut ultimo tenderent ad *gloriam* „ Patris. XIII Jesus Christus, Verbum & Filius Dei, secundum „ divinam suam naturam, antiquissimis temporibus proprie *de* „ *cœlo descendere* solebat, & diversis temporibus locisque Patriarchis apparebat, *referens Personam* Dei supremi, ejusque nomine, tanquam legatus & vicarius ejus in mundo rem omnem „ peragens. XIV Jesus Christus iterum proprie secundum divinam naturam descendit de cœlo, & *Homo factus est*, conceptus virtute Spiritus S. in Maria Virgine & ab ea natus, crescensque deinde sapientia & ἡλικίᾳ instar aliorum hominum. „ *Lemma*: Antiqua divisio Hominis Seculo I & II erat in tres „ partes, *spiritum* sive rationalem & divinam partem, animam, „ seu sensitivam partem, & corpus, πνεῦμα seu νοῦν, ψυχὴν, „ σῶμα sive σάρκα. Etsi antiqui autores frequenter tres partes „

sub

„ ſub generali in corpus & animam diviſione comprehendant.
„ XV Jeſus Chriſtus itaque, Verbum & Filius Dei, h. e divina ejus
„ natura, aſſumſit humanum *corpus* vel *carnem*, cum ejus pro-
„ prietatibus & affectionibus, ſive ſtylo veterum, σῶμα vel σάρ-
„ κα cum ejus ψυχῇ, factusque ita eſt *anima divina* in corpore
„ humano, *Deus incarnatus*, phraſi Scripturæ, λόγος γενόμε-
„ νος σάρξ. XVI Jeſus Chriſtus, cum eſſet incarnatus, obno-
„ xius fuit *tentationibus* juxta *divinam naturam ſuam*, & in ea
„ *paſſus eſt* pro nobis, quomodo anima rationalis tentatur & pa-
„ titur in aliis hominibus, participando ex tentationibus paſſio-
„ nibusque corporis. XVII Jeſus Chriſtus, Verbum & Filius
„ Dei, in conſummatione rerum omnium, reſignabit Regnum
„ illud, in quo Deus ſupremus eum a reſurrectione conſtituit,
„ in manus Patris ſui, & inde, cum omnibus reliquis entibus ſub-
„ ordinatis, Patri penitus in æternum ſubjectus erit. XVIII Su-
„ pereminens ac *divinus honor & cultus* Filio Dei debitus, red-
„ dendus ei eſt non tantum *obediendo* ipſi, tanquam Domino
„ noſtro, *baptizando* in nomine ejus, *vovendo* gratiam & pacem
„ *ab ipſo*, & per *Doxologias*, ſed & propria *adoratione*, diſtincta
„ & directa *invocatione* & *gratiarum actione*. XIX *Spiritus S.*
„ *Dei eſt Perſona divina, facta* ſub ſupremo Deo per Servatorem
„ noſtrum, vel (debito ſenſu) *procedens a Patre Filioque*, per-
„ fectionibus officiisque a Filio Dei prorſus diverſa, natura &
„ attributis omnibus *creaturis ſubordinatis* ſuperior, at Patre Fi-
„ lioque inferior, iisque ſubordinata in creatione & guberna-
„ tione rerum, *inſpirator* Prophetarum Apoſtolorumque, effe-
„ ctor miraculorum, Paracletus Eccleſiæ, magnus ſanctificatio-
„ nis in omnibus piis autor, & præcipuus Servatoris noſtri te-
„ ſtis. XX Spiritus S. nunquam vel in Scripturis vel maxime
„ primitiva antiquitate directe vocatur *Deus* vel *Dominus*, *Deus*
„ *noſter*, *Dominus noſter*, *Rex* vel *Judex noſter*, neque tum pro-
„ prie ab ullo Chriſtianorum unquam fuit *invocatus*. XXI
„ Dignitas Spiritus S. ſupereminens admittenda eſt & aſſerenda,
„ nec non conveniens divini cultus gradus ipſi reddendus, non
„ tantum *ſequendo* ſanctos illius motus, ſed & per formam *Bapti-*
„ *ſmi*, *Benedictionis*, nec non per *Doxologias*. XXII *Deus Pater*,

Verbum

Verbum ſive *Filius Dei* & *Spiritus S.* ſunt Entia & Perſonæ divi-„ næ, realiter & *numero* a ſe invicem diſtinctæ. XXXIII Neque,„ tamen ſunt Entia prorſus ſeparata vel independentia, ſed Filius,„ & Spiritus intime cum ſupremo Deo Patre, per *dependentiam*,„ naturalem, conſtantem *conſenſum*, junctamque in gubernatio-„ ne mundi *operationem* ſunt *uniti*.„ Hucusque propoſitiones Whiſtoni, quibus tertio loco in Appendice jungitur ejusdem ad Archi-Epiſcopum Cantuarienſem Epiſtola data 5 Aprilis 1711, qua primo quidem veniam orat quibusdam durius, ſeverius ac præcipitantius in Hiſtorica Præfatione a ſe dictis, coram Deo pariter & hominibus, illo quidem ſinceritatis ſuæ ſummo teſte advocato. Deinde imputationem a ſe amolitur, quaſi *Hæreſin Arii* & peculiarium aſſeclarum ejus quorundam reſuſcitare vellet, condemnatam in Synodo Nicæna. Nempe novas iſtas phraſes, ἦν ὅτε ἐκ ἦν, πρὶν γεννηθῆναι ἐκ ἦν, ἐξ ἐκ ὄντων ἦν, ab eo primo introductas & turbandæ Eccleſiæ adhibitas a ſe non recipi, κτιςὸν tamen Chriſtum a ſe dici, quod illa ſit non nova Arii, ſed omnis Antiquitatis Eccleſiaſticæ phraſis, denique per Arianiſmum ſuum nihil aliud a ſe unquam intelligi, niſi doctrinam ejus Eccleſiæ partis, quæ Seculo IV ex odio dicebatur Ariana, non ipſius *Arii* ſolius cum paucis aſſeclis doctrinam, cujus præcipites novasque aſſertiones ne iſta quidem ipſa pars Eccleſiæ Seculo IV admiſerit probaveritque. Tandem iterum Synodo ſub præſidio Archi-Epiſcopi tum congregatæ examen cauſæ ſuæ ſerio commendat. Nihil nos nunc addimus, niſi quod ex nuntiis noviſſimis conſtet nobis, Virum Clariſſ. ſecundam jam edidiſſe ad Petri Allixii Obſervationes Reſponſionem, iis haud dubie, quæ Allixius quoque in ſecunda ſuarum Obſervationum Editione addidit, oppoſitam, quæ tamen ad nos nondum quidem pervenit.

AN ESSAY UPON TWO ARABICK MANUSCRIPTS.

i. e.

TENTAMEN CIRCA DUO MANUSCRIPTA Arabica Bibliothecæ Bodlejanæ, & antiquum illum librum, qui dicitur: Doctrina Apoſtolorum, quique in illis credi-

creditur exstare: in quo V. Cl. GUIL. WHISTONI errores circa utrumque clarissime probantur; Autore JOHANNE ERNESTO GRABE, S. Theol. Prof.

Oxonii, e Theatro Sheldon, impensis Henr. Clements, 1711, 8. Plag. 4.

POstremum exhibemus pietatis & doctrinæ Clariss. Grabii monumentum, quem post editum hoc Opusculum luctuosa orbi erudito fata mense Novembri anni proxime elapsi tulere. Inscriptum hoc est nomini Præsulis doctissimi Guilielmi Lloyd Episcopi Wigorniensis, cujus non nullas prorsus in Whistoniana controversia partes fuisse, ex Suppl. T. V Sect. V constare potest. Sequitur Præfatio, qua Grabius partim, quæ sibi & ab aliis Viris summis & ab ipso Cl. Whistono in hanc arenam descendendi imposita fuerit necessitas, exponit, quod ab hoc ejusdem fere circa διαταγὰς Apostolorum mentis esse publice esset insimulatus; partim dilationem editionis τῶν ό, quæ adhuc non est perfecta, excusat, cum a defectu collationum MStorum cum signis Origenianis, quas exspectabat, tum ab aliis, quæ supervenerant in edendis Tomis prioribus, molestiis. Monet tamen, quod hic non debet a nobis præteriri, totum Codicem Alexandrinum a se non tantum prorsus esse descriptum, sed & inde iterum cum eo Codice apographum suum se contulisse, adhibita opera Ministri cujusdam Londinensis, cujus pariter testimonio scriptisque celeberrimi Potteri & Wanleji testimoniis id confirmat, ut proinde spes sit, vel defuncto istius Codicis vindice Grabio, fore in Anglia, qui in matrice veluti jam versanti ad lucem adspiciendam demum obstetricetur. Neque hoc omittendum, quod memoratur in Præfatione, in legendis interpretandisque duobus MSS. Arabicis, de quibus hic est controversia, omnes partes fuisse Cl. Joh. Gagnier, ante decennium fere a Gallicana ad Anglicanam Ecclesiam transgressi, cui debemus luculentam Josephi Ben Gorionis versionem, Suppl. T. IV Sect. I p. 12 laudatam. Ad rem ipsam progredimur. Memoravimus vero, in recensione Præfat. Historicæ, Guil. Whistonum gloriari de inventa in duobus MSS. Arabicis Bodlejanis anti-

qua

qua διδαχῆ τῶν Ἀποςόλων, ejusque Latinam versionem inter reliqua primitivi Christianismi Collectanea, tanquam sacrum & Canonicum librum, publicare ipsum spopondisse, monuimus itidem in Actis A. MDCCXI p. 558. Duo illa MSS. in Catalogo MStorum Angliæ inter Huntingtonianos Codices reperiri numero 84 & 104, utrumque vero libri titulum sic se habere: אלדשקליה, (scribamus enim Arabica literis Hebraicis) *Dascalia*, loco Didascaliæ, docet nos Grabius. Præfationem vero ipsam ex Whistono exhibuimus Suppl. T. V Sect. V. De hoc libro primum adversus Whistonum agere constituit Cl. Grabius, cum antea Constitutiones Apostolicas primum examinare instituisset, partim quod Whistonus in Respons. ad Allixium p. 8 disertis verbis jactaverat, sine hujus libelli refutatione nullo modo posse rejici τὰς διαταγὰς, partim ut insigni hoc ac pene incredibili temeritatis ac præcipitantiæ Cl. Whistoni specimine cum aliis tum ipsi Viro doctissimo monstraret, quam incaute hactenus in isthac controversia ab eo fuerit actum. Sane incredibile, ut diximus, prorsus videri poterat, Cl. Whistonum, antequam librum in Arabicis MSS. contentum pro Canonico venditaret, non tantum eum non curiose examinasse & probasse, sed ne legisse quidem semel totum, nisi hoc manifesto inde pateret, quod librum hunc a Constitutionibus diversum esse fidenter asseruerit, quem prorsus cum illis eundem esse patet; atque pluribus circumstantiis cum stupore a Grabio demonstratam hanc προπέτειαν Whistoni hic legeremus. Tria vero sunt, quæ in hoc Opusculo a Viro celeberrimo demonstrantur. *Primum* est, hanc Didascaliam Arabicam, præter Præfationem & sex septemve folia, non esse epitomen VI librorum Constitutionum Clementinarum, sed ipsissimos quinque libros priores cum parte sexti, gravissimeque proinde hallucinatum esse Cl. Whistonum, qui eam pro libro deperdito habuerit, vanaque spe illius cum ipsis Constitutionibus publicandi orbem Christianum lactaverit; quanquam Capita hinc inde fateatur transposita. Apparet hoc ad oculum ex tabula, qua Cl. Grabius prælectæ totius Didascaliæ Arabicæ Capita omnia ad loca sua ex Constitutionibus, quæ ad verbum sunt Arabice reddita, retulit, nec non cum titulis XXXVIII Capitum Ca-

Pag. 2.

4.

6. sqq.

nonum Æthiopicorum, a Vanſlebio in Hiſtoria Eccleſ. Alexandrinæ, & Ludolpho in Comment. ad Hiſtor. Æthiop. p. 334, 335 exhibitis, contulit. Patet hinc, quicquid ſex Libris Conſtitutionum usque ad finem fere Cap. VI Lib. VI habetur, iſthic Arabice exhiberi, deinde Lib. VI C. XXX, a verbis ἀπαρατηρήτως δὲ συναθροίζεσθε usque ad finem Libri. Didaſcaliæ vero Capita XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII & XXXIX, quæ tamen ultra V folia non conſtituunt, ac quorum tituli conveniunt cum Æthiopicorum Cap. 25, 27, 28, 29, 30, aſſuta ſunt, quæ in Conſtitutionibus non comparent. Tituli eorum ſunt ſequentes: 35 de Fabrica Templi & Loci ſancti, 36 de Ordinatione Epiſcopi, 38 de temporibus precum ab Epiſcopo & reliquo Clero obſervandis, 38 quod Epiſcopum poſt ordinationem per tres hebdomadas oporteat jejunare, nec quicquam edere per hebdomadem niſi Sabbatho, 39 Myſtagogia Jeſu Chriſti Dei noſtri, quam Chriſtianos poſt S. Cœnæ uſum recitare oportet, quippe quæ ſit fides, quam ille docuit Apoſtolos. Cæterum, quæ omiſſa ſunt ex Libro VI, ea non ſtudio fuiſſe præterita ab Epitomatore, docet Cl. Grabius ex eo, quod in medio diſcurſu de hæreticis, qui habetur Lib. VI Cap. VI in verbis: ταῦτα μὲν οὖν ἐν τῷ πρωτέρῳ λαῷ, prorſus ἀπροσδιονύσως abrumpatur filum, manifeſto documento, in Græco exemplari τῶν διαταγῶν, ex quo verſio hæc Arabica fuit facta, defuiſſe plagulas bene multas Libri VI ſuperſtite relicta ſola plagula ultima, in qua Caput XXX Lib. VI ſervatum ſit. Quibus ita demonſtratis, ut obviam iret rumoribus a Cl. Whiſtono ubique ſparſis, quaſi parum ipſius judicium de διαταγαῖς a Whiſtoniana ſententia abhorreret, tribus, quod ajunt, verbis, (uberiorem enim deductionem integro de iſtis Conſtitutionibus tractatui, quem meditabatur, & ad quem ſpectantia complura, ex MSctis Galliæ Italiæque deſumta, tum adhuc exſpectabat, reſervandam eſſe cenſuit) ſuam de illis
Pag. 25, 26. ſententiam declarare ipſi viſum eſt. Itaque publice profitetur, eandem animo ſuo adhuc hærere opinionem, nec unquam ad hunc usque diem mutatam fuiſſe, quam de Conſtitutionibus iſtis prodiderat in Spicileg. Patrum Sec. I p. 48 & 285 ſqq. cum Pearſono judicans, iſtam, qua modo utimur, καθολικὴν διδασκαλίαν,
in

in octo Libros digeſtam, ex variis διδασκαλίαις antiquioribus
apocryphis Apoſtolorum, Barnabæ, Clementis, Ignatii, &c. poſt
ævum Epiphanii conflatam, & has in illa utplurimum conſerva-
tas, ſed mirum quantum ubique fere interpolatas nonnunquam
& corruptas eſſe. Ad *ſecundum* demonſtrandorum Caput inde
progreditur Cl. Grabius, quo quidem probat: Arabicam hanc
Didaſcaliam non poſſe pro eadem haberi cum antiquo illo li-
bro: διδαχὴ τῶν Ἀποςόλων, a nonnullis Scriptoribus Eccleſia-
ſticis citato, ſed, quanquam iſta διδαχὴ fundamentum fuerit
Conſtitutionum Græcarum pariter, & harum quoque, tamen
tam multa iis fuiſſe addita, tamque inſignes factas mutationes, ut
pro eadem non poſſint jam amplius ambæ haberi. Id evincit ex
ipſis iſtis Scriptoribus, quos de διδαχῇ illa allegaverat doctiſſi-
mus Whiſtonus in Reſponſ. ad Allix. p. 27. Nempe ex *Athana-* Pag. 28.
ſii Epiſtola Heortaſtica docet, διδαχὴν iſtam fuiſſe cenſitam cum
Sapientia Salomonis, Siracidis, & Paſtore Hermæ, tanquam τε-
τυπωμένη παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσ-
ερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λό-
γον. Unde patet, διδαχῇ iſta haud dubie non niſi præcepta mo-
rum fuiſſe contenta, neutiquam vero quicquam ad myſteria
Chriſtianorum ſpectans, quæ catechumenis certe non reve-
labantur. Enimvero hæc Didaſcalia Arabica, quicquid ſex
Libris Conſtitutionum de Myſteriis Sacramentisque Chriſtia-
norum habetur, id omne continet, neque adeo is liber
eſſe poteſt, qui catechumenorum uſibus olim ſerviit. *Sticho-*
metrias porro antiquas allegaverat Cl. Whiſtonus, quarum ta- 29.
men non niſi unam, Nicephoro Conſtantinopolitano adſcribi
ſolitam, διδαχῆς mentionem facere, Catalogum autem alterum
ſcripturarum, qui eſt apud Cotelerium in præf. ad Conſtitut. Cle-
mentis, qui & ipſe διδαχὰς Ἀποςόλων memoret, Stichometriam
dici non poſſe, docet Grabius. Enimvero ex ipſa Nicephori Sti-
chometria luculenter conſtat, Arabicam hanc Didaſcaliam non 31.
eſſe διδαχὴν Ἀποςόλων. Nempe διδαχὴ iſta Nicephoro & ejus
interpreti Anaſtaſio memoratur fuiſſe 6 ςίχων, 200 commatum,
unde conſtet, libellum hunc Cantico Canticorum adhuc fuiſſe
minorem, cui idem Nicephorus tribuat 280 ςίχους. At Arabica

 Didaſca-

Digitized by Google

dascalia longe hæc omnia magnitudine excedit, 67 folia in folio, 82 in forma quarta majori complens. Nec quicquam profuerit Cl. Whistono lectio alia in Nicephori Stichometria, qua τῇ διδαχῇ tribuuntur ϛ´ ςίχοι, h. e. 6000, qui numerus vicissim
p. 32, 33. multum superaret magnitudinem Arabici libri. Præterea *Origenes* ab ipso Whistono citatus διδαχὴν hanc libellum dicit, quæ quidem appellatio tam magno libro vix convenit. At multo magis adhuc notandum est, dictum ab *Origene* his verbis citatum: *Invenimus enim in quodam libello ab Apostolis dictum: Beatus est qui etiam jejunat pro eo, ut alat pauperem. Hujus jejunium valde acceptum est apud Deum & revera digne satis*, ne reperiri quidem isthoc modo in Arabico libro, sed non nisi amplam ejus περίφρασιν, quam habes Constitut. Apostol. L. V C. 1, in
36. hoc quoque Cap XXVII occurrere. Quin notat etiam, immediate citationem Origenis præcedere hæc verba; *Sed est & alia adhuc religiosa*, (jejunandi ratio,) *cujus laus QUORUNDAM APOSTOLORUM literis prædicatur. Invenimus etiam* &c. Ex quibus Verbis constat, διδαχὴν ab Origene visam non nisi *quorundam Apostolorum* nomen præ se tulisse cum Arabicæ Præfatio
37, 38. omnes Apostolos autores hujus fœtus faciat. Superest citatio τῆς διδαχῆς, quæ est in libro de aleatoribus inter Opera *Cypriani*: *Et in doctrinis Apostolorum* (dicitur:) *Si quis frater delinquit in Ecclesia, & non paret legi, hic non colligatur, donec pœnitentiam agat, & non recipiatur, ne inquinetur & impediatur oratio vestra.* Ista vero verba neque in Clementinis διαταγαῖς neque in hoc Arabico habentur, sed prolixa eorum paraphrasis Constitut. L. II C. 16, 17, Arab. C. 4 & L. II C. 37, 38, 39, Arab. Cap. 8. Plures antiquæ τῆς διδαχῆς citationes cum non supersint, contulit Cl. Grabius ad minimum cum Arabico hoc codice duas Perico-
40-45. pas Syriacas ex codice Syro *Didascaliæ* sive *Doctrinæ Catholicæ Apostolorum* ab *Abrahamo Ecchellensi* in Originibus Ecclesiæ Alexandrinæ p. 156, 157 & 161 exhibitis, cujus tamen Codicis apographum integrum Roma Vir Cl. exspectabat. Convenit harum periocharum altera ex p. 156 cum Constitut. Apostol. L. II C. 25, Arab. Cap. VI, altera ex p. 161 cum Constit. L. II C. 11, Arab. Cap. III, ita tamen, ut Syriaca ubique in Græco & Arabico mire sint interpolata.

palata. Ex quibus interpolationibus duas notamus, unam ex
priori, qua Græcus pariter & Arabs nominant *Anagnoſtas*, *Cantores* & *Janitores*, quos Syrus prorſus non agnoſcit, alteram ex
poſteriore loco, ubi mira illa de Epiſcopo verba in Græco Arabicoque obvia τῷ πάντων ἄρχειν ἀνθρώπων, ἱερέων, βασιλέων,
ἀρχόντων, πατέρων, υἱῶν, διδασκάλων, καὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ὑπηκόων, Syrus neutiquam habet, quemadmodum & ſunt ab omni
antiquitate Apoſtolica longe abhorrentia. Denique cum Arabicus hic liber Conſtitutionem de Paſchate celebrando eandem prorſus exhibeat, quam Græcæ Conſtitutiones habent L. V
Cap. 17, hoc eſt, διατάξεσι τῶν Ἀποστόλων, ab Epiphanio Hæreſ.
LXX. §. 10 in hanc rem allegatis, e diametro contrariam, inde
diverſitatem hujus libri ab iſta διδαχῇ luculentiſſime Cl. Grabius deducit. Supereſt *tertium* Caput, quo oſtendit Vir Celeberrimus, Didaſcaliam hanc Arabicam non eſſe ſcriptum Apoſtolicum, neque ſacrum N. T. librum debere ullo modo appellari. p. 45-52.
Ante omnia ad ea provocatur, quæ hactenus demonſtrata ſunt, librum hunc non eſſe eundem cum διδαχῇ τῶν Ἀποστόλων. At ſi
vel maxime eundem eſſe ſupponi poſſet, neque eum tamen ſacrum habitum eſſe docetur ex antiquis, *Athanaſio*, qui eum inter
βιβλία οὐ κανονιζόμενα retulerit, & διδαχὴν tantum καλουμένην
τῶν Ἀποστόλων dixerit, *Euſebio*, qui L. III H. Eccl. C. 25 itidem 55 ſqq.
τῶν Ἀποστόλων τὰς λεγομένας διδαχὰς nominaverit, imo quod
majus, ex libris οὐκ ἐνδιαθήκοις ἀλλὰ καὶ ἀντιλεγομένοις, in duas claſſes a ſe diviſis, hunc librum manifeſte in claſſem τῶν νόθων
detruſerit, autore *Synopſeos Scripturæ* inter opera Athanaſii, hanc
διδαχὴν recenſente inter ἀντιλεγόμενα, παραγεγραμμένα, νόθα,
ἀπόβλητα, ἀπόκρυφα. His quod opponere poſſit Cl. Whiſtonus, non eſſe, niſi Præfationem, quam nos ſupra expoſuimus.
Hoc vero genus teſtimonii quam ſit lubricum atque infirmum,
luculenter a Grabio monſtratur. Quod ut magis pateat, ipſius
Præfationis κακοπλαστία detegitur: introduci hic patet in Synodo (quam fingit Præfationis autor, Whiſtonus vero ad A. D. 67
refert) omnes duodecim Apoſtolos, ex quorum numero 23 annis 60, 61.
ante hæc tempora *Jacobus Major*, frater Johannis, capite fuerat
plexus. At multo etiam abſurdius eſt, quod in Præfatione non
tantum

tantum 12 Apoſtolis jungatur tanquam diſtinctus *Jacobus Hiero-*
ſolymorum Epiſcopus , qui præſens fuerit, cum ille videatur fuiſſe
ex Apoſtolorum numero 1 Cor. XV, 7, Gal. I, 19, ſed *præſens*
p.62-63. *fuiſſe* dicatur, qui aliquot annis ante *obierat Martyrium*, ipſo man-
gone libri hujus Arabici & Conſtitutionum teſte, qui oblitus κα-
κοπλασίας ſuæ Martyrium Jacobi diſerte refert, Conſtitut. L. V.
C. 8 & hujus Didaſcaliæ Arabicæ Cap. 28, ſi modo idem ſit autor
64 ſqq. Præfationis. Agitur deinceps de nominibus *Subdiaconorum*,
Lectorum, *Cantorum*, *Acoluthorum*, & *Janitorum* in Præfatione
hac memoratis, quæ longe ſunt Apoſtolica ætate inferiora. Quod
vero per *Clementem* dicatur in Præfatione miſſus eſſe hic liber, id
quoque vix ſatis cum temporum ratione convenire oſtenditur,
68. cum Clementem jam *Romæ* iterum An. 68 vel 69 fuiſſe certum
ſit. Denique ipſam Præfationem non ab eodem autore, qui Con-
69. ſtitutiones, cujus Arabica Didaſcalia non eſt niſi verſio, ſuppoſu-
it, factam eſſe demonſtratur, cum autor Præfationis duos poſtre-
mos τῶν διαταγῶν libros ne quidem viderit. Id prolixe conten-
dit Cl. Grabius, docetq; *Canones ordinationum*, in Præfatione me-
moratos, non eſſe, ut vult Whiſtonus, VII & VIII Conſtitutio-
59. num ſed primos XXX Canonas, quorum contenta habet Vansle-
bius P. V Hiſtor. Eccleſ. Alex. C. 1, qui in fronte horum Arabico-
rum MScptorum comparent, ſpecioſo titulo ornati, deinde τὰς
διαταγὰς τὰς διὰ Κλήμεντος καὶ Κανόνας ἐκκλησιαστικοὺς τῶν
ἁγίων Ἀποστόλων, qui & ipſi in MSS. his Arabicis habentur, quo-
rum vero Græcum apographum ex Bibliotheca Vindobonenſi
poſſidebat Cl. Grabius, denique διδασκαλίαν τῶν Ἀποστόλων διὰ
Ἱππολύτου, quam Græce ex Codice 26 Barocciano dudum deſcri-
pſerat Grabius: omnia vero hæc ulterius in Tractatu de Conſtitut.
Apoſtolicis erat deducturus. De ipſa Didaſcalia, in quantum
cum διαταγαῖς Græcis convenit, ibidem erat dicturus, niſi quod
hic unico exemplo oſtendat, quomodo non nusquam interpres
Arabs ipſas διαταγὰς quoque perverterit, & νοθείας documentis
pluribus diſtinxerit. At de quinque Capitibus poſtremis Di-
daſcaliæ dicere plura heic voluerat Cl. Grabius, niſi interveniſſet,
quæ poſtea ipſi fatalis fuit, ægritudo. Quæ quidem effecit, ut
plura de his Capitibus non liceret ipſi addere, præter tria quatu-

orve

Digitized by Google

orve loca, ipſius Cl. Whiſtoni de Trinitate doctrinæ prorſus in hoc libro, ut vult, Canonico contraria. Sic Cap. XXXV אלתלות אלמקדש, *Sancta Trinitas* dicitur, ut hæc appellatio proinde, ſi Liber ſit Apoſtolicus, ipſa quoque ejusdem ſit ætatis. Sic Cap. XXXVI preces finiuntur hoc modo: *Per unicum filium tuum Jeſum Chriſtum, eique honor, laus & gloria debetur,* לך ולה ורוח אלקדש מן קבל אלדהר כלהא *tibi & illi, & Spiritui S. ante omnes αἰῶνας, & nunc & ſemper in æternum.* Cap. XXXIX de Filio Dei: *Qui erat ab omni æternitate*, & paulo poſt dicitur idem מולוד הו ולם יתכון, *genitus non factus.* Et ita quidem finitur cum ſeria admonitione & voto Tractatus hic Cl. Grabii, qui non dubitandum eſt, quin nemini non eruditorum ſalivam moveat alterum de Conſtitutionibus opus ejus videndi, quarum quidem ſcrutinio & examini vix quisquam erat inter Viros doctos, qui magis incubuerat. Cujus vero ſpem aliorumque, quæ meditabatur, valde verendum eſt, ne mors Viri longiſſima vita digniſſimi omnem ſuſtulerit. Pag. 76, 77.

M. VELLEJI PATERCULI QUÆ SUPERſunt, cum variis Lectionibus & Indice locupletiſſimo. Accedit Annotationum libellus.

Oxoniæ, e Theatro Sheldon. 1711, 8.
Plag. 16½.

JO. Hudſonus, V. Cl. quem hortatu Arthuri Charletti S. Th. Pr. Oxon. 1693, 8 ἀνωνύμως ediderat Vellejum Paterculum; quum exempla deficerent, ſuperiori anno eodem loco eademque forma, diſſimulato iterum nomine, typis repetendum dedit. Illam, in Act. A. MDCXCV p. 113 ſq. recenſitam editionem, textus integritas & elegantia, variæ doctorum lectiones, rerum verborumque Index, ac quos præmiſerat Annales Dodwelli Vellejani commendaverant. Novæ huic præter textum, qui ad caſtigatiſſimum Nic. Heinſii exemplar exactus, accuratior dari non potuit, ex priori nihil ſupereſt: reliqua aut aucta, aut in melius immutata ſunt. Annales Vellejanos quoniam Quintilianeis & Statianis, Oxon. 1698, 8 editis, addidit ipſe Dodwellus, iterum hic exhibere ſupervacaneum viſum eſt: quare Synopſis Chronologica

duplex, altera Dodwelli, altera Cellarii, horum loco præfixa est. Notæ Criticæ, quas prior editio jam habebat, hic illic auctæ; accessit Annotationum libellus, notas Acidalii, Bœcleri, Boxhornii, Cellarii, Gruteri, Heinsii, Lipsii, Ruperti, Schegkii & Vossii continens. Ultimo Index iis, quæ curam olim effugerant, locupletatus est.

D. NICOLAI HIER. GUNDLINGII DE Efficientia Metus tum in promissionibus liberarum gentium, tum etiam hominum privatorum auxiliisque contra metum, Liber singularis.

Halæ, apud Godofr. Renger, 1711, 4.

Pl. 22.

SI, quam frequenter tractarunt, exhausissent metus materiam Scriptores, inanis videri poterat præsens opera. Sed quum controversias vulgo exigerent ad illam regulam, quam præjudicium, vulgaris philosophia, juriumque confusa notitia animo persuaserat, fecit inepta hæc tractatio, ut argumentum utile magis quam novum singulari Libro repoteret Celeb. Vir, Nicol. Hieron. Gundlingius. In quo distinctis ab invicem juribus, ordine quis metus effectus, quæ contra eum data sint auxilia, VI Capitibus digessit. Cap. I de Metu respectu voluntatis humanæ agit. In eo postquam evictum, voluntatem humanam cogi posse, coactamque nihilominus esse voluntatem; actiones metu susceptas voluntarias & hactenus obligatorias esse concluditur. At cum præter voluntatem promittentis, a parte ejus cui promittitur, jus acceptandi requiratur, hoc vero in metu extortis deficiat, inde obligationem nullam esse, docetur. Cap. II effectum metus in promissionibus eorum, qui in statu libertatis vivunt, expendit. Hoc statu, quia omnium æquale jus, si metus injuste inferatur, quod ejus causa promissum est, non obligabit. Ut enim ex promisso obligatur promissor, ita metum injiciens tenetur ad promissorem liberandum; & hac ratione obligatio cum obligatione compensatur. Hæc satis plana, si in idea disputentur; difficilior decisio est, si ad causas liberarum gentium transferenda sint, neque enim tunc quis metus licitus, quis illicitus,

licitus, facile definitur. Si Princeps Principi in bello ſolenni promiſſum extorſit, valebit ideo, quia uterque in vim metumque compromiſit: quæ ratio pactum Franciſci I, contradicentibus fruſtra Gallis quibusdam, facit obligatorium. Si promiſſa Imperantibus a ſubditis ſine cauſa ſint extorta, non obligabuntur illi: ita Maria Scotica, cum in cuſtodia regnum ejuraret, obligata non fuit; & Fridericus III pactionem Maximiliani cum Brugenſibus recte reſcidit. Si vero de juribus & privilegiis inter Principem & cives oriatur diſceptatio, quod ita promiſſum, valebit: ita ex fœdere cum Luſitanis obligantur Hiſpani. Statui Germanico hæc principia ſi applicentur, videndum, an Cæſar ſtatibus, an ſtatus ſtatui quid extorqueat. Priori caſu, ſi ſecundum publicarum legum tenorem metum Cæſar incuſſerit, promiſſum erit obligatorium; ſi ſecus, erit nullum: ita Conrado Teklenburgi Comiti injuſte metus a Carolo V illatus eſſe dicitur. Quæ ſtatus ſtatui per metum eripuit, ad ea ſervanda promittens non tenetur: neque enim jus belli inter ſe ſtatus habent. Ita Rudolphus & Albertus I in cauſis ſtatuum deciderunt. Cap. III metus effectum ſecundum Jus Romanum examinat. Eſt hic pro diverſitate contractuum varius. In contractibus b. f. damnatur omnis metus; in iis vero, qui ſt. j. ſunt, antea toleratus eſt, donec formularii juris rigorem temperaret Lucius Octavius Prætor, & poſt Gallum Aquilium, qui actionem & exceptionem doli mali ſuggeſſerat, metus cauſa geſta reſcinderet. Quod quidem contractuum diſcrimen cum ſublatum credant multi, perpetuum nec jure Codicis mutatum eſſe probatur; & quæ vulgo metus requiſita afferri ſolent, exponuntur. Cap. IV, quid jure Pontificio obtineat, docet. Hoc jus cum in omni contractu bonam fidem requirat, omne id, quod metu extortum, pro irrito habet, ita tamen, ut ſi acceſſerit juramentum, abſolutione ex arcanis Cleri opus ſit, Qua occaſione obſtans c. 2 X. h. t. reſolvitur, & vulgaris Pontificiorum & Evangelicorum quorundam Doctorum de abſolutione ad juratam promiſſionem neceſſaria opinio refutatur. Cap. V, quis metus effectus ſecundum Jus Germanicum, oſtendit, idque Jus Naturæ ſpreta Romanorum ſubtilitate ſequi, ex Legibus Viſigothorum, Bajuwariorum, Capitu-

Digitized by Google

laribus Francorum & formulis Marculphi probat; simulque Capitulare Caroli M. in quo restitutionis in integrum mentio fit, ad Franco-Romanos vel Italos, non Germanos spectasse evincit. Cap. VI denique auxilia contra metum pro diversitate jurium adducit. Jure Nat. vindicatio rei amissæ, item exceptio & replicatio pro conservanda ea datur. Romani olim pro diversa læsionis specie vel actione inj, vel e Lege Julia, vel condict. ob turpem causam, vel actione de dolo agebant. Introducta formula Octaviana liberum erat, vel restitutione in integrum uti, vel actione quod metus causa, cujus requisita explicantur, & obiter totus in hac causa Romani Juris ordo describitur. Denique quadruplum nec Jure Pontificio, nec in foris Germaniæ obtinere, contra Ill. Bergerum præcipue, multis rationibus statuitur.

JOHANNIS BAPTISTÆ BIANCHI HISTOria Hepaticæ, seu de Hepatis structura, usibus & morbis.

Augustæ Taurinorum, typis Pauli Mariæ Dutti & Johannis Jacobi Gringhelli, 1710, 4.
Plag. 20.

P. I cap. 1. AD meliorem Historiæ suæ Hepaticæ elucidationem de secretione animali quædam præmittit Autor Clarissimus, cujus necessitatem 5 rationibus firmat; 1 quia particulæ nutritiæ ex massa sanguinea ad partes nutriendas continuo deponi debent; 2 quia non omnes partes alimentariæ ad sanguinis sinum devolutæ istius sunt conditionis, quæ nutritionem præstare possint, ex ea proin eliminandæ; 3 quia particulæ nutritiæ per tot circumgyrationes cum sanguine & per concussiones a solidis æque ac fluidis perpessas debitam figuram, magnitudinem, locationem ad nutritionem necessariam mutant, adeoque ineptæ redduntur pro nutriendis partibus; 4 quia plures cumulantur particulæ nutritiæ, quam sanguinis penus & nutritionis ratio exigebat; 5 quia particulæ partibus jamdum appositæ a transfluente sanguine denuo abraduntur, ab hujus massa tanquam su-
2. perfluæ vel nocuæ elutriandæ. Præter alibiles vero succos alia sunt fluida, quæ a sanguine separantur, eaque duplicis familiæ, seu

ſeu ſenſibilia proprio humorum nomine inſignita, ſeu inſenſibilia vel impalpabilia, quæ effluvia, fuligines & flatus nuncupantur. Quia ſanguis per vaſa denſis parietibus circumtexta pererrat, fluida ſenſibilia ab ejus complexu ſecedere nequeunt ordinario, niſi in illis partibus, ubi idem appellens cruor ampliora oſtia reperit, molibus ſcilicet partium ſecernendarum transcolandis conformia; hæque partes parenchymata vel glandulæ vocantur. Inſenſibilia vero propter exilitatem ſecretorio hoc beneficio non indigent, quoniam per inſenſibilia tunicarum, vaſa cingentium, ſpiracula a maſſa communi fugiunt, indeque per poroſam partium omnium ſubſtantiam transmeando breviores propriis excurſibus ſibi comparant vias, usque ad ſeceſſum e corpore, ita ut glandularum miliarium miniſterio opus non ſit pro inſenſibilis transpirationis ſecretione. Fluida, quæ in glandulis ſecernuntur, duplicis ſunt claſſis, alia enim tenuioris deprehenduntur conſiſtentiæ, quam ſit maſſa ipſa communis in vaſis, ut urina, ſaliva, ſuccus pancreaticus, ſudor, lacrymæ, &c. alia craſſioris, ut bilis, ſemen, mucus inteſtinalis, naſalis, & faucium. Quorum craſſorum quidem alia præter intimam ſuam ad craſſeſcendum diſpoſitionem a cauſa externa e. g. aere ſuam inſimul craſſitiem nanciſcuntur, ut mucus narium, ſputum, &c. vel quod aer ſubtiliores mobilioresq; partes abripiendo in ſtrictiori cœteras contiguitate relinquat, vel quod nitroſitate ſua utrasque figat & vinciat; alia vero absque cauſæ externæ concurſu incraſſantur, ut bilis. Cum autem ipſius ſecretionis negotium a Medicis vel chymice per fermentationem, vel mechanice per glandularum tanquam totidem cribrorum diverſos poros particularumque ſecernendarum molem & figuram diverſam explicari ſoleat; utramque hanc hypotheſin refutat Autor. Et quidem Fermentiſtas quod attinet, ſolutionem ſanguinis fermento glandularum inſito imputatam non fieri, probat, quia ſecretio abunde a motibus ordinariis ejusdem fluidi, & ſolidorum præcipue, a cordis impulſu validiſſimo, a vegeto arteriarum elatere, a vi partium omnium oſcillatoria, ab aere pulmonico, & a textura canalium peragitur. Data vero hac fermenti inſiti in ſanguinem operatione, ſeu ſolutione, poni inſimul putat in po-

c. 3. 4.

Digitized by Google

rorum conformatione varietatem, per quorum aliquos ſecretus ſuccus, per aliquos reſiduus cruor derivetur. Addit, ſi ſpecifica glandularum fermenta riganti has ſanguini non immiſceantur, nullam exerceri ſecretionem, ſin miſceantur, ea per circulationem ſanguinis ad omnes corporis partes deferri, ſicque non eſſe amplius glandularum indigena, eorumque actionem ſecretoriam per omnes indifferenter partes exerceri. Abſurdiſſima pariter vocatur hæc hypotheſis, quia circulationis legibus e diametro oppoſita cernitur, ſiquidem ſtabilis mora fermentorum in organis ſupponitur. Adde quod glandularum ſubſtantia canalicularis ſit, per quam continuo & rapide trajiciens cruor abſtergeret liquidum ibidem fermentum. Denique cum fermenta ſint fluida, naſcente ſanguine ab eodem ſecreta, ſequitur, eorum ſecretionem a ſanguine absque fermentorum præſentia factam eſſe, adeoque ſuccos reliquos absque eis fieri poſſe. Sin ad hanc fermenti ſecretionem aliud concurrere fermentum dicas, aliud fermenti fermentum erit determinandum, idque in infinitum.

c. 5. Contra Poriſtas, quos vocat, dum agit Autor, cribrationis modum locum obtinere exiſtimat in corporibus cribro impoſitis, & ſibi invicem contiguis, e. g. in tritici granis; eundem tamen non extendi poſſe ad partes intime unitas & implicatas, niſi aliud ſupponere velis agens, eas ab intima cohæſione ſejungens. Urget etiam, nec pororum in glandulis figuram, nec ſecernendorum molem & conditionem ſatis eſſe perſpicuam, adeoque totam hypotheſin eſſe precariam. Addit porro, omnia fluida infinita partium parvitate pollere, quæ ſe cuivis figuræ accomodent, adeoque non neceſſariam eſſe in orificio excipiente peculiarem figuram. Imo data in minimis ſanguinis inſita habitudine ſpecificæ configurationis & magnitudinis, a quarum diverſitate detur & in eisdem varietas, requiritur tamen, ut molecula e. g. cubica in quadratum meatus glanduloſi orificium intromittatur, ut quoad latera & angulos ſint ſimiliter poſita orificium & latera; unicus igitur erit modus, unicusque caſus, ſi ſuccus aliquis excerni debeat, adeoque ſecretio admodum parce procedet. Et metuendum erit, ne conica e. g. particula pro ſitu ſuo diverſo porum figuræ circularis,

Digitized by Google

cularis, parabolicæ, ellypticæ, hyperbolicæ, triangularis &c. intret. Denique manifeſte conſtat, per cujuſcunque figuræ orificia transvehi debere quomodocunque poſitas ſuccorum particulas, quarum major diameter minor ſit aut ſaltem æqualis diametro orificii minori, hinc ſequitur, variorum ſuccorum ſecretiones per easdem glandulas fieri poſſe. Quibus poſitis contemplatur Autor hepar ſecundum partes externas, ejusque vaſa lymphatica & nervos. Illa quod concernit, in canibus majoribus poſt amplas ſaginationes ſtrangulatis & in mactatis ſuibus profundas ſatis ea in hepatis ſubſtantia origines ſumere, indeque didicit, non ex glandulis conglobatis ea ad hepatis cavum ſitis oriri, nec has glandulas in omnibus individuis comparere, cum tamen adſint aquæductus; in quibus autem obſervantur, non penetrari a lymphaticis, ſed ſuperſcandi. Multo minus vaſa hæc lymphatica ex glandulis gracilibus in cavitate capſulæ communis ortum ducere putat, in qua opinione confirmatur partim autopſia, partim ratione, eo quod ſcilicet nullum vas lymphaticum a glandula naſcatur, ſed ab ipſismet fibrarum intercapedinibus in partibus animalis omnibus; ideoque aſſerendum exiſtimat, ſeriflua vaſcula, hepatis ſubſtantiam ſubeuntia, ex capſula declinando commiſſuras acinorum exoſculari, ibidemque fluidum ſuum exſugere, foras inde derivandum. Inde pergit ad cetera hepatis vaſa, explanatoque hepatis parenchymate ſuam, quam fovet, de ſecretione animali ſententiam exponit. Videlicet quoniam omnes ſanguinis particulæ uniformem inter ſe ineunt commiſtionem, neceſſe eſt, ut pro ſecretione præſtanda liquor ſecernendus a reliquis humoribus expeditus, ſolutus & liber factus ſit; ſed nec in ſanguine, nec in colatorio fermentum exiſtit, quod hoc efficere queat. Reliquum igitur eſt, ut hoc principium vel in motibus ſanguinis, vel in canalium ſtructura inquiratur. Sangnis igitur motu ſuo inſtar omnium liquorum ſponte fermenteſcentium inſitam habet vim, heterogeneum quodcunque ex ſuo ſinu exturbandi. Canales quod ſpectat, notum eſt, quod arteriæ quævis in conum abeant. Dum igitur maſſa ſanguinea ad arteriæ parietes & imprimis ad angulos ex ramorum diſtributione reſultantes allidit

c. 6. 7. 8, 9, 10

dit, diſſolvitur eadem, & præparatur, ut recrementa ab aliarum partium compage liberentur. Sed cum ſucci varii ſecernendi veniant e penu ſanguinis, non ſolum tenuioris, ſed etiam tenacis, ramoſæ, implicabilis & concentratæ texturæ, qui ab ordinariis ſanguinis arietationibus in latera & angulos arteriarum non liberantur ſufficienter ab aliarum partium complexu, natura multiplicavit inſtrumenta ſolventia proportionaliter ad multiplicationem reſiſtentiæ ſolutionis in ſanguine, per multiplicationem ſcilicet angulorum & laterum per longius protractam itineris extenſionem a fonte impulſus, ſeu corde, ad filtrum. Inde eſt, quod ſanguis immediate deſcendat ad renes pro tenui urina ſecernenda, per varias vero ambages ad
c. 11. hepar appellat pro tenaci bile reddenda. Inde ad bilem revertitur Autor, cujus definitionem, ortum & uſum ſuppeditat. Bilem definit per recrementum maſſæ ſanguineæ, lentum & viſcidum, in ſanguinis ſinu genitum, & congeſtum. Concreſcere eum putat ex reſiniformi ſubſtantia, aſperiorique ſalino-fixa, in ſanguine inutili, ſero competente eliquata. Uſum quod concernit, notum eſt, quod ex ventriculo chymus ad inteſtina provolvatur viſcidæ & complicabilis conſiſtentiæ, qui lateribus inteſtinorum adhærendo horum motui periſtaltico non auſcultaret, & oſtiola vaſorum lacteorum obſtrueret, quo minus purus chylus per ea transcolari poſſit. Id ne eveniat, & ut glutinoſitas illa tollatur, bilis ad principium duodeni infunditur, tanquam corpus liquidum oleaginoſum, ut oleoſis interjectis particulis a variorum corporum implicatione res glutinoſæ liberentur, & tanquam lixivioſum & ſaponarium, ad deterſionis opus alacrius exequendum. Proritat inſimul bilis acore ſuo ſenſiles inteſtinorum tunicas, ad motum continuandum peri-
12. ſtalticum. Expoſita inde ſtructura & uſu cyſtis felleæ, modo-
13. que, quo bilis in cyſtidem influit, eam per vices ex illa effluere,
14. ſtimulumque ad hunc motum a ventriculo recipere exiſtimat. Cum enim hic tempore chylificationis non ſolum a ciborum mole, ſed ulterius a fermentativa quadam rareſcentia magis magisque diſtendatur, neceſſario adjacentem folliculum fel-
15. leum tum temporis premit. Hinc vaſa cyſtidis propria, eorumque

Digitized by Google

rumque uſum examinat; bilisque quantitatem in hominis hepate & cyſtide naturaliter contentæ ſex unciarum eſſe dicit, quanquam nycthemeri ſpatio ultra unciam unam illa non excernatur. Sed plures uſus hepati Autor præter ſecretorium bilis adjudicat, inter quos non ultimus eſt, quem facultatem ventriculi chylificatoriam juvando exercet hepar. Quemadmodum enim ventriculus chylificationis tempore in inferiori orificio a ſphinctere & mechanica tortuoſitate occluſus, in ſuperiori ab adjacentibus viſceribus, liene & hepate, premitur; ita, tanquam operculis ſtricte appoſitis in machina Papiniana, transſpirare non ſinit hic activiores *menſtrui partes*, a digeſtivo conflictu exaltatas, ac extricatos jam ipſiusmet *maſſæ alimentaris ſpiritus*; quibus inde in *digerendam maſſam reverberatis* acuitur ſolutiva virtus, eique per univerſam ciborum congeriem liberior aperitur via. Adde quod copioſiſſimi habitus calidi & humidi ex hepate expirantes in ventriculi cavum penetrent, & ciborum ſolidiorum eliquationem, haud ſecus ac cornu cervi philoſophice præparatur, adjuvant. Ultimus hepatis uſus in eo conſiſtit, ut ſanguinis diverticulum ſit, una cum liene, quotiescunque hic vel copia, vel rarefactione auctus ultra ordinariam quantitatem ulteriores amplioresque exigit vias; dilatat enim tum fiſtularum hepatis cavitates, & orbitam ſibi majorem aperit. Hæcque, quæ hactenus præfatus eſt Autor clariſſimus, ulterius in *Curſu* ſuo *Anatomico*, quem meditatur, explicaturum ſe pollicetur. Ad ſtatum præter naturalem pergimus cum Autore, qui expoſita in genere morborum theoria, hepatis morbos in tres claſſes diſpeſcit, quarum prima eos complectitur, qui ab hepatis ſolido immediate proficiſcuntur, altera illos, qui a fluidis per hepar excurrentibus oriuntur, tertia iſtos, qui ad neutram harum claſſium reduci poſſunt. Morbi, qui a ſolido hepatis dependent, vel ſunt a toto ſolido, vel a ſolido vaſculari, vel a ſolido nerveo. Dum morbos, qui toti ſolido adſcribuntur, aggreditur, vitia hepatis ab ejus morbis diſtinguenda eſſe inculcat, hos nuncupando affectionem præter naturalem, quæ in animalis parte inſidens lædit ejusdem actionem; illa vero, quæ partis actioni non nocent, licet præternaturalia audiant.

c. 16.
17.
18.
P. II c. I
2.

Ee Quem-

Quemadmodum autem hæc in magnitudine, in numero, in figura, & in situ observantur; ita illi in intemperiem, morbum organicum & solutionem continui dispescuntur. Ad intemperiem hepatis refert ejus atoniam, quam a tota substantia morbum dixerunt veteres, qualis observatur in ejus flacciditate, seu imbecillitate, in gangræna & sphacelo, & in colliquatione. Ad morbos organicos trahit locationem vitiosam. Solutio continui patratur vel a causa interna, ut in simplici erosione & ulcere; vel a causa externa, ut in contusione, & vulnere, c. 3. vel ab utraque in rimis & fissuris. In morbis hepatis a solido vasculari oriundis accusatur potissimum canalium laxitas præternaturalis & unitatis solutio. Laxitatem inducunt interfluentes succi, eadem distrahendo; quæ distractiones in arteriis anevrismata, in venis varices, in lymphaticis hydatides, in excretoriis ductibus peculiari vocabulo appellantur. Circa unitatis solutionem præter alias causas communes bilis acrimonia accusatur, quæ notabiles frequenter exesiones & ulcera vesicæ 4. felleæ inducit. Inter morbos a solido nerveo ortum ducentes potissimum dolorifica partium nervearum tensio seu crispatura examinatur, quæ non solum in præcingente tunica, aut ligamentis, sed & in omnibus per ejus substantiam dispersis villis membranaceis observatur, ut in hypochondriacis, ictericis, hecticis 5. & in quibusdam obstructionibus evenire solet. Ad morbos hepatis a fluido oriundos pergit Autor; & quemadmodum sub hoc titulo sanguis, lympha & bilis continetur, ita sanguis lentore suo obstructiones infert, quæ veræ audiunt, & propriam ejus substantiam seu parenchyma occupant, suntque vel frigidæ, quando subsistentis sanguinis partes implicatæ omnes uniformiter inter sese ulteriorem ad motus intestinos validos aptitudinem non servant, sed tantum non quiescentes penitus, nullo symptomatum strepitu morbum producunt: vel calidæ, quæ etiam inflammationes audiunt, quando in moles vastiores concretæ particulæ sanguinis, sicque proprio fluxui obsistentes, tenuibus tamen adhuc aliis, solutis mobilibusque intertextis, motus quosdam intestinos exercent, summe irregulares, & celeres, indeque acris perceptio caloris in parte observatur, harumque

accero-

accretio a superfluente perenniter sanguine, arietante in obstructionis locum, & ab ulteriore permeatione impedito, trudendo vasa violenter extrorsum, sistit molestæ tensionis sensum, a violenta adjacentis diaphragmatis pressura singultum & tussim siccam, a repulsis in massam sanguineam tumultuarie fluidis febrim, &c. Ex quibus inflammationibus abscessus quandoque oriuntur; si scilicet particulæ lentescentes cavitatem formant in visceris substantia. Quod autem iidem abscessus post capitis vulnera frequenter in hepate observentur, inde oriri putat, quod sanguis partem purulentam imbibens majores ejus portiones ad hepar deponat, tanquam viscus maximum, utpote in quo longe majora, quam in aliis omnibus apponuntur vasa, longeque majores eorundem diramationes; in quo lentior succorum est cursus; in quo viscidius secernitur liquidum; in quo nulla est muscularis potentia, quæ depositum pus iterum depellere queat. Lympha vero sive copia sive viscididate peccans in hepate tumores, frigidos nuncupatos, concitare potest; ut in œdemate, obstructione, atheromate, steatomate, meliceride, scirrho, concretionibus callosis, gypseis &c. videre est. Bilis morborum autor existit, vel quando est aucta, vel quando imminuta, vel quando abolita, vel quando ad alia etiam organa est translata ejusdem secretio. Exuberat bilis, quando luxuriantibus in sanguine bilis principiis uberior horum transcolatio in hepate fit, aut quando consueta solum vigente tum in sanguine, tum in colatorio quantitate bilis, hæc ab insolitis hepatis aut partium adjacentium contractionibus valide adeo copioseque per ductus suos in duodenum exprimitur, ut soliti effluxus mensuram & exigentiam longe transscendat. Imminuitur bilis secretio vel organi vitio, quando meatus ejus minores sunt, quam qui bilem admittere valeant, vel bilis culpa, quando hæc propter lentorem suum intra poros hepatis resorberi non potest. Hæcque crassities oritur, vel cum spiritu bilis aut aquea humiditate, aut utroque propter nimium calorem privatur: vel cum in ea depressa liquidiora hæc principia a terrei & gelatinosi prædominio illaqueantur, vel cum crassiores, irregulares, limosasque partes suas tanquam sedimentum amurcosum & cretaceum critice in hepatis colum

(Marginal notes: "c. 6." beside "secretio. Exuberat bilis…"; "7." beside "longe transscendat. Imminuitur…")

c. 8. despumat cruor. Causæ abolitæ secretionis eædem esse possunt, ac modo allegatæ, sed in majori gradu.
9. Depravatæ bilis qualitates sunt vel tactiles, vel gustabiles, vel visibiles. Tactu sua vitia prodit bilis, quando consistentia vel tenuiori vel crassiori pollet. Saporem præternaturalem contrahit eadem, vel quando minime amarescit, sed insipida aut dulci proxima est; vel quando nimium acorem contrahit. Prius fit vel ex salium defectu, vel suppressione, vel mole grandiori, interiorique ponderositate; posterius vero, quando hoc recrementum ob prævias in massa sanguinea fluidorum motiones varias variis figuræ modis salina ejus aculeantur principia, variisque inde locationibus cum ceteris partibus concurrunt; unde salsum, acidum, ponticum evadit. Color depravatus in bile oritur, quando est pallida, vitellina, porracea, æruginosa, cœrulea, glastea, & atra; hæque qualitates ex intima innovatione ab acido quodam inextricabili in ea plus minusve redundante dependent.
10. Morbos quod concernit, qui a secretione bilis ad alia organa translata oriuntur, observantur hæc vel glandulosa, ut glandulæ salivales, renales, cutaneæ, & aliæ, vel non-glandulosa, quando scilicet bilis vel per anastomosin, vel diapedesin exstillans & transsudans in quibusvis corporis partibus colligitur, ut in ictero patet, cujus duo summa genera constituit Autor; Prima classis oritur a limosa & inerti bile, quæ eandem conditionem servat, quam qualem habuit, dum primos in hepate infarctus perpetravit. Altera a causa solutiva sanguinis dependet, & bilem agnoscit subtilem, volatilem, & spiritualisatam.
11. Restant morbi, qui a corpore extraneo originem ducunt, ubi notantur calculi, ex biliosis particulis in durum concrescentibus & tanquam vitrificatis concreti; vermes, qui gignuntur, quando iners bilis est acredo & vieta; flatus, qui ex viscidis, fermentantibus succis in spiritus elevatis aerique aliquali innatantibus componuntur, & tandem polypi, tam gelatinosi quam carnei.

Calci hujus tractatus apposita legitur Epistola Ioh. Mariæ Lancisii, in secretionis humanæ negotium inquirens, in qua quemadmodum quædam Bianchi nostri hypotheses confirmant, quædam refutant; ita quid ad ea respondendum sit, paucis monet Noster.

DE

DE INFINITIS INFINITORUM ET infinite parvorum Ordinibus Disquisitio Geometrica; Autore D. GUIDONE GRANDO &c.

Pisis, ex typographia Francisci Bindi, 1710, 4.
Plag. 14.

CUm admodum Rev. P. *Grandus* spatia plusquam infinita hyperbolica *Wallisiana* ab objectionibus celeberrimi *Varignonii*, in Actis A. 1708 p. 343 commemoratis, & Mense superiore repetitis, vindicare constituisset; commodum ipsi videbatur, quæ recentiores Geometræ in Analysi infinitesimali præsertim de infinite parvis assumunt, more veterum una demonstrare. Unde ipsi enata est Disquisitio de infinitis infinitorum & infinite parvorum ordinibus, ita ut, qui primum primarius erat Cl. Autoris scopus, in secundarium abierit. Præmittitur operi præludium poeticum, in quo vates Geometrarum superioris & hujus seculi clarissimorum, *Galilai, Cavallerii, Torricellii, Gregorii, Slusii, Hugenii, Mengoli, Wallisii, Leibnitii, Newtoni, Bernoulliorum, Hospitalii, Tschirnhusii, Craigii, Hermanni* (qui ex Academia Patavina in Francofurtanam nunc evocatus) atque *Facii* merita canit. Huic succedit expositio controversiæ, quæ Autorem ad præsentem Tractatum scribendum impulit. *Wallisium* scilicet in Arithmetica infinitorum prop. 104, 105 &c. fol. 409 & in Mechanica c. 4 prop. 7 fol. 679 *plusquam infiniti* appellationem primum in Geometriam introduxisse, dum rationem 1 ad — 1 seu in genere numeri positivi ad privativum infinita (quæ ipsi est ut 1 ad 0) majorem pronunciavit & hinc plusquam infinita dixit spatia, quæ sunt ad aliud finitum ut numerus positivus ad privativum. Esse autem spatia asymptotica hyperbolarum superiorum in istiusmodi ratione ad parallelogrammum aliquod rectilineum finitum, ipse quoque se jam ostendisse monet in demonstratione theorematum *Hugenianorum* c. 8 n. 11 p. 99 & 100, de qua diximus in Actis A. 1708 p. 343. Cl. *Carré* in Methodo mensuræ superficierum &c. Sect. 1 Cor. prop. 23 p. 20 eandem appellationem quidem retinuisse, sed tantum ideo, ut ipse in margine addit, ne a communi loquendi more recederet. *Parentium* in

disquisit. Phys. & Mathem. Tom. I part. 3 p. 512 hanc denominationem exagitasse. Tandemque *Varignonium* in Comment. Acad. Regiæ Scientiarum A. 1706 expresse *Wallisium* sibi confutandum proposuisse. Sequitur tractatio ipsa: ubi monet, se per *rationem assignabilem* intelligere talem, cui æqualis vel quantumlibet proxima per positivos numeros exhiberi potest. *Magnitudines finitas* vocat, quæ ad similem, in nostro saltem corpore determinandam, rationem assignabilem habent. Quodsi hæc ratio fuerit qualibet assignabili major, *magnitudinem infinitam* dicit, si minor, *infinite parvam*. *Ejusdem ordinis aut gradus* censet quantitates, quarum ratio est assignabilis: quas tandem *plusquam infinitas* appellet, ex Actis Mensis superioris p. 156 constat. Miratur vero, celeberrimum *Varignonium* in quantitatibus infinite parvis diversos ordines admittere, in infinitis autem minime. Hinc ostendit, summam & differentiam duarum magnitudinum ejusdem ordinis esse cum alterutra ipsarum ejusdem ordinis: unde porro concludit, si quantitas per quemlibet numerum finitum multiplicetur aut dividatur, factum & quotum intra eundem cum illa ordinem consistere, adeoque qualitatem infinite parvam per numerum finitum multiplicatam non degenerare in finitam. Docet præterea, rationem qualibet assignabili majorem non minorem esse ratione 1: 0, & hanc rationem reddit, cur quantitas infinite parva intuitu finitæ sit merum nihil, adeoque ipsi addita vel demta eandem non augeat vel minuat: quæ quantum valeat, ex Actis A. 1710 p. 464 intelligitur. Quantitatum infinite parvarum quasdam esse ejusdem ordinis, & quamlibet inter se rationem assignabilem habere posse, ostendit 1 in triangulo, 2 in curva quacunque. Inde infert, errare illos, qui eas vel ut penitus indivisibiles, vel ut invicem æquales considerant. In hanc regulam impegisse ipsi videtur ingeniosissimus *Varignonius*, dum in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Annorum 1700, 1702, 1703 & 706 vires centrales determinat, utut eandem in aliis meditationibus ab eodem observatam esse agnoscat. Monstrat etiam, quantitates infinite parvas esse interdum diversi ordinis, alias enim esse aliis infinitis majores aut minores, idque sine ullo limite. Hic

vero

vero una methodum differentiandi quantitates variabiles & integrandi differentiales exponit. Similiter probat eodem fere modo, quo celeberrimus *Hallejus* in Transactionibus Anglicanis, n. 195 p. 556, quantitatum absolute infinitarum quasdam esse ejusdem ordinis & quamlibet inter se rationem assignabilem habere posse: quasdam vero diversi esse ordinis, atque alias aliis infinities majores aut minores, idque sine ullo limite. Docet inter alia, areas hyperbolarum superiorum infinite majores esse areis inferiorum, quantumvis jam infinitis, vel plus quam infinitis, quod primario sibi probandum proposuerat. In arearum adeo dimensione non sufficere, ut quædam ipsarum absolute infinitæ demonstrentur, sed gradum quoque infinitudinis determinandum esse; quod fiat observando, ad quod infiniti aliunde noti genus rationem assignabilem habere possint. Spatium infinitum esse, quo hyperbola secunda extra primam exorbitat. Sed ne credamus, spatium asymptoticum hyperbolæ primæ esse in genere infinitorum minimum; spatium invenire docet infinitum ipso infinities minus. Monet, *Laurentium Lorenzini* egregium, Tractatum de Curvis Logarithmicis scripsisse, quem adhuc premat. Tandem hyperbolam quadraticam (quam vocat,) cum *Apolloniana* confert.

Appendicis loco subjungitur Epistola Geometrica ad Illustr. Equitem *D. Ascanium Lippi Aretinum*, in qua doctrina in opere comprehensa ex elementis planis & conicis ulterius applicatur & nova ratione confirmatur. Respondetur etiam ad objectiones amici, quas contra infinitatem spatii asymptotici hyperbolici fecerat.

Cæterum, quid Cl. *Varignonius* ad objectiones a Cl. P. *Grando* factas respondeat, ex Mense superiore repetendum.

NICOLAI BION Neu-eröffnete Mathematische Werck-Schule &c.

h. e.

NICOLAI BION TRACTATUS DE CONstructione & præcipuis usibus instrumentorum Mathematicorum.

Franco-

Francofurti, Lipsiæ & Norimbergæ, in bibliopolio Hoffmanniano, 1712, 4.

Alph. 2 plag. 5 & 28 Tabb. æn.

CUm Autor Gallus Tractatum hunc de instrumentis Mathematicis idiomate patrio edidisset; eundem in Actis A. 1710 p. 15 & 16 tum iis commendavimus, qui praxin Mathematicam cordi habent, tum artificibus, qui in parandis instrumentis desudant. Quoniam itaque opus utilissimum in suo genere unicum; bene de Germanis nostris meritus est Cl. *Doppelmeyerus*, Mathematum in Gymnasio Norimbergensi Professor, quod illud in linguam nobis vernaculam transtulerit, & figuras æri nitide incidi curaverit. In gratiam nostrorum artificum addi possent appendicis loco instrumenta ad Geometriam subterraneam pertinentia, qualia repræsentat *Nicolaus* Voigtel in sua Geometria subterranea, Vir in praxibus istiusmodi versatissimus. Argumentum libri repetatur ex Actorum loco citato.

SINENSIS IMPERII LIBRI Classici sex.

Pragæ, apud Joach. Joan. Kamenicky, 1711, 4.

DE tribus libris prioribus dictum est Mense Mart. p. 123. Quartum composuit *MemTsu*, in duos tomos divisum, quorum ille sex, hic octo capitibus constat. Materias tractat *Memcius* magis inter se connexas, quam quæ in libris reliquis occurrunt. Extollit potissimum veram imperandi normam, reprobat bellicum imperii pacandi modum, explicat naturæ humanæ rectitudinem
Lib. I Cap. I. & falsa dogmata refutat. Præcipua ejus dogmata hæc sunt. Principem sapientem non utilitatem, sed æquitatem quærere debere. Bonum regimen populi frequentiam parere. Radicem boni regiminis esse rebus ad victum populi necessariis prospicere, v. gr. rei agrariæ, piscationi, arborum amputationi, bombycum & animalium domesticorum alendorum utilitati. Tempore famis Principem egenti populo opitulari nec inutilium animalium turbam alere debere. In pœnis parcum, in tributis modicum, in agricultura sollicitum, in morum instructione providum esse jubet.

bet. Musicæ amorem Principi prodesse ad bonum regimen ob Lib. I Cap. 2.
consimilem & sonorum & animorum concordiam; dummodo
delectationes suas cum populo communes faciat. Honestum sive
opum sive voluptatum amorem non obesse bono regimini, sed
Principis duntaxat duritiem & incuriam. Antequam Princeps
aliquem ad dignitatem magnam evehat, opus esse ut diligenti
prius examine utatur. Cor obfirmandum esse, ut non concutia- 3.
tur in rebus dubiis atque periculis. Tempore pacis vacandum
bono regimini, non otio aut voluptatibus solis. Ad officia &
dignitates dignos duntaxat evehendos. Si quis pietatem, æqui-
tatem, honestatem, prudentiam non exerceat, id non ex natura-
lis facultatis defectu, sed ex propriæ voluntatis culpa provenire.
Hæc tria ad militiam maxime conducere, tempus & locum com- 4.
modum atque hominum concordiam. Principem, qui non prior
invisit, sed ad se accit Philosophum, peccare contra urbanitatem.
Sapientiæ Magistrum modo decere, modo dedecere accipere a
Principibus munera. Præfectum, qui non potest officio suo bene
fungi, illo abdicare se debere. Neminem esse, qui non possit virtu- 5.
tem exercere ac sapientes imitari. Triennalem luctum ob paren-
tum mortem decere filios, quem *Memcius* Principi *[illegible]n Kum* per-
suasit. Principem pro tributo unam tantum decimam aut unde-
cimam frugum partem exigere debere. Commendat *Memcius*
quadrangularem agrorum divisionem, ut nec agricolis, nec Mi-
nistris regiis furandi locus relinquatur. In Regno diversis diversa 6.
officia & opificia esse oportere. Philosophum peccare contra ho-
nestatis leges, si sine prævia invitatione adeat Principes, suam iis
de arte bene vivendi & regendi doctrinam traditurus. Ipsum
quærere quidem dignitatem, ut suam doctrinam propaget, sed
recta æquitatis via. Dignitate licet careat, mereri tamen, qui pro-
pter Magisterii beneficium laute a Principibus tractetur. Dum
Principes signa honoris ac benevolentiæ exhibent Philosopho,
conveniens esse, ut hic eos invisat. Inveteratam sceleris consuetu-
dinem subito abrumpendam, non lente diminuendam. Ad bo- Lib. II Cap. 1.
num regimen antiquorum Principum leges commendat *Mem-
cius*, qui vasorum, instrumentorum, mensurarum, ponderum
formam tradiderunt, Musicæ concordiam instituerunt, rectæ di-

ſciplinæ leges tulerunt. In Principe ſapientiam & æquitatem; in Miniſtris promptitudinem & fidelitatem requiri. Æquitate ac pietate Regna conſervari. Boni regiminis fundamentum eſſe morum in Principe compoſitionem: tunc enim omnes cupere illi ſubeſſe. Ut hominem noſcas, inſpiciendam eſſe oculi pupillam. Præfectum, qui ſuo Principi pium regimen non gerenti, rigidis tributi exactionibus opes coacervare tantum ſtudet, a *Confucio* & Confucii ſchola rejici. Utendum eſſe miniſtris, qui corda ipſorum ſcrutari valent ad ea dirigenda & qui defectus regiminis corrigere norunt. Ea animi ægritudine paſſim laborare homines, quod ament fieri aliorum magiſtri, quando ipſi adhuc
Lib. II Cap. 2. diſcipuli eſſe deberent. Principem ſapientem unicuique reddere, quod ſuum eſt. Si Rex velit humanitatem atque honeſtatem a Miniſtro ſuo erga ſe ſervari; ipſe prior erga Miniſtrum eam ſervet neceſſum eſſe. Intereſſe Principis, monſtrat *Mencius*, moribus ſuis invigilare. Prudentem rerum æſtimatorem vocat, qui ab actione tempeſtive ceſſare norit. Optat, ut vir, qui aliena vitia patefacit, ſciret, quantus hinc poſtea dolor ſibi ſit adventurus. Virum doctrina & virtute magnum infantilis ætatis animum innocentem nunquam exuere. Filiorum munus eſſe, parentes, dum vivunt, alere; cum obierunt, ſepelire. Virum ſapientem quærere eſſentialem virtutis rationem clara cognitione aſſequi & in ſe ipſo poſſidere. Non eſſe appetenda, nec facienda, quæ primo adſpectu bona videntur, accuratius perſpecta talia non deprehenduntur. Prudentis eſſe res dirigere juxta naturalem earum curſum; ſapientis, ſervare ritus præſcriptos. Ejus, qui ab alio offenditur, officium eſſe, ut ſe ipſum examinet & ad perfectionem ulteriorem extimulet. Hominum, qui honores ac dignitates ambiunt, ut uni ſuæ utilitati conſulant, eos eſſe mores, ut, ubi illas quærunt, clam humiliter ſeſe abjiciant; ubi illas
3. obtinuerunt, palam inſolenter ſuperbiant. Commendatur Principis *Xun* ardor emendandi parentes male viventes, qui ex imperii gloria nihil voluptatis capiebat, quamdiu eos vitiis litantes conſpiciebat. Commendatur ejus erga fratrem natu minorem *Siam* amor, quem beneficiis ac honoribus cumulavit, utut inſidias ab eo paſſus. Commendatur & Imperatoris *Xun* ſingularis &

utilis

utilis erga patrem honor, quem tanquam patrem Imperatoris aluit magnificentissime. Dum aliquid fit, cujus causa non apparet, istius rei autorem esse cœlum. Sapientem, ut dignitatem quærat, non se abjicere ad indigna & vilia officia. In Ministris Lib. II cap. 4.
laudatur integritas, magnanimitas, affabilitas, prudentia. Munus, quod accipere æquum est, quantumvis magnum, non esse rejiciendum. Si quis magistratum ambiat, paupertatem suam sublevaturus, eum in humiliori gradu subsistere debere. Virum sapientem, qui officio caret, accitum a Regulo, non teneri illum adire, cum sit Magister seu Philosophus: non decere enim Philosophum sic acciri. Hominis naturam ex se rectam ac bonam, 5.
adeoque pietatem & æquitatem ipsi intrinsecam esse. Rectitudinem ad sequendam virtutem non minus propriam esse hominis naturæ, ac gravitatem aquæ, utpote quæ in ratione consistat, pietatis & æquitatis radice. Additur, quod insit naturæ humanæ appetitus, qui unam honestatem spectat, isque quadruplex, commiserationis scilicet, pudoris, reverentiæ, scientiæ; seu quod sit quædam pietas, æquitas, honestas, prudentia inchoata & ingenita. Unam esse in omnibus hominibus naturam: quod adeo aliqui male vivant, id ex eorum non natura, sed pravitate oriri. Istam cordis rectitudinem post diurnos pravæ cupiditatis tumultus vespere & mane repullulare, sed si interdiu semper pessundetur, tandem suffocari ac perire. Nihil tamen illa pretiosius esse, immo pluris eam æstimandam esse quam vitam. Sed deperditos homines illam non curare, nec nobiliorem sui partem, cor scilicet ac mentem, alere, de ventre tantum sollicitos, parte longe ignobiliori. Rationem hanc esse, quod per mentis cognitionem non firment ac roborent cor suum adversus pravos rerum mundanarum incursus; quin imo vitiis suis frivolas causas prætendere. Cordis honestatem pluris faciendam, quam escam & 6.
voluptatem. Neminem esse, qui non possit antiquos viros illustres imitari. Viri sapientes in regnis utiles judicantur & multa traduntur de optima regiminis forma. Virum recti amatorem, qui lubens monita & consilia audit, esse optimum regni ministrum & contra. Vitam felicem ex rebus adversis, ex doloribus, ex laboribus; mortem infelicem ex rebus secundis, ex otio,

Digitized by Google

Lib.II cap.7. ex delitiis oriri. Qui cognoſcit rerum naturas, illum poſſe cœlum cognoſcere eique inſervire. Virum ſapientem in omni re cœli providentiam exſpectare illique acquieſcere. Sapientis Principis exempla fortius trahere quam decreta. Sapientem tribus delectari, 1 ſi videat patrem & matrem adhuc ſuperſtites ac bene valentes, fratresque concordes; 2 ſi cœlum adſpiciens nihil in animo, in terram oculos demittens nihil in moribus animadvertat, cujus ipſum pudeat; 3 ſi omnes in imperio verbo & exemplo inſtruere & ad vitæ perfectionem adducere queat. Eundem naturæ ſuæ beatitatem in virtutis exercitio collocare; nec honore aut contemtu, nec opibus aut paupertate moveri; propter morum exemplum & doctrinæ beneficium dignum eſſe, qui a Rege ſtipendium accipiat. Triennalem ob parentum mortem lu-
8. ctum imminui non debere. Principem ſapientem non egere armis ut vincat; ſola pietate & æquitate omnes ad ſe allicere. Nullum cordis cuſtodiendi meliorem eſſe modum, quam illius deſideria imminuere.

Ceterum *Memcius* lib. 2 c. 4 §. 10 & ſeqq. deſcribit imperii totius formam, quæ fuit ſub imperiali familia *Cheu*, & perfectisſima a Sinis prædicatur. Quare cum apud nos Sinarum in Rep. conſtituenda & adminiſtranda prudentia omnium fere ore celebretur; illam deſcriptionem excerptis noſtris ſuperaddere viſum eſt. Dignitates in toto imperio erant quinque: 1 Imperator, 2 Dux (*Kum*), 3 Princeps (*Heu*), 4 Comes (*Pe*), 5 Marchio (*Tſu*) & Baro (*Nan*). In quacunque aula dignitatum ſex erant gradus: 1 Imperator in ſua ſede imperiali & Regulus in ſua regia, 2 ſupremorum tribunalium Præſides, 3 primarii Præfecti, 4 liberalium artium alumni ſeu Doctores ex ſupremo, 5 ex medio & 6 ex infimo ordine. Imperialis ſedis tota ditio extendebatur ſtadiis 1000; Ducis ac Principis ditio 100; Comitis 70; Marchionis & Baronis 50. Ex his terris reditus ſibi ad vitam neceſſarios accipiebant. Cujus ditio 50 ſtadiis minor erat, ille per ſe Imperatorem convenire non poterat, ſed vicini Reguli cognominis patrocinio adhærebat. In aula imperiali dignitas Præſidis tribunalium ſupremorum æquipollebat dignitati Regulorum Ducum ac Principum; dignitas Præfectorum ea erat quæ Regulorum

lorum Comitum; Doctorum primi gradus ea quæ Regulorum Marchionum & Baronum: Hinc cædem quoque ipsis assignabantur ditiones. Nimirum illi ab aula recedentes has dignitates; hi vero ad aulam vocati illas dignitates nanciscebantur. In magno Regno, quod 100 stadia quadrata complectebatur, ditio Reguli Ducis aut Principis erat 32000 jugerum; Præsidis 3200; Præfecti 800; Doctoris ex primo ordine 400; ex secundo ordine 200; ex infimo 100, qualis etiam erat virorum popularium, qui aliquod munus in Magistratu gerebant. In Regno mediocri 70 stadiorum quadratorum ditio Reguli Comitis erat jugerum 24000, Præsidis 2400, Præfecti 800, Doctoris ex primo ordine 400, ex secundo 200, ex tertio 100. In parvo deniq; Regno 50 stadiorum quadratorum Reguli Marchionis aut Baronis ditio erat 16000 jugerum, Præsidis 1600, reliquorum ut in regnis ceteris.

CONRADI SAM. SCHURZFLEISCHII Epistolæ arcanæ, varii, politici inprimis, historici, antiquarii & literarii argumenti, cura H. L. SCHURZFLEISCHII. Accesserunt quædam orthographiæ Supplementa.

Halæ Magd., apud Jo. Godofr. Rengerum, 1711, 8.
Alph. 1 plag. 20.

QUo majus & clarius est inter eruditos nomen Schurzfleischianum, tanto minus librum hunc gratiam ab iis initurum esse, dubitamus. Editionem ejus acceptam referimus curæ Viri Cl. Henrici Leonardi Schurzfleischii, Doctoris Vitemb. publici, & Serenissimo Principi Saxo-Vinariensi a Consiliis & Bibliotheca, qui ut Fratri celeberrimo in munerum istorum administratione successit, ita exemplo ejus bene de re literaria meretur, & cum sui ingenii monumentis, quorum non semel in his Actis honorificam mentionem fecimus, tum fraternis etiam scriptis, quæ hucdum inedita servat, colligendis & in lucem emittendis, illam ornare pergit. Inter posteriora alterum hoc Epistolarum Volumen (de primo anno 1700 edito & nuper hoc ipso anno recuso diximus Suppl. T. III Sect. 10 iterumque T. V Sect. 5) eas complectitur, quæ ab anno Christi 1679 usque ad 1689 scriptæ sunt, & cum Latini sermonis elegantia, qua inprimis B.

Autor excelluit & quasi facem aliis prætulit, tum varietate & præstantia argumenti se commendant, atque adeo non minorem utilitatem quam voluptatem Lectori pollicentur. Nos unum vel
p. 5. alterum saltem exempli causa enotabimus. Hieronymum Græcum Daumii Florentiam missum esse dolet, tanto magis, quod omissus sit in Bibliotheca Patrum & controversiæ super eo ver-
15. tantur. D. Musæum, Theologum Jenensem, cum in absolvendo contra Theologum quendam (fortasse D. Calovium) opere laboraret, & defensio fere confecta esset, inopinato apoplexia cor-
24. reptum decessisse, refert. Clementis Epistolam veram & germanam esse censet, etsi id e nostratibus negent aut in dubium vocent Hulsemannus, Calovius, Danhauerus & alii. Multum
25, 31. quoque de controversia Hellenistica eo tempore inter eruditos disceptata affert, & ita de illa judicat, ut facile appareat, negantem illi sententiam placuisse. Gatakerum in eo ludere operamque perdere affirmat, quod in charactere idiotico latibulum quærat, ut eludat argumenta quæ a Poetis Tragicis petuntur, cum tamen hi, non minus ac alii scriptores Græci, Græcæ linguæ indolem servent. Lexicon linguæ Hellenisticæ, quod Drusius promisit, neque editum fuisse, neque edi potuisse ostendit, nisi lepide id confinxisset. Hinc & Hugonem Grotium Hellenismo
65. applausisse, miratur & improbat. Dum Galli insidias & molitiones contra imperium Rom. memorat, nunquam tres & raro duos Reges Francorum continua successione felices ac præpotentes
204. fuisse observat. Post mortem Meisneri Theologi Vitembergensis, pro Spenero surrogando Professores quosdam sententiam dixisse, sed Theologos nullam ejus mentionem fecisse, & alienati animi signa dedisse, ostendit. De Actis nostris eo tempore primum cœptis æquum & honorificum p. 185, 201, 303, 355 fert judicium.
213. De R. Simonis Historia Critica sententiam rogatus, Virum hunc nimium sibi indulgere, veteresque terminos movere, & magis conjecturis, quam certis monumentis nixum ad scepticismum, in sacris valde periculosum neq; a cordato Critico ferendum, viam
316. munire, respondet. D. Mayeri in Acad. Vitemb. adventum celebrat, eumque omnes oratoris sacri partes explentem Chrysosto-
413. mi Saxonici titulo cohonestat. Ill. Magliabechium, propter scriptum quoddam Tenzelii, a Schelstratio in periculum & suspicionem

nem non sinceræ religionis adductum esse dolet. Ex Belgio quædam de Coccejanorum & Voetianorum dissidiis nunciat: controversiarum Gronovii cum Fabretto & Is. Vossio meminit: nimiamq; Pufendorfii in refutandis adversariis acerbitatem notat. A Spanhemio se accepisse, scribit, Salmasii notas in novum Fœdus intercidisse, quod tamen Stephanus le Moyne divino nutu factum putarit, quia multa oracula detorquendo & secus interpretando crucem Theologis fixisset. Josephum annotationibus Scaligeri manuscriptis distinctum se ex auctione Bibliothecæ Goesianæ obtinuisse, lætatur. Munus Bibliothecarii Cæsarei obtinendi spem sibi factam esse, religionem vero, quo minus id capesseret, obstitisse, significat. De Codice Josephi modo laudato, & a Jo. Andrea Bosio, quondam novam Josephi editionem moliente, pariter ac Nicolao Heinsio, istius precibus adducto, per totum fere Belgium frustra quæsito, singularis extat epistola a Clarissimo harum Epistolarum Editore ac hodierno illius cimelii possessore ad Dan. Nesselium Augustæ Bibliothecæ Vindobonensis præfectum scripta. Ex hac, illum suprema Scaligeri voluntate ad Gomarum ea lege pervenisse, discimus, ut in curam Chronici Eusebiani rursus edendi incumberet. Deinde vero nescio qua fortuna inter libros Goesianos relatus, & his publica auctione divenditis, in magno licitantium certamine, B. Conrado Samueli Schurzfleischio obvenit. Postremo notamus, in titulo promissa Supplementa orthographiæ propediem cum tertio Epistolarum Schurzfleischianarum Volumine in lucem proditura.

516. 524, 531. 552. 520. 529.

APOLOGIA PRO JOHANNE BASILIDE II Magno duce Moscoviæ tyrannidis vulgo falsoque insimulato.

Viennæ Austriæ, apud Autorem, 1711, 4.
Plag. 10.

INter præcipua tyrannidis atque crudelitatis exempla Joannem Basilidem Russorum Principem vulgo commemorari, constat. Sed hujus vitii suspicione atque infamia cum quanto potest studio Anonymus noster liberare nititur, & ne primus id ausus esse videa-

videatur, ad Thuani, Jovii, Schurzfleischii, Becmanni, Meiersbergii, aliorumque testimonia provocat, qui mitius de illo judicarunt. Totum laborem tribus Capitibus absolvit. Horum *primo* ostendit, quam difficile sit, Principem quendam ac nominatim Basilidem tyrannidis reum agere. Summa huc redit: duo esse tyrannidis genera, alterum *juris*, quo quis principatum injuste occupat, alterum *exercitii*, quo principatus jure licet acquisitus injuste administratur, ita quidem, ut leges & commoda Reipublicæ evertantur. Prioris tyrannidis nulla veri specie accusari posse Basilidem, cum imperium paternum hereditatis jure obtinuerit. Quod vero ad posteriorem attinet, distinguendas esse gentes, diversas Rerumpubl. rationes, & severiorum suppliciorum causas. Russos esse populum rudem, agrestem, immorigerum, servituti assuetum, qui sine acrioribus pœnis in officio contineri non possit. Pro ratione status graviora esse in una Republ. delicta, quæ in aliis civitatibus sæpe leviora videantur. Ita Nicotianæ usum & furtum rerum levissimarum legibus institutisque Russorum capitalia esse, propterea quod utantur ædibus non satis munitis & ad flammam concipiendam maxime idoneis, atque adeo furtorum & incendiorum periculo ita expositis, ut sine tam acribus remediis id evitari non possit. Cap. II etiam facta ipsa, quæ in Basilide tyrannidis accusantur, in dubium vocat, & plerosq; scriptores, qui de vita & rebus gestis ejus exposuerunt, suspectos reddere studet: alios partium studio impeditos fuisse, alios falsa aut non satis explorate cognita pro veris certisq; tradidisse, alios rationem status non intellexisse, alios facta ministrorum Principi ipsi perperam tribuisse, contendit. Inter partium studio deditos refert inprimis Polonos & Livonos, utpote perpetuis fere bellis a Basilide vexatos, nominatim Alexandrum Guagninum, castri & copiarum Polonicarum, quæ adversus Moscos militabant, præfectum, Christophorum Warsevicium, Stephani Regis Pol. legatum, qui in oratione isti dedicata in reprehendenda Basilidis hostis tyrannide magis oratorem, quam historicum egerit, Georgium von Hof, qui XIV annis duram captivitatem apud Moscos sustinuerit, Reinoldum Heidensteinium, Regis Poloniæ secretarium, Paulum Oderbornium, Ecclesiæ Rigensis Pastorem, qui in

in bello Livonico multis incommodis affectus est. Ea occasione etiam reliquorum scriptorum, qui res gestas Basilidis persecuti sunt, historiam percenset, & præstantissimos quosque parcissime de illius crudelitate commemorare, affirmat. Cap. III tandem in causas, quamobrem Princeps iste tam male audiat, inquirit, & has fere præcipuas fuisse, existimat: 1 Quod facinorosos quosdam paulo atrocioribus suppliciis affecerit, quæ facile crudelitatis speciem præbuerint. 2 Quod in Clericos Romani cœtus acerbius consuluerit, quin & suorum sacrorum antistites, quos *Popas* vocant, criminis cujusdam, præcipue seditionis reos severe animadverterit. 3 Quod summum & herile imperium non solum omni cura rigide tueri, sed & augere studuerit. Hinc cum Duces Russicos, qui provincias sibi commissas tantum non hereditario jure ad posteros suos olim transmiserant, alio transferret, odia & conjurationes extitisse severissimis pœnis extinguendas. 4 Quod continua fere cum finitimis bella gesserit, in quibus cum milites, præsertim Tartari & Cosaci, multa crudeliter & immoderate fecissent, ea deinceps Principi ipsi fuisse imputata.

THESAURUS NUMISMATUM MODERNORUM hujus seculi, seu Numismata Mnemonica & Iconica, figuris æneis expressa, Latinaque & Germanica explicatione illustrata.

Norimbergæ, apud Jo. Andr. Endterum, 1711, fol.
Alph. 1.

THesauri hujus Numismatici Editores Clarissimi anno seculi nostri X exeunte fidem publico scripto, Norimbergæ Germanice typis expresso, fecerant, constitutum sibi esse, *Historiam Seculi XIIX Numismaticam* novo Opere exhibere, in quo libello instituti sui rationem expositturi varia, eademque memoratu digniora Numismata Mnemonica & Iconica, tam in nostra Germania, quam alibi cusa, una cum explicatione accurata sese communicaturos esse, in se receperant. Etenim interjecta aliqua mora prodit nunc Tomus I operis hujus Latine & Germanice, in quo, mutato paulum titulo, numi Anni

MDCC res geſtas illuſtrantes diligenter explicantur. Etſi enim annus hic ad ſeculum XIIX non ſpectet, attamen cum & memoria litis de initio ſeculi frequens occurrat in numis, & annus iſte rerum geſtarum, quarum pars in ſequentem etiam excurrit, magnitudine inſignis ſit, bene utique fecere operis hujus Autores, quod ab eo initium ceperunt. Primo loco itaque hic exhiben-
Pag. 1. tur Numiſmata Secularia, ea præſertim quæ occaſione certami-
8. nis de anno MDCC, utrum ſeculi XVII complementum, an vero XVIII initium in eo ponendum ſit? a doctis moti, prodi-
10. ere. Hos excipiunt Numi Jubilæi Romani ſolemnia varioſque ritus & ceremonias, eo tempore adhiberi ſolitas, referen-
21. tes. Succedunt alii, inventæ Artis Typographicæ, emenda-
26. torum Faſtorum, inaugurationis Friderici IV Daniæ Regis, ſolu-
32. tæ obſidionis Tœnningenſis, & hanc confeſtim inſecutæ Pacis
39. Travendalenſis, Nativitatis Cæſarei Principis Leopoldi, Leopoldi
43. M. e Joſepho nepotis, præmaturo eheu! fato brevi poſt extincti,
47. Teſtamenti & ſucceſſionis Hiſpanicæ, novos, bello cruento
54. Pace Ryſvicenſi vix ſopito, motus excitaturæ, liberatæ ab obſidi-
58. one Narvæ, ac commemorabilis Suecorum victoriæ a Moſchis
67, 69. reportatæ, electioniſque & inaugurationis Clementis XI, qui hodie Romanæ Eccleſiæ rebus præeſt, memoriam inſtaurantes: quorum copioſiori commemoratione jam ſuperſedemus. Non mediocrem vero præcipuorum eventuum, converſionum, rerum geſtarum, aliarumque hiſtoriarum, cognitionem ex eo petere poterunt, qui, a numeroſioribus Commentariis & Annalium ſcriptoribus, aut temporis otiique lucrandi, aut ſumptuum parcendorum cauſa, abhorrentes, breviori & faciliori via ex conquiſitis ac diligenter collectis Numiſmatibus ſingulorum annorum Hiſtoriam cognitam ſibi perſpectamque reddere voluerint. Speciatim vero juventutem, illuſtri loco natam, in peritum atque in Hiſtoricis, Geographicis, Genealogicis, Heraldicis & ſimilibus ſtudiis probe verſatum ducem incidentem, ex hoc Opere majorem in modum inſtrui atque erudiri poſſe, nemo inficiabitur; quod etiam ab Editoribus in Præfatione, qua Theſaurum ſuum auxerunt, extrema monitum fuit atque obſervatum. Quæ quum ita ſint, gratiſſimam omnibus Numiſma-

Numiſmatum Hiſtoriarumque Cultoribus navabunt operam, ſi in continuando & perficiendo hoc Opere, quod publice teſtati ſunt, operam atque induſtriam ſuam deſiderari haud patiantur. Nunquam enim his mercibus deerunt emptores, propterea quod, præter jam commemorata, ornamentis, quæ vocant, externis omnibus præditæ, figuræque Numorum in æs inciſæ elegantiſſime expreſſæ ſint, nec characteres denique & charta nitore ac ſplendore ſuo deſtituantur. Et jam *Numiſmata* quoque *Hiſtorica Anni MDCCI* nuperrime prodiiſſe accepimus, de quibus dicemus alio tempore.

IL NUOVO CONFEDERAMENTO &c.

h. e.

NOVUM FOEDUS SUMMA FIDE EX GRÆCO Italice redditum a MATTHÆO BERLANDO DELLA LEGA, D. Theologo, Profeſſore Philoſophiæ & Linguar. Exotic. in Academ. Equeſtri Erlangana, & JAC. PHILIPPO RAVIZZA, Doctore Theologo.

Volumen II.

Chriſtian-Erlangæ, apud Dan. Mich. Schmalz, 1712, 8.
Alphab. 2.

REpræſentamus nunc poſteriorem Verſionis Italicæ partem, de cujus priore ſuperiore Anno commentati ſumus. Præfatio ſtrictius exponit, quam diverſa conſilia Interpretes in convertendo ex originalibus linguis Codice Sacro ſecuti ſint, cum alii verba verbis reddenda, alii, iique rectius ſentientes, mentem Scriptoris Sacri, dictione tamen non omnino neglecta, cum cura exprimendam cenſuerint. Hanc ſequitur Narratio hiſtorica *de Structura Papatus*, cujus architectricem ſolam aſtutiam fuiſſe contendunt Cl. Autores, quæ quatuor potiſſimum ſcopos, ad quos collinearet, præfixos ſibi habuerit, nempe ſubjectionem vulgi, amplificationem divitiarum, Pontificis & Cleri dignitatis incrementum, ac denique conſervationem partorum. Primum ſcopum aſſequi hujus conſilii autores voluerunt, Scripturam S. ex oculis lectorum amoventes, & ſolicite caventes, ne illa in linguas vulgares converteretur. Vulgus hoc modo faſcinatum facile ſe abduci ad imagines, ornamenta & variarum cere-

moniarum apparatum paſſum eſt, præcipue cum varia in præjudicium S. Codicis afferri ſolerent, quod ſcilicet non omnia ad ſalutem neceſſaria complectatur, obſcura præterea & ambigua ſit, & quæ ſunt hujus generis criminationes aliæ. Viciſſim judicium de rebus fidei ſoli Papæ relinquendum dicebatur, & cumulum addebat inſignis varietas, qua omnium animos, diverſis ceteroquin ſtudiis ductos, rapere ad ſe & pertrahere poterant. Pompæ veſtigia in Cardinalibus, Antiſtitibus, Templis &c. Stoicismi in Capucinis, otii in Abbatiis, Canonicatibus, Monaſteriis, doctrinæ apud Jeſuitas, ignorantiæ apud alios &c. inveniuntur. Cumulandis divitiis religionis prætextus quærebatur, nominatimque inſervire debebat novus fidei articulus, qui credere jubebat, pro peccatis homines in purgatorio ſolvere pœnas debere, quæ tamen per Miſſas frequenter, dato pretio, celebratas diminui poſſint. Huc invocatio Sanctorum & commenta de miraculis ac reliquiis eorundem ſimiliter referebantur. Exiſtimationem augebant tituli & elogia Papæ, quem vocabant Deum, Sponſum Eccleſiæ, Principem totius Orbis, Epiſcopum Oecumenicum &c. In honoris ſocietatem veniebant ſacrificuli, facta illis poteſtate ipſum Conditorem in Miſſa creandi. Magnificis verbis rem exponit *de Beſſe* lib. 1 c. 3 *de dignitate Sacerdotali: Creatura*, inquit, *obediebat Joſua, Creator Sacerdotibus. Illi Sol, his Deus, quotiescunque ſacrata verba proferunt. Sacerdotium & divinitas omnia habent communia, eandem magnificentiam, eandem poteſtatem.* Ut denique facultates his fraudibus partas tueri poſſent, Clerici conjugii uſu interdicebantur, quia verendum erat, ne Epiſcopi Eccleſiæ bona in familias ſuas migrare juberent. De dignitate & exiſtimatione tum Pontificis Rom. tum Cleri in univerſum ſimilibus mediis conſultum erat. Hæc & alia ejusmodi grata brevitate commemorant doctiſſimi Autores, quæ in compendio ſiſtunt illa, de quibus purioris Eccleſiæ Scriptores commentarium non unum in lucem protulerunt. Quod ad ipſam Verſionem attinet, eadem hujus Voluminis, Acta Apoſtolorum, Epiſtolas & Apocalypſin complexi, quæ prioris, ratio eſt, adeoque contextui ipſi variæ notæ & animadverſiones, partim ad reddendam interpretationis rationem, partim ad rerum diffi-

difficiliorum explicationem, partim ad diſſentientium, nominatim Pontificiorum, refutationem pertinentes, ſubjectæ leguntur. Sic ad Actuum c. I v. 18 diverſorum de Judæ morte ſententiæ & vocis ἀπάγχεσθαι notiones enarrantur. Ad Cap. III, 21 notantur Origeniſtæ recentiores, qui ſententiæ ſuæ præſidium eo in loco præter rationem quærunt. Ad Cap. V, 6, voci συςέλλειν notio *ſepeliendi* vindicatur, allegato Caſaubono Miſcell. Theolog. lib. VI c. 18, ubi veremur, ne quid, librarii vel typographi culpa, exciderit, cum Caſaubonus Miſcellanea Theologica non ſcripſerit, ac præterea cetera verba oſtendant, Autorem hujus notæ plures afferre voluiſſe. Ad Cap. IX, 32 Sancti quidam chimærici & manifeſtum fictionis argumentum ſecum ferentes nominantur v. c. S. *Almachius* ex voce *Almanacus*, qua Calendarium indicatur, ortus, *S. Corona* & *S. Zinonides* &c. In nominibus Scriptorum exprimendis nonnunquam a librario vel typographo erratum eſſe deprehendimus, v. c. p. 58, ubi Aut. Bideus de M. J. C. laudatur, qui dicendus erat Antonius Bynæus de morte J. C. Accedit Appendix binarum plagularum, quæ complectitur varias animadverſiones in N. T. ex Cl. Deylingii Obſervationibus Sacris repetitas.

JO. HENRICI FEUSTKINGII S.S. THEOL. Doctoris, ejusdemque Prof. Publ. Conſiſtorii Regio-Elector. Aſſeſſoris, Auguſtiſſimæ Electr. Saxon. Concionatoris Aulici, Seren. Ducis Saxo-Gothani Conſiliarii Eccleſiaſtici, h. t. Academiæ Wittebergenſis Pro-Rectoris, Palinodia Sacra, ſive de retractationibus Theologorum in rebus fidei ſchediasma.

Wittenbergæ, ſumtibus & typis Chriſtiani Gerdeſii, 1711, 4. Plag. 21.

QUod dudum deſideratum ab eruditis fuit, ut peculiare aliquod de retractationibus Theologorum in rebus fidei ſchediasma extaret, in præſenti erudito tractatu (quem duabus antea Diſſertationibus publicæ eruditorum diſquiſitioni ſubmiſerat) ſumma cum laude Summe Reverendus Autor præſtitit. Cum enim elegantes doctorum de retractationibus Patrum exſtent

meditationes, id unum reſtare videbatur, ut Theologorum quoque palinodiæ ſacræ peculiari ſchediaſmate Lectori exhiberentur. Sub initium hujus ſchediaſmatis in veras tam parcæ noſtra ætate retractationis cauſas inquirit, quarum præcipuas, philavtiam, arrogantiam, malitiam atque inſcitiam recenſet. Poſtea vocis *palinodia* ἔτυμον evolvit, imprimisque ſe Theologorum, qui Lutheri ætate & ſubſequentibus ſeculis defenſionem Eccleſiæ ſuſceperunt & ab objectis criminibus eandem perpurgarunt, retractationes conſideraturum pollicetur. Interim vero illorum quoque ὡς ἐν παρόδῳ mentionem injicit, qui metu ſupplicii, aliisque nefandis de cauſis, relicta vera, falſam religionem amplexi ſunt, quales ſunt Hieronymus Pragenſis, Thomas Cranmerus, Andreas Frommius, & Chriſtophorus Polargus, quin & Patres nonnullos, Auguſtinum, Origenem, Hieronymum Stridonienſem &c. commemorat, ut JCtorum, Medicorum (quos inter doctiſſimus artis ſalutaris in hac Academia Doctor, Johannes Bohnius primum locum obtinet) Criticorum, Philoſophorum, Hiſtoricorum (in quorum numero etiam Celeberrimus Jenenſium Theologus, Joannes Franciſcus Buddeus, & Vir Cl. Burchardus Gotthelf Struvius recenſentur) Pontificiorum denique ac Reformatorum exempla prætereamus. Ad Theologos vero dum propius accedit, varias claſſes conſtituit, eoque primo loco de iis, qui falſam, quam ante profeſſi ſunt, religionem rejecerunt, Urbano Rhegio, Petro Paulo Vergerio, & Jacobo Reihingio, qui a Pontificiis ad Lutheranos *tranſierunt*, hinc de iis, qui perperam a ſe facta condemnarunt, exemplo Tilemanni Heshuſii, qui, ſe peccaſſe, quod a D. Georgio Majore, Brabeuta, titulum & privilegia Doctoris Theologi acceperit, publice faſſus eſt, commemorat. Deinde de iis agit, qui integros libros vel ſuſpectos, vel ſcandaloſos, vel mala fide conſcriptos, repudiarunt, ut ſunt Bucerus, Æneas Sylvius, Beza, Beverland & Claudius Salmaſius. Chytræum quoq; & Hutterum ex eorum numero, qui, quæ in rebus hiſtoricis contra fidem publicam commiſerant, agnovere, in medium affert. Præterea eos, qui palinodiam in re illicita factam denuo retractarunt, recenſet, quo Hieronymum Pragenſem & Thomam Cranmerum, quorum mentio jam antea

facta

Digitized by Google

facta eſt, refert. Denique ad eos, qui a ſententiis ſacris & in rebus fidei aſſertis, admiſſis quondam atque defenſis, receſſerunt, ſe recipit, primumque eos, qui doloſe revocarunt, e. g. Euſebium Nicomedienſem, Berengarium Presbyterum, Huldaricum Zwinglium, &c. quorumque retractatio fuit inconſtans, exemplo Samuelis Huberi; impedita, exemplo Eraſmi Glizneri; incerta, exemplo Petri Abælardi; coacta, exemplo Papiſtarum, ſeorſim conſiderat, & tum demum ad enumeranda longo agmine, obſervato temporis, quo vixerunt, ordine, noſtratium Theologorum exempla pergit. Provocat itaque ad ipſum Megalandrum noſtrum B. Lutherum, quem reliqui Theologi de Eccleſia Chriſti optime meriti, Philippus Melanchton, Johannes Æpinus, Johannes Bugenhagius, Andreas Bodenſtein Caroloſtadius, Michael Stieffelius, Johannes Agricola, Andreas Muſculus, Georgius Major, Eraſmus Sarcerius, Johannes Matthæi, Smalcaldienſis, (quem cum Johanne Matthiæ, Epiſcopo in Suecia Stremenſi, qui Syncretiſticas favit opiniones, easque pariter retractavit, non confundendum eſſe obſervat,) Paulus Crellius, Nicolaus Selneccerus, Gelmerus Nemorimontius, Georgius Kargius ſive Parſimonius, Georgius Mylius, Nicolaus Hemmingius, Joachimus Stygius, Tilemannus Heshuſius, Daniel Hoffmannus, Eilhardus Lubinus, Balthaſar Meiſnerus, Juſtus Feurbornius, Johannes Gerhardus, Conradus Dietericus, Detlevus Meierus, Chriſtophorus Raſelius, Jacobus Taubius, Thomas Tantovius, Martinus Statius, Henricus Nicolai, Petrus Muſæus, Johannes Conradus Durrius, Johannes Hulſemannus, Johannes Adamus Scherzerus, Salomon Glaſſius & Auguſtus Pfeifferus longo ordine ſequuntur. Ceterum hiſtoria retractationum per ſingula exempla copioſe & eleganter traditur, & epiſtolæ quoque nonnullæ amœbææ, quæ ad declarandam & uberius explicandam hiſtoriam facere videbantur, inſuper adduntur.

Kurtzer Bericht von Veränderungen des Teutſchen Reichs/ &c.

h. e.

h. e.

DE IMPERII GERMANICI MUTATIONIbus Notitia brevis; Autore BURCHARDO GOTTHELF STRUVIO.

Jenæ, apud Joh. Felicem Bielkium, 1712, 4. Plag. 8.

QUemadmodum historia Germanica præcipua prudentiæ politicæ pars est, omnisque historiæ reliquæ præcipuum fundamentum, ita Excellentissimus Autor omne suum studium diligentiamque eo convertit, ut hanc elegantissimam eruditionis partem e tot præclarissimis rerum Germanicarum monimentis indies magis magisque erueret. Et ejus quidem Syntagma Juris Publici alibi recensuimus. Sequitur præsens opusculum, quo in gratiam Auditorum historiam Germanicam rite pertractare, eandemque cum Juris Publici notitia conjungere docet. Igitur secundum quatuor Imperii Germanici mutationes, periodos historiæ constituit quatuor, quarum prima Germaniam liberam, altera eandem sub Romanis, tertia sub Francis, ultima sub Germanis Imperatoribus exponit. Quæ fatales Imperii vastissimi mutationes uti formæ irregularis, quemadmodum nonnulli loqui amant, fuerunt causæ; ita Juris Publ. scientiæ tractandæ periodos constituit septem, quarum primam ab Ottone M. qui anno 962 electus fuit Imperator, usque ad Henricum IV, alteram usque ad interregni tempora, tertiam ad Carolum IV, quartam ad Maximilianum I, quintam ad Carolum V, sextam ad pacem Westphalicam, septimam denique ad hæc tempora pertexit. Præcipue vero id agit, ut omnia e genuinis fontibus rerumque Germanicarum monimentis depromat; & eadem ratione historiam Germanicam suam evulgandam promittit, quam Orbis literatus avide exspectat.

ERRATUM.

M. Jan. p. 22 l. 20 dele *Hieronymi.*

* *
*

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno M DCC XII.

SILESIA NUMISMATICA, oder Einleitung zu dem Schlesischen Müntz-Cabinet.

i. e.

INTRODUCTIO AD REM SILESIÆ NUMARIAM, in qua 368 ex parte rarissima, antiquissima & pulcerrima, intra Silesiam cusa, numismata, æri incisa accurate repræsentantur, cum studio & cura enarrantur, ac simul complures in Historia Silesiaca admissi errores deteguntur; Autore M. GODOFREDO DEWERDECK, Archi-Diacono & Bibliothecario Templi Petro-Paulini apud Lignicenses.

Jauravii, impensis Autoris, 1711, 4.
Alph. 5 figg. æn. plag. $11\frac{1}{2}$.

POst complurium Virorum eruditorum in Historia Silesiæ illustranda navatam operam, supererat, ut illa ex numismatibus Silesiacis modo confirmaretur, modo emendaretur, modo collustraretur. Id vero qui tentaret, nemo hactenus fuerat præter Godofr. Rhonium, cujus de studio Rei numariæ Silesiacæ Epistola, & de numis Episcopalibus Johannæis Vratislaviensibus Exercitatio, utraque Vratislaviæ A. 1693, 4 edita, multa de affecto illius de re numaria Silesiorum opere integro sperare nos jubebat, nisi præmatura morte abrepto Autore res intra spem substitisset. Præclarissime ergo de Historia Silesiorum meritus est Plur. Reverendus & Clariss. *Dewerdeckius*, quod viam nemini antea tritam ingressus, eleganti Opere hoc rem numariam Silesiorum ornaverit atque enarraverit. Fundamenti vero loco substravit Autor Dissertationes Viri in Histo-

ria hac citra controversiam principis, B. Martini Hankii, *de Moneta Silesiorum*, Dramatis Gymnastici instar, ut Vratislaviæ exhiberi solent, sub forma Dialogorum publice A. MDCCVI d. 22
p. 32 sqq. Junii exhibitas. Has, inquam, a B. Hankio Autori concessas & revisas, in initio operis collocatas habes, ac deinceps perpetuo veluti commentario enarratas, persæpe auctas, aliquando & emendatas. Ipsum opus in sex Libros dispescitur, quorum *Primus* de supremorum Silesiæ Ducum intra hanc provinciam
89 sqq. cusis numismatibus agit. Eo titulo a Poloniæ Regibus cusas monetas vel dari posse vel re vera dari negatur, eaque occasione suprema potestas Ducum Silesiæ a Polonicorum Historicorum detorsionibus vindicatur. Inter Bohemiæ Reges, quibus se spon-
112. te sua Silesiæ Duces Seculo XIV certis conditionibus subjecere, primus memoratur Ladislaus, in cujus numo aureo Silesiæ dominium innuitur, quippe in quo inter insignia post fascias Hungaricas, & leonem Bohemicum, tertio loco succedit aquila Silesiaca, quarto fascia Domus Austriacæ. Inde inter Regum Bo-
118 sqq. hemiæ numos recensetur curiosus Uladislai, obuli magnitudine, numus, quo iste Rex dextra manu filium Ludovicum recens coronatum gestans in adversa parte, in aversa aquila Silesiaca repræsentatur, quemque A. MDXI, cum Uladislaus una cum filio Ludovico Vratislaviam venisset, ut filio homagium præstaretur, cujus rei circumstantiæ curiose hic describuntur, percussum esse
130 sq. existimatur. Post Ludovicum Ferdinandi I aureus imprimis notandus, A. MDLXIII factus, cujus adversa imaginem ipsius cum titulo: FERDI. D. G. EL. R. IM. S. A. G. H. BO. aversa pars aquilam imperialem duplicem, cujus pectori impositum scutum minus Silesiacam aquilam monstrat, cum perigraphe: REX INF. HISP. ARC. AU. D. SILÆ. 1563, raro insignium Silesiacorum honore si-
138. stit. Cui non valde dissimilis est Rudolphi II aureus, nisi quod parma, Silesiacam aquilam habens, superimposita sit mediis Re-
137. gni Hungariæ & Bohemiæ insignibus. Ac ne id quoque prætereamus, in aureo numo, cujus adversa Maximiliani II Imperatoris faciem gerit, aquilam in aversa exhibitam, quæ globum pede tenet, cum perigraphe: DOMINUS PROVIDEBIT, Silesiacam omnino esse, asseritur. Inde inter alios habes quatuor numos

mos Friderici Electoris Palatini, quorum duo coronam exhibent p. 149 sqq.
quinque manibus sustentatam, quarum una Silesiam haud dubie repræsentat, cum inscriptione: *Dante Deo & Ordinum Concordia*, tertius *Ducem Silesiæ* cum diserte nominat, quartus cum hoc titulo insignia Silesiæ cum aliis repræsentat. Inter Ferdinandi
II, III, Leopoldi I & Josephi I numos, etiam intra Silesiam cusos, 165, 166.
raro invenias quicquam præter titulum Ducis Silesiæ, aliquando statim regiis titulis adjectum, nisi quod in Ferdinandi II crucigero anno 1626 percusso aquila Silesiaca etiam a dextris fasciæ Austriacæ, & in Leopoldi dimidio unciali A. 1695 cuso eadem scuto in medio reliquorum insignium superimposita appareat. In universum notandum est, partim obolos, partim æreos numos rationibus Cameræ Silesiacæ inservientes ab antiquo tempore non gessisse nisi initialem literam nominis ejus, qui tum regnabat, Regis, tectam vel corona Bohemica vel Imperiali, addito quandoque anno, aversa vero parte aliquando leonem Bohemicum, sæpius aquilam Silesiacam referente, quod numis Uladislai, Ludovici, Ferdinandi I & II Maximiliani II & Rudolphi II
probatur. *Libro Secundo*, de Ducum Silesiæ numis agente, primo 167.
disquiritur de jure monetandi, quo gavisi sunt Duces illi Piastæi, atque id eos ab avis suis ad se delatum accepisse, neque eo se defraudasse, cum Bohemiæ se adjungerent, demonstratur. Cum-
que Episcopi Vratislavienses ob Ducatum Nissensem Ducibus Si- 172 sqq.
lesiæ ipsi quoque accenseantur, illos jus istud ex donatione Piastæi Henrici, Ducis Silesiæ, Cracoviæ & Sendomiriæ obtinuisse, ejusque donationis diploma, quod integrum hic adducitur, non, ut vulgo credunt, ab Henrico II sive Pio A. 1240, sed ab ejus nepote, Henrico IV Probo, A. 1290 datum fuisse, fuse & accurate docetur, & duo numi, qui videntur esse Episcopales, satis antiqui adducuntur. Inter indubitatos Episcopales, de quibus Cap. II agitur, primus hactenus inventus est Johannis Tursonis nu-
mus, in adversa caput Johannis Baptistæ, cum perigraphe: S. 189 sqq.
BAPTIST. SUCCURRE. in aversa insignia gentilitia Episcopi exhibens cum verbis: JOANNES EPUS VRAT. Huic a Maximiliano I Imperatore data confirmatio juris monetandi, occasionem dedit verbis: *Munus Cæsaris Maximiliani*, quæ in suc-

Digitized by Google

ceſſorum, *Jacobi a Salza*, *Balthaſaris a Promnitz*, *Caſpari a Logau*, *Martini Gerſtmanni*, *Johannis a Sitſch*, & *Sebaſtiani Roſtock* numis fere ſemper apparent, ab Epiſcopis vero illis, qui ipſa nativitate Principes erant, ſemper ſunt omiſſa. Præter ea vero, quæ hac occaſione de Epiſcopis iſtis memorantur curioſa, cumprimis notari meretur inſolita inſcriptio numi a Caſpa-
p. 209 ſqq. ro a Logau cuſi, qua ſe ipſum ita appellat: CASP. LOGUS EPI. VRA. IM. FER. DEC. h. e. *Epiſcopus Vratislavienſis Imperatoris Ferdinandi Decreto.* Neque prætereunda forte eſt averſa numi, a Mart. Gerſtmanno Epiſcopo Vratislavienſi facti, qua circa cornu
214. copiæ apes duæ exhibentur cum verbis: *Et mel & aculeus*; ejusdemque Epiſcopi amor erga Hiſtoriam Sileſiacam laudatur, quæ ab ipſo juxta ſeriem Epiſcoporum cœpta, ut a Secretario Wenceslao Cromero continuaretur & publicaretur, huic mille vallenſes teſtamenti tabulis legavit. Quibus merito adjungimus ſuc-
217. ceſſoris ejus Andreæ Jerini verba: *Utinam noviſſima providerem*,
223. & tertii ab hoc Epiſcopi, Caroli Archiducis Auſtriæ: *Anima mea*
225 ſqq. *ad te Deus deſiderat*, numis ipſorum impreſſa. De quo Carolo dum agitur, literæ ipſius Niſſæ d. 14 Auguſti A. 1619 ad Archi-Epiſcopum Gneſnenſem datæ, quibus Epiſcopatus Vratislavienſis in iſtius temporis turbis Regi Poloniæ commendatur, & *ea, quæ Sedi Metropolitanæ Gneſnenſi antiquitus a Vratislavienſi tanquam Filia debeatur, connexio* commemoratur, ab Autore adducuntur & excuſantur. Poſt Carolum Ferdinandum, Sueciæ & Poloniæ Principem, cujus pleroſque numos condecorant verba: *Omnis poteſtas a Deo eſt*, & ſucceſſores ejus, memorandum eſt cum-
250. primis Friderici Landgravii Haſſiæ, Cardinalis & Epiſcopi Vratislavienſis, numiſma, in averſa parte pedilavium Chriſti repræſentans, cum verbis: *Exemplum enim dedi vobis, Io. 13*, quod ſpectat ad imitationem hujus facti quotannis ab Epiſcopo Vratislavienſi
262. ſuſcipi ſolitam. Inter Lignicenſium & Bregenſium Ducum numos, de quibus Cap. III ſermo eſt, haud immerito forte Henrico Barbato vel ejus conjugi Hedwigi tribuitur ille, qui adverſam aquila liliis circumſperſa inſignitam, averſam voce TREBNIZ inſcriptam exhibet, quod monaſterium Hedwigis munificentiæ debetur. Inter alios antiquos, ſed incertæ ætatis, qui ibidem adducuntur, haud prætereundus eſt is, qui Ducis imaginem gladium

trans-

transverſum tenentis, cum verbo: *Boleslaus*, altero latere caput humanum, cum verbis: *SCS. Adalbertus* exhibet, & Boleslai III p. 265.
eſſe exiſtimatur, cujus filios duos Wenceslaum I & Ludovicum I 268 ſqq.
a Rege Bohemiæ A. 1342 ſimultanea, quam vocant, inveſtitura honoratos, duobus numis bracteatis, quorum uterque duas facies ad ſe invicem converſas cum vexillo, alter vero literas WENC. alter EVICus, exhibent, repræſentari creditur. Non 273 ſqq.
memoraremus hic alium numulum, aquila Sileſiaca cum literis L.D.B. altera vero parte Diva templum manu gerente inſignitum, niſi monendum eſſet de Ludovico II Duce Bregenſi anno 1374 nato, anno 1436 mortuo, cui hic numus tribuitur, multa notatu digna ab Autore congeſta hic eſſe. Certiores vero ſunt, qui 281 ſqq.
ſequuntur, ex quibus primus eſt Friderici I Ducis Lignicenſis, Sanctæ Hedwigis, ut prolixe demonſtrat Autor, in parte averſa imaginem geſtans. Cujus filius Fridericus II uti ad oſtendendum pro veritate Evangelii zelum plerisque numis ſuis verba hæc inſculpi fecit: *Verbum Domini manet in æternum*, ita 294 ſqq.
& inſignia Ducum Lignicenſium primus integra in illis repræſentavit, quæ Reverendus Autor late explicat, & errores circa illa plerorumque Heraldicorum manifeſte detegit. Qua occaſi- 302.
one & de hujus Friderici A. 1507 in Palæſtinam ſuſcepto itinere, 306.
ubi Eques auratus eſt creatus, & de bello ab ipſo Vratislavienſi- 321 ſqq.
bus A. 1509 illato, ac biennio poſt ſopito, deque illius pro orthodoxia evangelica ſtudio contra Fanaticos, Valentinum Krantwaldum & alios, ex MStis & aliis monumentis multa cum cura enarrantur. Porro cum A. 1546 Regio mandato vetitum eſſet Ducibus 318.
Lignicenſibus, ne monetam cuderent amplius, id jus tandem, poſtquam Joachimus Fridericus luculenter demonſtraſſet, ſibi illud legitime deberi, ad Duces rediit. Hujus A. 1602 defuncti memoriæ primum, quod quidem conſtet, in Sileſia cuſis numismatibus eſt parentatum, poſt quem filii duo Joh. Chriſtianus & Georgius Rudolphus ad Annum fere 1622 omnibus monetis ſuos utriusq; imagines & titulos inſculpi curarunt. Tum inter Johannis Chriſtiani numos notandi imprimis ſunt illi, quibus inſcriptum eſt ſymbolum: *Integritas & rectum cuſtodiant me*, de quo Duce 347.
inter alia a Reverendo Autore monetur, male illi tribui tritum

 illud

p.348. illud *Conſilium & Mandatum Ducale de neceſſaria perſecutione
mediorum, *quibus Dei juſtum judicium*, *ira & pœna*, *quam ho-
die Orbi minatur,rite agnoſcatur*, *& ſi non penitus averruncetur,
ſaltim aliquo modo mitigetur*. Nunquam id autoritate Ducis
publicatum, ſed a Johanne Theodoro de Tſeſch, Equite Sileſio,
Apologia pro Jac. Behmio ſcripta famoſo, ex odio adverſus or-
thodoxos Miniſtros conſarcinatum, deinde ab Abrahamo de
Franckenberg, hujus amico, ut Amſtelodami imprimeretur, cu-
ratum fuiſſe contendit. Inter Georgii Rudolphi numos me-
morabile eſt, cum in numo A. 1621 cuſo ſe appellare Ducem Si-
leſiæ Lignicenſem, Bregenſem & *Goldbergenſem*, quod tamen no-
vum non eſſe Ducibus Lignicenſibus, erudite ab Autore monſtra-
335 ſqq. tur. Neque forte eſt prætereundus numus major ejusdem, cu-
jus averſa Lignicium ab ipſo novis aggeribus munitum, tanquam
346. obſeſſum ſiſtit, cum verbis, quæ ſymboli loco ipſi erant: *Si Deus
pro nobis, quis contra nos?* 1622; nec alter minor, cujus averſa mon-
342 ſqq. ſtrat verba: *Fürſtlich Almos* h.e. *Eleemoſyna Ducalis*, de qua elee-
moſyna, quotannis die Soterio Lignicii incredibili pauperum
numero confluenti dari adhuc ſolita, multa curioſa hic memo
rantur. Succeſſere huic filii Johannis Chriſtiani, Georgius, Lu-
dovicus & Chriſtianus, diviſis poſſeſſionibus in Ducatum Li-
gnicenſem, Bregenſem & Wolavienſem, ubi imprimis legi me-
rentur, quæ Cl. Autor ad vindicandam diſtrictui Wolavienſi
362 ſqq. *Ducatus* appellationem ex antiquis monumentis producit. Hi
Fratres plerumque conjuncti in numis viſuntur, aliquando
cum verbis: *Sufficit mihi Gratia tua Domine*, ſoli utplurimum
cum ſymbolis: *Sors mea a Domino: Conſilium Jehovæ ſtabit:
385. Conſtanter & ſincere*. Chriſtiano, de cujus circa Superintendentis
Reformati apud Lignicenſes conſtitutionem cum Statibus ſuis
diſſidio hic etiam agitur, ſuccedentis filii Georgii Guilielmi,
præmatura & luctuoſa morte A. 1675 abrepti, tam recens eſt in
animis pariter & numis memoria, ut eos, ab Autore licet ſtudioſe
collectos, hic tamen memorare vix attineat. Properamus enim ad
Librum tertium, quo reliquorum Ducum Sileſiæ numi pertra-
ctantur. Capite I, ubi de Monſterbergico-Olſnenſibus agit,
408 ſq. ex Polonorum ſive Piaſtæorum, qui Ducatum Monſterbergenſem
poſſedere,

Digitized by Google

possedere, Ducum numis unus est a Clar. Autore adductus, cujus latus alterum aquilam cum perigraphe: *Juvenum Bol.* (ita Autor legit, & explicat: *Juvenum Bolkonis*,) alterum galeam cum voce *Muensterberg* gerit. Obscurissimus vero est alius, ad Duces Monsterbergicos familiæ Podiebraticæ quidem haud dubie spectans, e Gazophylacio Arnstadiensi hic adductus. Utrumque p. 411 sqq.
latus leonem sistit ad dexteram conversum, & pede sinistro scutum tenentem, cui Luna falcata & duæ stellæ insculptæ sunt. Inscriptio adversæ est: *Grossus Ducum Muns.* aversæ: *M. Ducissa de Sagan.* Hoc nomen & insigne qui recte explicet, ut inveniatur, vehementer optat Autor. Succedunt deinde certiores, Caroli, mox Joachimi, Henrici, Johannis, & Georgii fratrum, Henrici & Caroli fratrum, numi, plerique insignibus Monsterbergico-Olsnensibus, altera vero parte verbis: *Moneta Reichsteinensis*, & S. Christophori, aurifodinæ Reichsteinensis Patroni, imagine insignes. Ubi inter alia, cur Duces isti utplurimum ita titulum suum expresserint: *S. R. I. Princeps, Dux Monsterbergensis, Silesia-Olsnensis*, *Comes Glacensis*, &c. erudite Autor persequitur. 419 sqq.
Eundem titulum retinuit postremo nominatus inter hos Duces Carolus II, licet jam vendito Ducatu Monsterbergensi & Comitatu Glacensi, cujus ad annum usque 1617, quo beate omnibus bonis desideratissimus obiit, numos sat multos hic habes, imprimis funebres complures, meritæ Ducis istius gloriæ testes locupletissimos. Hujus filiorum par, Henricus Wenceslaus, & Carolus Fridericus, ex Podiebratica Domo postremi, primo conjunctim, inde separatim numos cudi fecere, ille addito quandoque symbolo: *Sufficit mihi Gratia tua Domine*, hic: *Dominus Protector meus*, difficillimis uterque temporibus. Qui dum enarrantur, additur ab Autore insignium Monsterbergico-Olsnensium 439 sqq.
explicatio prolixa. Caroli Friderici filia Elisabetha Maria cum beneficio privilegii, a Johanne Rege Bohemiæ A. 1338 dati, quo Olsnensis Ducatus feudum fœmininum esse jubebatur, cum ad Sylvium Nimrodum, Ducem Wurtenbergicum, conjugem suum, devolverit, hujus non nisi unus numus, Elisabethæ Mariæ autem A. 1686 demortuæ duo funebres adducuntur. Filii tres Sylvius Fridericus, Christianus Ulricus & Julius Sigismundus

tot

tot tamque elegantibus numiſmatibus nomen pariter ſuum,
familiæque, & nuptiarum ſolennitates conſecravere, ut nobis vix
integrum ſit quicquam ex iis decerpere, rectiusque ad ipſum Au-
torem remittamus harum rerum curioſos. Unum non adduce-
p. 452 ſqq. re non poſſumus, Jubilæi Tubingenſis ſolennitati a Sylvio Fri-
derico in ipſa Sileſia ſacratum, cujus imaginem & titulum adver-
ſa pars, averſa Coronam Ducalem e nubibus porrectam, ac ſub
ea pulvinari incumbentem caduceum repræſentat, ſubſcriptis
verbis: *Olsnæ Sileſiorum* 1677, perigraphe vero hæc eſt: *Eberhardus
Barbatus ex utroque immortalis.* Der hat die Hertzogs-Wür-
de bracht *1495 d. 21 Julii* und Tübingen berühmt gemacht *1477
d. 31 Julii* h. e. ille Ducalem dignitatem in Familiam introduxit,
ille Tubingam celebrem reddidit. Chriſtiani Ulrici filiis, Ca-
rolo Friderico & Chriſtiano Ulrico, & Julii Sigiſmundi filio Ca-
rolo, hodie ſuperſtitibus, ſacros numos deinde habes, quibus
488. adjuncta eſt vindicatio tituli *Ducatus* diſtrictui Berolſtadienſi da-
ti, & inſignium in hac Familia obtinentium enarratio. Cumque
a Ferdinando III Ducatus Monſterbergenſis Auerſpergiis Princi-
pibus in feudum conceſſus ſit, unus Joh. Weickhardi numus ad-
491. ducitur, hac inſcriptione gaudens: *Joann. We. D. G. Dux Mun-
ſterberg. S. R. J. Princeps ab Auerſperg.* Ratiborenſium Ducum
familia A. 1516 exſtincta, Oppolienſium A. 1532, (de quibus Cap.
II agitur) ceſſus eſt uterque Ducatus cum Monſterbergenſi a Fer-
dinando I Iſabellæ viduæ Johannis de Zapolia, ejusdemq; filio A.
1551, qui, quanquam jam dudum violata ſtipulatione, tamen in au-
501. reis A. 1565 cuſis inter inſignia Sileſiacam aquilam videtur agno-
ſcere cum titulo: *Joannes Secundus D. G. electus Rex Ungariæ.*
Quomodo & Bethlenus Gabriel, qui poſt Sigiſmundum Bathori
hos Ducatus a Ferdinando II A. 1622 obtinebat, etſi iis A. 1623
jam exutus erat, tamen & titulum & inſignia eorum in numis
508 ſq. ſuis conſtanter retinuit. Teſchinenſium Ducum primus, qui
reperitur, numus eſt Wenceslai, A. 1560, & alter A. 1574, uter-
que cum verbis: *Benedictio Domini divites facit*, cuſus. Ubi
omnino obſervanda ſunt, quæ de titulo Teſchinenſium Ducum,
515 ſqq. quo ſe *Duces Majoris Glogoviæ* appellabant, Cl. Autor monet,
partem nempe Ducatus imo Civitatis quoque Glogovienſis Caſi-
mirum

mirum Teſchinenſem a Johanne Rege obtinuiſſe, atque ejus rei memoriam, quanquam ipſo dominio a Ducibus Teſchinenſibus Regi Matthiæ I ceſſo, per hunc titulum ſervatam fuiſſe. Filium p. 525 ſqq.
Wenceslai Fridericum Caſimirum Patre adhuc ſuperſtite, A. 1569 numos cudi feciſſe memorabile eſt, de cujus nuptiis cum Catharina, Friderici III Ducis Lignicenſis filia, & Friderici hujus proſcriptione bene multa ex MSCtis adducuntur. Poſtremi Teſchinenſium Ducis Friderici Guilielmi numi non habent quicquam aliud ſingulare, niſi epigraphen averſæ, ſymbolum nempe Ducis: *In Deo meo transgrediar murum*. Hoc A. 1625 mortuo Eliſabetha Lucretia ſoror Ducatum tanquam feudum fœmininum ſibi poſtulabat, cujus & numos habes, inſcriptos altera parte: *Eliſabetha Lucretia, D. G. in Sileſia Teſchinenſis & Maj. Glogoviæ Ducifſa, Principiſſa de Lichtenſtein*, altera: *Moneta nova argentea Teſchinenſis*. 534.
Sed abjudicato illi hoc jure, Ferdinandus III Ducatum accepit. Oppavienſium Ducum in omni Sileſiaca hiſtoria intricatiſſimam ſeriem Cl. Autor prolixe perſequitur, deinde Caroli & Caroli Euſebii, Principum de Lichtenſtein, quibus is Ducatus ceſſit, numos adducit. E Marchionibus Brandenburgicis, qui Sileſiæ Ducum titulum in numis geſſere, primi fuiſſe videntur Georgius, & hujus ex fratre nepos Albertus, qui conjuncti in numis uncialibus viſuntur, cum epigraphe: *Georgius & Albertus, Marggr. Bran. & Sleſie*. In altera parte perpetuo verba exhibentur: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Cum vero diſſentiant inter ſe Hiſtorici, quo titulo Georgius Marchio a Ludovico Rege acceperit Ducatum Carnovienſem, Cl. Autor eos probat, qui commutatum cum iis quæ a Beatrice, Joh. Hunniadis filia, prima conjuge ſua, acceperat Georgius, prædiis in Hungaria hunc Ducatum fuiſſe tradunt. Aquila Sileſiaca ſive Croſnenſis inter numos Brandenburgicos primum comparet in numis Johannis A. 1548 cuſis, deinde in complurium Electorum, imprimis Friderici Guilielmi M. numiſmatibus frequentiſſime, de quibus ut & reliquorum Marchionum Domus Onoldienſis, qui Carnovienſium Ducum titulo uſi ſunt, numis Cl. Autor agit. Saxonicorum Ducum, quibus ab A. 1472 Saganenſis Ducatus ad A. 1548 usque ſuberat, non dantur numi, qui hujus in Sileſia dominii ullam mentionem faciant.

537 ſqq. 546. 552. 561. 574.

p. 577. Idem vero Ducatus A. 1628 Alberto Wallenſteinio donatus, ab
hoc plurimis, Sagani etiam percuſſis, numiſmatibus eſt nobilita-
tus. Ducum Glogovienſium numus vix alius eſt exſtantior, quam
qui a Sigismundo, Uladislai Regis Bohemiæ Fratre, deinde Rege
594. Poloniæ, cuſus eſt, cum epigraphe: *Sigismundus Dux Glogoviæ,*
Kazimiri Regis Poloniæ natus. Inter Suidnicenſes Duces Bol-
koni, Boleslai Calvi filio, A. 1304 mortuo, tribuitur a Cl. Autore
numus antiquus ſed elegans, aquilam Sileſiæ, ac in altero latere
598 ſqq. galeam plumis pavonis ornatam cum epigraphe: *Galea Ducis*
Bolkonis ſiſtens, de quo Bolkone & aliis ad Sileſiæ Hiſtoriam in-
timiorem ſpectantibus multa hic curioſe annotantur. *Liber*
quartus de Comitum, Dynaſtarum & Urbium Sileſiæ numis
agens, primo Comitatum Glacenſem, variis ab omni memoria
Dominis obnoxium, exhibet, qui poſtquam a Podiebraticis A.
616. 1500 venditus eſſet, inde A. 1537 Johanni Baroni a Bernſtein in
618. Helffenſtein ceſſit, cujus numi habentur: quo privilegio etiam Er-
neſtus Comes Palatinus Rheni ab A. 1549 uſus, tum vero ipſe
Comitatus Regum Bohemiæ perpetuo dominio redditus eſt.
Frequentior eſt in numis memoria Dynaſtiæ Reichenſteinenſis
inſigni aurifodina nobilitatæ, cujus nomen pleroſque Ducum
Monſterbergenſium numos gerere ſupra notavimus, qui cum il-
624. lam A. 1581 Wilhelmo a Roſenberg in Crumman, Gubernatori
Domus Roſenbergicæ, vendiderint, viſuntur ab eo tempore hujus
Wilhelmi & Petri Woki a Roſenberg Reichſteinenſes numi,
631. quod nomen & frequens eſt in Johannis Chriſtiani & Georgii
Rudolphi Ducum Lignicenſium & Bregenſium numis, quorum
636. Parens Dynaſtiam hanc a Roſenbergiis acquiſiverat. Warten-
bergicæ quoque Dynaſtiæ, quod vix ſperabatur, monumentum
in numo invenit Reverendus Autor, quem repræſentat, a Georgio
Braunio Libero Dynaſta Wartenbergico A. 1589, haud dubie pecu-
liari Rudolphi II, cujus literam initialem averſa pars habet, gratia
cuſum. Civitatem Sileſiæ vix ullam eſſe alicujus momenti, quæ
non monetandi jure gaviſa fuerit, monſtrat Cl. Autor, & addu-
645 ſqq. cuntur quidem numi Civitatis Leobergenſis, tum Suidnicenſis,
cujus exſtant & antiqui obuli minores, & groſſi, & recentiores
numi majores, qui dum recenſentur, de nominis Suidnicii ori-
gine,

gine, de inſignibus civitatis, de turbis & tumultibus a civitate iſta ob monetæ mutationem præcipue A. 1514 motis, ac de variis hujus juris monetandi in illa urbe periodis ſingularia multa monentur. Lignicenſis civitatis numi ſequuntur, de qua ſperare jubemur adhuc publicationem Memorabilium Lignicenſium a D. Georgio Thebeſio jam dudum accuratiſſime ſcriptorum, hactenus in MSCto ſervatorum, ſed a Cl. Autore plus una vice hic allegatorum. Dum in inſignium Civitatis hujus, a Ladislao Rege Bohemiæ auctorum, enarratione verſatur Autor, contentionem ſimul perſequitur, quæ poſt mortem Ludovici II Ducis Lignicenſis, & Eliſabethæ Conjugis ejus, de ſucceſſione interceſſit inter Fridericum III Imperatorem, Ladislai Bohemiæ Regis tutorem, feudum tanquam vacuefactum pupillo ſuo vindicantem, & Johannem ac Henricum Duces Lubenſes, Ludovici II ex fratre abnepotes, a civitate Lignicenſi feudi hæreditarii prætextu armata vi homagium exigentes; inque difficillima iſta re Lignicenſium conſilia & facta deſcribit, laudat & ab atris adſperſionibus prolixe vindicat. Inde numi civitatum Goldbergenſis, Lubenſis, Olavienſis, Wolavienſis, Monſterbergæ, Strigoviæ, Glogoviæ, Niſſæ, (de cujus donatione, qua Epiſcopatui Vratislavienſi acceſſit Jaroslai voluntate, hic multa obſervantur,) Carnoviæque ſuccedunt. Integer *Liber quintus* abſolvitur numis civitatis Vratislavienſis enarrandis. Ea civitas juris cudendæ monetæ, jam A. 1334 a Duce ſuo Henrico V obtenti, a Carolo IV A. 1360 & 1362 confirmationem adepta, ab eo inde tempore obulos diverſa & figura & ſculptura fieri fecit, quorum aliquot Cl. Autor repræſentat. Id jus a Matthia I luculenter confirmatum, qui, quanquam A. 1470 ipſe regiam officinam monetariam Vratislaviæ conderet, diſertis tamen verbis cavit, ne illa officinæ monetariæ Civitatis quicquam obeſſet, inde a Ludovico A. 1523 omni libertate largiſſime donatum eſt. Unde frequentes ſunt groſſi Vratislavienſes *Matthiani* dicti, Patrono Urbis Johanne, & inſignibus Matthiæ I inſculptis gaudentes. Quanquam alii numi aurei Vratislavienſes, ſub Uladislao, Ludovico & Ferdinando I percuſſi, loco Johannis Baptiſtæ Wenceslaum Ducem Bohemiæ Patronum præ ſe ferant. Præter vero hos aureos primi unciales Vratislaviæ

[Margin: p. 676 ſqq. — 697 ſqq. — 724 ſqq. — 731 ſqq. — 739 ſq. — 756 ſqq.]

cuſi ſunt A. 1540, leonem Bohemicum cum verbis: *Ecce vicit Leo de Tribu Juda*, in altera facie inſignia Urbis cum inſcriptione: *Moneta argentea Vratislavienſis*, præ ſe ferentes. Reliquorum Regum Bohemiæ omnium, Maximiliani II, Rudolphi II, Matthiæ II, Friderici Palatini, Ferdinandi II & III ac Leopoldi memoriam numis a civitate Vratislavienſi cuſis conſervatam habes, de quibus vix quicquam monere attinet, niſi quod a Rudolphi II temporibus hodieque hoc titulo, a Carolo V ipſi conceſſo, in nu-
p. 766 ſqq. mis uſa fuerit hæc civitas: *Moneta Senatus Populique Vratislavienſis*, a quo Carolo V data & aucta inſignia Vratislaviæ cum cura ab Autore declarantur. Inter memoriales numos ab eadem civitate cuſos eminent, major A. 1629 periculis iſtius temporis ad-
783. umbrandis factus cum epigraphe: *Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur*, & in altero latere: *Niſi Dominus*
785. *cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*, alius A. 1633 in memoriam feralis peſtilentiæ, quæ anno iſto in urbe hac necaverat tredecies mille trecentos, percuſſus, nec non alii apertæ iſtic Bibliothecæ publicæ, renovatæ atque munitæ portæ, celebrati nuper A. MDCCX ob Senatoriam dignitatem, a Præſide civitatis Haunoldo per L annos adminiſtratam, ſolennis Feſti, de quo Suppl. T. V Sect. 4 p. 180 ſq. diximus, aliarumque rerum memoriales. Quibus adjunguntur præmia Gymnaſtica argentea quotannis inter ſelectos Juvenes a Senatu diſtribui ſolita, & ſculptura & emblemate inſignia. *Sextus Liber* numos Principum
810 ſqq. & Statuum Sileſiæ univerſæ nomine cuſos perſequitur, inter quos antiquiſſimi ſunt Denarii S. Petri, qui habentur argentei, altera facie S. Petrum cum nimbo & clave, altera aquilam Sileſiacam præ ſe ferentes. Cumque A. 1511 Principes & Status Sileſiæ inter ſe convenerint, ut communi nomine per ſexennium cuderent obolos, & peculiares ſingulorum officinæ monetariæ quieſcerent, id
816 ſqq. pactum etiam una cum obolo tali ab Autore exhibetur. Enimvero magis notari merentur numi ex argento puro a Sileſiæ Ordinibus A. 1621 inter ferales belli Bohemici flammas cuſi; quadrati,
822 ſqq. (*Klippen* vulgo vocant,) e quibus unciales ſex thalerorum, ſemiunciales trium, quadrantis unciæ pondus habentes ſeſqui thaleri pretium ferebant, inſcriptum ipſi numo, quippe qui cum

Sileſiaca

Silesiaca aquila verba hæc monstrabat: *Moneta argentea Silesia sex Thalerorum.* Pari modo & eodem A. 1621, postquam ad Ferdinandum II rediisset Silesia, ab Ordinibus moneta aurea cum inscriptione: *Moneta aurea Silesia XXV Joachimicorum*, & mox A. 1622 aurei & argentei numi, altero latere Ferdinandi II faciem titulumque, altero aquilam Silesiacam cum verbis: *Moneta nova aurea Silesia*, monstrantes cusi sunt. Sed magis etiam memorandi sunt & aurei & argentei Ordinum Evangelicorum numi, Vratislaviæ, quod litera W addita docet, cusi. Ex his aureorum alii adversa nomen *Jehova*, radiis veluti nubila dissipans, exhibent, cum perigraphe: *Salus & victoria nostra 1634*, aversa aquilam Silesiacam cum verbis: *Moneta aurea Principum & Statuum Evangelicorum*, alii simili aversæ adversam jungunt inscriptam: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Argentei, aquilam in adversa ferentes, insignia Ducum Olsnensium & Lignicensium cum iisdem inscriptionibus in aversa sistunt. Qui numi quandoquidem accuratissime repræsentant aquilam, quæ est insigne Silesiæ, inde Cl. Autor, quod toto libro persæpe monuerat, iterato monstrat, aquilam hanc non esse coronatam, neque lunam falcatam, ut vulgo creditur, sed fasciam albam in pectore gerere utrobique non in cruces, ut ajunt, sed in lilia desinentem, in cujus fasciæ medio punctum & puncto superimposita crux totum insigne absolvunt. Additur operi sub finem Appendix, qua, quæ antea desiderabantur, supplentur, quædam etiam emendantur, subjuncto Indice duplici copioso & locuplete. Eam vero Appendicem cum ipse augere polliceatur Cl. Autor, vel aliis, qui otio majori abundent, subsidia lubenter suppeditare, nos quidem Viro plurimum Reverendo vitam valetudinemque, quam Historiæ Silesiacæ & Orbi erudito merito ominamur non futuram infructuosam, apprecamur.

p. 827 sqq.
830 sqq.
832, 833.

DE LITERIS INVENTIS LIBRI SEX, AD Illustrissimum Principem THOMAM HERBERTUM Pembrockiæ Comitem; Autore GULIELMO NICOLS, A. M.

Londini, apud Henr. Clementem, 1711, 8.
Alph. 1 pl. 3.

ILlustrissimo Principi *Thomæ Herberto* Pembrockiæ Comiti, veteris amicitiæ causa, hos de inventis literis Libros, ætate florente conscriptos, Cl. Autorem dedicasse, tria, quibus Dedicatio absolvitur, disticha indicant:

Carmina quæ quondam scripsi florentibus annis,
  Optime amicorum, jam Tibi mitto senex:
Nam dolor immensus subitæ mihi causa senectæ
  Extitit, & canos attulit ante diem.
Accipe, & hæc animo, quo Tu mea cuncta legebas,
  Dum jucunda ætas esset utrique, lege.

Ipsi quidem de literis inventis (quam materiam a nemine ante se carmine traditam Autor contendit) libri Elegiaco carmine terso & quantum materiæ salebrosæ in quibusdam locis conditio patitur, satis concinno conscripti sunt. Singulorum librorum argumenta versibus Hexametris Autor complexus fuit: quæ hic repetenda & distinctius paulo explicanda duximus. Primi igitur Libri hæc summa traditur:

Primus scribendi liber incunabula pandit,
Et quos Autores hanc artem habuisse vetustas
Crediderit: multa huc spectantia promere tentat,
Quæ sint utilia & non injucunda juventæ.

Scilicet cum obscura admodum & dubia Doctorum de literarum inventarum autore sententia sit, aliis Mosi, Mercurio aliis, vel Cadmo, vel Abrahamo inventionis earum gloriam tribuentibus, hæc accuratius paulo inquisita tradere primo Libro Noster satagit. Et initio quidem miratur, qui factum sit, ut utilissimi inventi, quo viginti quatuor vel paucioribus etiam signis innumeræ voces formantur, omniumq; gentium societas & commercia sustentantur, autor literis a nemine commendatus fuerit, artisque, quæ alios ab oblivione vindicat, repertor sine honore jaceat, cum arvorum cultum, Cererisq; & Bacchi munera, quibus inventoribus debeamus, summi Poetæ tradiderint, quibus tamen utilius ipsaq; loquela præstantius literarum inventum habendum sit, literaque vocis imago archetypum suum vincat, & nullius adeo humani inventi necessitas, utilitas gloriaque cum literarum usu comparanda sit; unde & factum credit, quod tot gentes ac nationes hujus sibi inventi

venti

venti gloriam tribuerint. Exinde Autor neque *Mercurium*, neque ullum Moſe recentiorem, neque *Phœnices*, neque *Chaldæos*, neq; ipſum quidem *Moſen* literarum inventorem exiſtimandum tradit, cum Moſes ignobiliora etiam inventa referens, & Judæa gens gloriæ non omnino contemtrix nullam plane hujus rei mentionem injiciant, Moſeque antiquior Jobus ea verba cap. XIX, 23, 24 habeat, quæ literarum ſcribendique uſum certo præſupponant: ex quo *inſtauratorem* potius *literarum Moſen* quam *inventorem* reputandam perhibet. Porro neque *Enochi*, ſi quædam omnino ſcripta ab eo fuerint, ut Auguſtinus e citata epiſt. Judæ v. 14 Prophetia ejus credit, prima omnium ſcripta fuiſſe docet, quanquam & hoc autore, ſeptimo ſcil. ab Adamo viro, ſi inventæ eſſent literæ, cana ſatis ipſorum vetuſtas eſſet. Neque *Aſſyrios*, *Tyrios*, *Syros* vel *Sidonios*, quod Plinius credit, literas inveniſſe aſſerit, quarum potius æternum uſum, *Divinum*que ac *ipſius* ſimul *humani generis Autorem* credere fas ſit. Quia autem varii varias gentes Viri primi literas docuerint, factum putat, ut Ebræis *Moſes*, *Carmenta* Latinis, *Abramus* Syris, Ægyptiis *Iſis*, *Phœnix* & *Cadmus* Pelasgis atque *Ulphula* Gothis literas humano generi pene coævas inveniſſe perhibeantur. Paulo poſt Moſis tempora *Phœnices* artem ſcribendi habuiſſe e ſaxis, juxta Herculeas columnas repertis vocibusque juxta Procop. de rebus Vandal. lib. IV *ἡμεῖς ἐσμεν, οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπȣ Ἰησȣ̃ τȣ̃ λῃςȣ̃ ὑιȣ̃ Ναύη* inſcriptis, declarare nititur. Ex eo autem falſum eſſe colligit, quod Joſephus prodat, Græcos ſcil. ante Homerum literis non uſos fuiſſe, cum ipſe Homerus Il. *ζ*. v. 168, 169 *σήματα λυγρὰ ἐν πίνακι πτυκτῷ γραφθέντα* dixerit.

Poſt hæc *non ſimul cuncta elementa inventa eſſe* prodit, ſed Hebræos primo tantum habuiſſe *decem*, ab א ad י, Grajos & Latinos *ſedecim*, quibus poſt apud Græcos *δασέα καὶ τὰ διπλᾶ*, & tandem *Palamedis aves* ſive *τὰ μακρὰ ςοιχεῖα*, apud Latinos *tria* etiam *a Claudio Cæſare* elementa addita fuerint. His quædam *de diverſis literarum formis, Ebræis*, *Babylonicis*, *Samaritanis*, *Phœnicibus*, *Grajis*, *Romanis* quibus plurimæ gentes utantur, ſubjungit, votumque addit, ut in ſolatium & levamen Babyloniæ confuſionis *gentes omnes iisdem figuris ejusmodi uterentur, quæ*

rerum

rerum ipſarum vivida ſigna forent, nominaque rebus referrent, qualia primum parentem cunctis indidiſſe credit,& de quibus *Jo. Wilkius* Epiſcopus Ceſtrienſis doctiſſimum librum ſub titulo *de charactere reali* ſcripſerit. Ita enim fore, ut valens ingenio non longo tempore linguas omnes diſcere poſſit. *Prærogativam* deinceps *literarum* ſcripturæque *præ loquela* pluribus exſequitur, cum fidi magis oculi quam aures ſint, literæque verba non tantum videri, ſed æri inciſæ palpari etiam poſſe faciant, ita ut non oculis modo ſed digitis etiam legi vel a cæco literarum ductus palpante queat; cujus rei quod exemplum ſatis prodigioſum viderit, hiſce exprimit:

Vidi oculis captum, qui, ductus literularum
  Palpando, ſcripti ſignificata daret:
Et qui ſentiret ductis per membra figuris,
  In cute quæ leviter ſcripta fuere ſua.
Vidi qui ſurdus fuerat (mutusque proinde
  Ex quo forte miſer tempore natus erat)
Qui ſibi quæſitis, quæ in ſcriptis facta fuere,
  Reſponſa in ſcriptis redderet apta ſatis,
Pingeret & voces quas non audierat unquam,
  Ut quis facundum crederet eſſe virum.

Exin alios literarum uſus juventuti utiles refert, quales ſunt quot *numerandis rebus* inſerviant literæ, Latinis barbaris Arabum ſignis uti nolentibus, ſæpeque & *vocem & numerum* notent, unde quæ majoris numeri nomina eſſent, v. g. ſi HeCtoreM confe- ras PatroCLo, AChILLeM HeCtorI, auſpicatiora credebantur. Huc refert *hieroglyphicum* literarum *ſignificatum*, qualis in litera Pythagorica Y occurrit, de quo epigramma Virgilio vulgo adſcriptum

Litera Pythagoræ diſcrimine &c.

legendum. *Anagrammatum luſus* his quoque accedet, qualia Euſtathius in Iliad. plura commemorat, & Junonem aerem ex Anagrammatiſmo probat ὅτι ἥρα ὁ ἀὴρ, δηλοῦται καὶ ἐκ τοῦ ἀναγραμματισμοῦ. Porro literis *numos*, *ſervos*, *pecudes*, *Regum vexilla*, *marmora* ſignandi morem adjungit. Nec Mæcenatis inventum διὰ σημείων, id eſt, *notis cifris* ſive furtivis literis ſcribendi,

di, hacque ratione volitante manu dictantis vocem æquandi & interdum ſuperandi atque adeo univerſam Iliada una nuce concludendi prætermittit, hæcque ſigna a Criticorum notis, qualia *ſigma inverſum, obelus, dipleque* fuerunt, accurate diſtinguit. *Ordinem* poſthæc *ſcribendi*, quo *Orientales a dextra*, ut *nos a læva*, incipiebant; *Graji* vertendo & flectendo ſe *more boum* arantium, dum

Non attollebant dextram, ſed meta prioris
Principium verſus poſterioris erat,

βουστροφηδὸν, quo more Solonis leges ſcriptæ ab Euphorione apud Didymum Suidamque perhibentur, efficiebant; *Indi* autem *a ſummo ad imum* calamum ducebant. *Cognationem, poteſtatem, ordinem* literarum & plura alia Grammaticis explicanda relinquit, aliisve qui hoc labore a ſe primo ſuſcepto excitati pluribus exequi hoc argumentum voluerint. Ipſe *materiam, cui imprimere literas* ſoliti veteres fuerint, paucis attingit. Antiquiſſima igitur monumenta *ſaxis* rigidisque *rupibus* inſculpta tradit. Alios *plumbo, ferro, argento, marmori* ac *rudi æri, cælo* literas infixiſſe perhibet: in *palmarum foliis, malvis arborumque libris*, raro quidem, ob materiæ bibacitatem in utraque facie, nonnunquam tamen etiam in tergo (unde opiſtographi libri) ſcripſiſſe commemorat: nonnulla etiam de *palimpſeſti, carbaſi alba, linteorum, tabellarum eburnearum, buxearum, fagearum, cupreſſinarum*, omniumque *pugillarium*, quæ cera tectæ & in quibus literæ ſtylo formatæ reformatæque fuerint, quin & de *pelliculárum glabrarum*, quas a Pergamo *Pergamenas* dicebant, uſu adfert: de *librorum*, qui a convolutis membranis *volumina* dicebantur, vario *ornatu*, cum *areolis columnisque* diſtinguerentur, *auro gemmisque* tegerentur, *ſuccoque purpureo* decoris gratia tincta, *cedro* contra cariem linirentur; de *papyri Ægyptiaca*, chartæque inde confectæ natura, præſtantia, *calamorumque* ad literas in ea formandas uſu, de ſcriptura cultro in fagi cortice, in gemmis & vitro adamante, in marmore, pulvere, aqua, in flore Hyacinthi, in cute defuncti, in diphthera &c. facta; de *materia, qua adpingendas literas* utebantur, *ſepiæ* ſanguine, *minio, purpura, cinnabari, ſinopide, atramento, auro argentoque* cœruleis figuris intermixtis,

 draco-

draconis cruore, mero, carbone, de *literis* denique *in fluido aere* aut in *tabula nuda*, aut *super articulis digitorum* & *oculorum motu* quasi expressis, aliisque huc pertinentibus elegantia quædam & jucunda congerit, omniaque doctis notis diffusam antiquitatis cognitionem spirantibus illustrat.

Hunc quidem *Libri primi* gustum dare voluimus; cui quinque reliquos ex asse respondere novimus: quare, ne excerpti amplitudo nauseam ereet, contenta istorum ipsius Autoris verbis exhibemus:

Hinc artis recitat miracula multa *Secundus*,
Quæ fragiles hominum pervadunt secula voces,
Stant artes, viget ingenium, sapientiaque omnis
Ævi mansuris retinetur picta tabellis.
Tertius inventi superantis cuncta reperta,
Ingenio humano paulo majora recenset
Munera, & hoc uno monstrat Legesque manere
(Vincula communis vitæ) famamque virorum.
Quartus jura canit digito conscripta Tonantis,
Et data temporibus cunctis relegenda futuris
Mentibus humanis, portantia verba salutem:
Inde sacræ laudes Scripturæ dicere tentat
Et contra Romam meritos defendit honores.
Commemorat libros cudendi commoda *Quintus*,
Et studia hac una docet arte renata per orbem,
Consecratque virorum æternæ nomina famæ,
Qui instaurare bonas artes sacrasque Camœnas.
Ultimus inde Scholas gestit celebrare Britannas,
Datque viri docti formam laudesque recenset.

Ceterum summam Elegiæ in verborum compositione concinnitatem, suisque adstrictissimam legibus accurationem in hoc quidem scripto nemo requisiverit: cum rei ac historiæ a numeris Elegiæ paulo alienioris necessitas Poeticæ libertatem expressionis & compositionis non raro inhibeat. Sæpe igitur *pendentem* per plura disticha, pro diffusa materiæ amplitudine, *sensum* diductum videas: sæpius *cæsuræ* vincula non neglecta magis quam studio rejecta, *parentheses* crebras longiusculasque insertas, *historicoque*

stylo

ſtylo ac filo argumentum hiſtoricum pertextum deprehendas. Ubique tamen nitida dictionis puritas & elegantia, digreſſiones eruditæ ac amœnæ, & meditationes utiliſſimæ cupidi Lectoris animum ſalubribus deliciis paſcent,& non minus Poetæ utile dulci miſcentis, quam hiſtorici literarii utilia ac neceſſaria ſuavi ſtylo recenſentis officia expleta oſtendent. Abſoluto operi notisque currente prelo ſcriptis doctiſſimus Autor additamenta non pauca ad locorum quorundam explicationem pertinentia, optimorumque Autorum ex erudita antiquitate Κειμηλίοις referta, doctaque varietate lectu jucundiſſima, adjecit, hisque etiam triplicem indicem, *primum* quidem Chronologicum juxta temporum ſeriem Autorum veterum in hoc opere vel notis laudatorum ex Euſebii Chronico aliisque probatis monumentis autorum tempora proſecutis adornatum ſuccinctisque notulis literariis illuſtratum; *ſecundum* Autorum alphabeticum; *tertium* rerum ac verborum ſatis copioſum, & in calce *ſyllabum Erratorum* cum emendatione addita ſubjunxit.

PARAPHRASES ODARUM VIGINTI QUAtuor e Q. Horatii Flacci Libro primo; Autore P. *ALOYSIO HARDEVUYST, Soc. Jeſ.*

Antwerpiæ, apud Henricum Thieullier, 1711, 8.
Plag. 9.

QUod Maſenius lib. 2 Palæſtræ eruditionis Poeticæ cap. XXVI de varia & optima bonos Autores imitandi ratione, tanquam utiliſſimum Poeticæ facundiæ medium commendavit, ut ſtudioſi hujus artis pulcherrima veterumPoetarum loca vel ex Heroico verſu in Elegiacum carmen paucis mutatis transferant, vel ſi robuſtiores ſint, ex Lyrico traducant in Heroicum, vel ex his condant interdum Lyrica; quo artificii genere ipſi aureæ ætatis Autores, Virgilius in Eclogis Theocritum, in Georgicis Heſiodum,in Æneide Homerum, Fulvio Urſino & Germano Valente Gvellio obſervantibus,imitando; Horatius Statium,Claudianus Virgilium, ut Alexander Roſſæus in Virgilio triumphante docet, exprimendo, ſcripta ſua illuſtrarunt; cujus exercitii plura luculentiſſima exempla Bartholomæus Riccius lib. II de imitatione

Digitized by Google

p. 42 ſeqq. & Bernardinus Parthenius de imitatione Poetica libro primo p. 18 ſeqq. congeſſerunt; Lubinus autem & Jacobus Wallius in Paraphraſibus Horatianis præſtantiſſima ſpecimina ediderunt; illud eos æmulatus recenti ſtudio nec infelici ſucceſſu in Paraphraſibus XXIV Odarum Horatii idem præſtitit *Hardevuyſtius*, Societatis Jeſu Pater clariſſimus, dum rem Horatii alieno pede numeris animisque Virgilii refert, & viginti quatuor ex Odis XXXIIX Libri primi, quas oculis ingenuis legi, manibus teri innocuis pudor patitur & verecundia, ad ſeveriorem revocatas Muſam graviori incedere cothurno jubet. Quo quidem in genere ſatis illum feliciter progreſſum ipſe Paraphraſium conſpectus docet. Regnant in hac imitatione potiſſimum *χωρισμὸς* & *πρόσληψις*, ut elegantiſſime Wallii exemplo docet Morhofius Polyhiſt. lib. II c. XVI n. 14 & 21, nosque hic etiam e ſingulis Odis declarare poſſemus, niſi vel ipſe libelli conſpectus hoc argueret. Cum enim ita e regione ſibi invicem collocatæ ſint Odæ Horatii & Paraphraſes Hardevuyſti, ut, quæ eundem ſenſum exhibent, adcurate ſibi invicem, reliqua charta vacua relicta, opponantur, ex ipſarum linearum interjecto ſpatio & comparatione, quousque ſententiæ Horatianæ ſenſus pendeat, quaque ratione vel diducatur vel contrahatur, apparet: vel uno id exemplo e Paraphraſi Odæ ſecundæ oculis objiciamus:

Sibe mutata jubenem figura	Sive (quod o potius) tu paucis nuncius almæ
Ales in terris imitaris almæ	O Majæ, & magni ſanguis Jovis æthere ab alto
Filius Majæ, patiens vocari	Huc ades, & tacitus per terram Cæſaris ultro
Cæſaris ultor.	Ingrederis vindex Deus, ultoremque vocari
	Te pateris; Te namque ferunt, & credere fas eſt,
	Obſcuro in terris nos inter numine magni
	Indutum juvenis ſimulata incedere forma,
	Et veſtem corpusque illius & ora gerentem.
Serus in cœlum redeas, diuque	Sic o ſic magnos hic jam obliviſcere divos
Lætus interſis populo Quirini,	Miſta Deo, Divumque idem certiſſima proles,
	Noſter eris noſtramque diu bonus aſpice gentem,
	Romanosque Tuos, & non niſi ſera reverti
	Poſt fata ad ſuperos, veteresque reviſere ſedes
	Hinc propera, longos hic præſens divus in annos

Conſeſſu

Digitized by Google

Conſeſſu in medio Patrum dare jura volentes
Per populos dignare, atque hic Tua condere ſecla.
Neve Te noſtris vitiis iniquum Quodve vetent Superi, vitiis ne gentis iniquum
Ocyor aura Ante diem ex oculis hinc Te ferat ocyor aura
Tollat: hic magnos potius triumphos, Exoſum terras cognataque ad aſtra migrantem.
Hic potius Pater inſcribi Princepsque vocari
Hic ames dici Pater atque Princeps; Urbis ama; magnosque Tuis curare triumphos
Auſpiciis, partosque novis cumulare memento.
Vade age, quo dudum res & reſponſa Deorum
Et fortuna vocat Tua Te: fer ad ultima tecum
Neu ſinas Medos equitare inultos Bactra metum; Te ſigna vocant, quæ plurima Parthi
Poſtibus oſtentant etiam nunc fixa ſuperbis,
Te duce, Cæſar. Infandum! Parthi debent ſoli hæc Tibi ſigna
Totque Tuis unus vacat hic, dux magne, trophæis
Virtutique locus: genus intractabile Medos
Pronos ſterne ſolo, ne Te duce Cæſar inulti
Poſthac imperii vicinos arcibus agros
Aut quatere, aut equites curſu inſultare ſuperbo
Romanove ſolo, aut extremis finibus auſint.
Hoc caput, hæc ſeries, hæc rerum ſumma tuarum
Hac Te, hac indigetem reducem ſuper alta repoſcant.

Virgilii autem ſpiritus ac phraſis ſententiæ Horatianæ commodiſſime exprimendæ adhibita illius Poetæ ſtudioſis ubique ultro occurret, prorſus ut non ſine inſigni emolumento ſcholaſticæ juventuti propoſitum iri credamus.

TRACTATUS DE EO, QUOD JUSTUM eſt circa excurſiones maritimas, vom Recht der Caperey, *in quo expeditio bellica excurſorum maritimorum, eorumque ſtatus & jura & quæ his annexa ſunt, expenduntur, ac ex Conſtitutionibus gentium mari dominantium proponuntur; Autore SAMUELE FRIDERICO* Willenberg, *D. & Prof.*

Gedani, typis Jo. Zach. Stollii, 1711, 4.
Pl. 13.

OCto capitibus abſolvitur Tractatus hic pereruditus de Jure Excurſionum maritimarum, h. e. quibus exorto bello inter maritimos populos, præter integras claſſes, privatis civibus ac ſingulis ſubditis facultas datur, armatas naves educendi in hoſtem & ab eo prædam agendi. Ad ejus qualitatem diſtinctius explicandam, *capite primo* Autor agit de *ſcelerata Piratica ejusqve vindi-*
p.1. *cta*. Fuiſſe ſcilicet ſemper homines demonſtrat, qui in atrociſ-
2. ſimis ſceleribus gloriam quæſiverint, ut in latrociniis primum &
3. prædis barbaræ gentes, mox etiam in piratica, h. e. deprædatione
4. navium (id quod variis exemplis demonſtratur) donec ea vox
5. in malo ſenſu uſurpari cœpta & Prædones marini *Piratæ* dicti,
6. Gallis *Corſaires*, Germanis See- oder Meer-Räuber. Unde docetur, Hobbeſium peſſime Piraticam defendere *lib. de cive*, *cap. 5* §. 2 ex falſo juris naturæ fundamento, bello omnium contra omnes, cum potius ex hac ratione, quod nemo lædendus ſit, piratica, tanquam grave aliquod & nefarium crimen, ſit damnan-
7. da: nec obſtare, licet ab integris cœtibus committatur, cum tales, qui ſceleris cauſa coeunt, pro civitate haberi non poſſint, adeo-
10. que nec jure belli gaudeant, ſed merito gravibus pœnis plectan-
12. tur, & quidem non tantum ipſi, verum & eorum receptatores: &
13. recte ad inveſtigandos piratas exploratorias naves, Auslager-
8. Schiffe/ mitti: nihilominus incidenter populis Algerienſium,
9. Tunetanorum, Tripolitanorum & Zaleenſium, licet ex præda marina viventium, nomen civitatis aſſeritur, eo quod iſtis populis leges ſint ac judicia, ex quibus exteris pariter ac ſuis *jus* reddant, ad minimum ſecundum pacta cum illis inita: quæ ſc. ad obtinen-
15. da civitatis jura ſufficiant. Hinc *capite ſecundo* tranſitus para-
16. tur ad ipſas *excurſiones meritimas*, quæ, ſicut pugna navalis tam integris claſſibus quam ſingulis navibus expeditur, ita vel armatis
17. navibus ex claſſe vel a ſingulis privatis fiunt. Origo harum repetitur a Teuta Illyriorum Regina, quam primam ſubditis ſuis facultatem pervagandi Italicum mare permiſiſſe, ex Polybio do-
18. cetur. Expoſita deinde vocis Germanicæ Caperen/ quæ idem
19. eſt ac excurſio maritima, etymologia, ipſius definitio traditur, quod ſit incurſus in hoſtium aut his neceſſaria advehentium naves, publico Marte permiſſus illis, qui ſuo ſumtu navem excurſoriam

Digitized by Google

riam belli apparatu inſtruunt, ea lege, ut hoſti incommodent, & pro impenſis ſuis prædam ab eo factam ſibi acquirant. Præſup- p. 20.
poſito igitur, hanc militiæ voluntariæ ſpeciem ſub eo fieri, qui
bellum gerere poteſt, idque ex juſta cauſa gerit, (quo loco neceſ- 21.
ſitas denuntiationis belli urgetur,) deducitur, excurſiones maritimas etiam a ſubditis factas omnino juſtas eſſe: neminem au-
tem facultatem hoc modo in hoſtes excurrendi, quæ pars belli 23.
maritimi eſt, concedere poſſe, niſi qui ad ejusmodi bellum ge-
rendum Jus claſſis mari immittendæ ſeu Admiralitatis & por- 28.
tuum habet, e contra nullam excurſionem juſtam eſſe ſine ſuperi-
oris mandato: quo loco præcipua capita iſtiusmodi mandati 29.
narrantur & variis rationibus juſtitia excurſionum maritimarum 30 ſq.
adverſus objectiones evincitur. *Caput tertium* agit de *jure Ex-* 34.
curſorum quoad ſtatum civitatis ſuæ, ubi dupliciter conſiderantur vel ut cives in genere, vel ut milites. Priori modo conſideratos dubium non eſt omni jure gaudere, quod aliis civibus competit, idque eo magis, quia plus curæ civitatis, quam alii cives
habent: ad militiam relati vel Exercitores ſunt, qui facultatem 35.
ad excurrendum impetrant & ſumtibus ſuis navem inſtruunt, vel agentes, Capitanei & Officiales, quibus ab exercitoribus na-
vis cura commiſſa, ut eam actu exerceant & in hoſtem dirigant: 36.
ex qua relatione exercitoria obligatio naſcitur, qua exercitores navium illis tenentur, qui a miniſtris læſi ſunt, & hi viciſſim exercitoribus ſuis obligati ſunt de omni damno illicite illato reſarciendo. Exercitores illi jus quidem habent excurrendi ſeu actum primum, ſed exercitium illius ſeu actus ſecundus eſt penes reli-
quos: hinc quoad illos quidem ſufficit, ſi fide erga Rempublicam 37.
noti ſint, & ſumtibus valeant ad inſtruendam navim, hi vero etiam militiæ navalis gnari & ad eam tractandam idonei eſſe de-
bent. Ex iſta ſtatus civilis conſideratione fluit, prohiberi poſſe ſub- 38.
ditos apud extraneum excurſionem profiteri volentes, ne ſc. pro-
pria civitas ſuo milite denudetur, idque eatenus, ſive contra extra- 39.
neum, ſive contra patriam, ſive contra amicum ſuſcipiant expedi-
tionem. Sed ut milites conſiderati non modo jus armorum & 40.
militum uſum ex voluntate Principis habent, certo tamen modo
reſtrictum, verum & jurisdictionem in navi ſua & jus naves ſub- 41.
ditorum

p. 42. ditorum ſui Principis ad angarias præſtandas, ſuis tamen ſumti-
43. bus,cogendi,& quæ ſunt his ſimilia. Succedit *caput 4 de officio ex-
*curſorum maritimorum & erga eos reciproca amicorum obligatio-
ne:* ubi fundamenti loco ſupponitur, in neminem alium, quam
in hoſtium naves aut amicorum, quæ hoſtibus ſerviunt, excurſi-
onem fieri debere: quæ vero navis hoſtium ſit,ex velis ſeu a plau-
44. ſtris cognoſci: quo loco, quid in caſu adhibitorum velorum ali-
enorum juris ſit, oſtenditur: optime vero cognoſci naves per ita
45. dictam Certificationem ſive epiſtolas commeatus & paſſus mari-
timi, quarum ab excurſoribus perluſtrandarum gratia ex uſu
hodierno paululum ſiſtendæ naves: unde ſi appareat, hoſtium in
iis bona eſſe, ſive publica ſive privata, reſpectu ad alterum hoſtem
velut dominio vacua jacere & victori occupanti jure belli cedere.
46. Rationes etiam expenduntur, ex quibus ſubditis commercia
47. cum hoſte vel interdicantur vel permittantur: inde deducitur,
res amicorum, licet in nave hoſtili reperiantur, non cadere in
48. commiſſum, neque perſonas amicorum in nave hoſtili pro hoſti-
49. bus habendas eſſe, modo nihil pro iis fecerint: ſed aliter obti-
nere,ſi perſonæ vel res hoſtium amica navi deprehendantur, quo
caſu quidem navis amici ſalva ſervanda,perſonæ vero & bona ho-
ſtium direptioni ſubjicienda, quia quidem ad hæc, non ad illam
50. bellum jus excurſoribus facit: ceterum omnes eos amicos vide-
ri, qui nobiscum pacifice vivunt,etiamſi erga alterum belligeran-
51 ſq. tem prolixiori ſint affectu, in ſpecie vero Neutrales, qui armo-
rum ſocietatem deprecantur & ſe quietos inter illos continent,
quos alias ſitus loci vel belligerantium poſtulata ad ſocietatem
& pericula bellorum provocant. Atque hac occaſione Autor
ad Neutralitatis conſiderationem deductus, celebrem illam quæ-
57 ſq. ſtionem: An hoſtes nobis fiant amici an neutrales,ſi hoſti noſtro
60. merces advehant? adductis in utramque ſententiam rationibus
ita decidit, quod, ſi pacis ſit commercium & cum utroque belli-
gerantium æqualiter geratur, non fiant hoſtes, bene tamen ſi
commercium belli ſit, ut ipſe vocat,quo ſcilicet pacatus hoſti no-
ſtro ſeſe adjungit, animo eum ſublevandi, ut contra nos validior
63. exiſtat,noſtraque defenſio contra eum difficilior reddatur. Deni-
que circa officium excurſorum maritimorum & illa quæſtio mo-
vetur,

Digitized by Google

vetur : an parere teneantur mandato , ut ſe ſuamque navem perdant, ne veniant in hoſtis poteſtatem ? ad quam tamen ex principiis moralibus negative reſpondetur. *Capite quinto* agitur de p. 67.
præmiis & beneficiis excurſorum maritimorum, qualia ſunt immunitas ab oneribus realibus, præſtatio ſumtuum pro cura, ſi vulnerati ſint ab hoſte & participatio de præda : quo loco quæſtio ven- 68.
tilatur : cujus in bello præda ſit ? & adductis variis ſententiis in eam demum concluditur, ad ſolum Principem , qui bellum gerit, 70.
prædam pertinere , & ſi quæ militibus & excurſoribus maritimis obveniat, eam non niſi ex beneficio & ſuperiorum voluntate illis accedere : modum vero prædæ capiendæ non ita facile definiri 72.
poſſe, diverſis tamen in locis diverſas partes illius maritimis ex- 73.
curſoribus tribui : ceterum ipſam prædæ in bello juſto acquiſiti- 76.
onem ad juſtum quæſtum pertinere & ſalva conſcientia poſſideri, cum juſtæ cauſæ juſtus etiam ſit effectus. Præter hæc ad præ- 77.
mia excurſorum referuntur privilegia militum de Jure Romano competentia , quæ ipſis etiam tribuenda non tantum quoad actus inter vivos , ut immunitas a præſcriptione bonorum ſuorum , privilegium *l. 8 C de R.V.* beneficium competentiæ, caſtrenſe peculium,&c. ſed etiam quoad actus ultimæ voluntatis : honor au- 78.
tem ſalutationis per velorum depreſſionem non abſque ratione his excurſorum navibus denegatur. Sed quoniam de reliquis 79.
excurſionum præmiis judicium ferri non poteſt, niſi ſit, qui de officio earum & an ad præſcriptam legem excurſio peracta , cognoſcat; hinc convenienter *capite ſexto* de *Excurſorum iſtorum judicio* agitur : quod merito ſibi ſumit , qui facultatem ad incurſus faciendos dedit , qualis eſt ſupremus maris dominus , aut is cui navalis jurisdictio delegata , utpote Collegium Admiralitatis aut judex alius portui vicinus , in quo Admiralitas non invenitur.
Quantum ad ipſam cognitionem , eam ſummariter faciendam 80.
eſſe docetur, ſalva tamen ad ſuperiorem Appellatione, quæ deinde iterum ſummariter tractanda : judicem informandum ex 81.
Certificatione & literis magiſtratus ejus loci , ex quo navis eſt : inquirendum etiam ab eo, an captæ res omnes adſint , quæ prius 85.
nec effringendæ nec celandæ, ſub pœna amiſſionis lucri,&c.deni- 86.
que, ſi ſententia adverſus excurſores lata ſit,non modo eos ipſos,

p. 83. seu Capitaneos, sed & navium exercitores ad damni dati refusio-
84. nem obligari. Penes istud judicium quoque esse, ut repressalias
adversus alterius Reipublicæ naves decernat, ut partes navium
87. pro præda declaratarum, his quibus debentur, assignet, ut pace
facta excursorias naves suorum revocet & quæ sunt his similia.
89. *Capite septimo præsidia contra excursiones maritimas* licita expen-
duntur, quorum primum est propria & unicuique a natura con-
90. cessa defensio, ad quam singuli in navi existentes adeo obligantur,
ut, qui eam intermittit, reus fiat damni, quod exinde toti navi con-
91. tigit: in comitatu etiam navis præsidiariæ vel Admiralitatis pri-
vatæ eum in finem instructæ, præsidium est adversus Excursores:
93. qua occasione nonnulla inseruntur de conditione Excursorum,
quali apud hostem considerari debeant: & quidem merito pro
talibus habentur, qui jure belli agunt, h. e. pro publicis ho-
stibus, ita ut adversus eos omnino secundum jura hostium pro-
97. cedi possit. *Caput ultimum* hujus tractatus agit de *Indemnitate
præstanda læsis per excursionem maritimam:* ubi præsupponitur,
damnum ab excursione maritima proveniens casuale esse & hinc
98. nautæ non imputari, neque conductori aut commodatario: quod
si nauta in culpa fuerit, docetur, eum a domino mercium recte
99. conveniri: de assecuratione quoque aliqua adduntur, quomodo
per eam periculum mercium declinetur, & an in dubio assecura-
100. tor periculum excursorum suscepisse credendus sit: denique
disquiritur, qua ratione contributio instituenda ob solutam re-
102. demtionem in omnium conservationem? item, an naulum adhuc
debeatur pro personis & bonis ex amica nave direptis? Quæ
omnia ex genuinis fontibus constitutionum gentium mari do-
minantium deducuntur & exemplis ex historia recentiori petitis
continuo illustrantur.

THE PRINCIPLES OF DEISM.

h. e.

*PRINCIPIA DEISMI CANDIDE EXPOSI-
ta & in luce collocata, duobus Dialogis inter
Scepticum & Deistam institutis.*

Londini,

Digitized by Google

Londini, apud Jo. Morphew, 1711, 8.
Plag. 8.

CUm Anglia jam pridem in eo fuerit, ut in placita hominum de Deo cultusque religiosi ratione abjecte vel sinistre sentientium diligenter inquireret, & cavenda aliis in apricum proferret, præsentis libelli Scriptor idem institutum non temere, nec idoneis præsidiis destitutus aggressus est. Absolvitur ille binis Dialogis, quorum prior *Revelationem Christianam*, posterior *Religionem Naturalem* accuratius considerat. Hujus colloquii initium facit Scepticus, conquerendo de suo dubitandi de omnibus atque adeo de Dei existentia studio, quam Deista extra omnem controversiam apud se positam esse affirmat, ac de cultu ejus ita judicat, ut existimet, Deum pro clementia & misericor- p. 10.
dia sua, qua feratur in homines, non alium ab his cultum requirere, quam qui illorum *naturæ* & indoli respondeat. Hanc religionis notionem cum Scepticus falsam esse evincat ex eo, quod Scriptura S. multa præcipiat, quæ cum naturali hominis propensione conciliari non possint, Deista Scripturam se pro verbo divino non 11.
habere profitetur. Propterea Scepticus ostendere conatur, fa- 14.
cilius aliquem adduci posse, ut credat, Scripturam esse divinam & Christianorum religionem in universum veram, quam dari Deum. Hoc consilio monet, sensibus inprimis habendam esse fidem, hos vero tempore Servatoris nostri tot miracula in ejus rebus gestis deprehendisse, ut de divina doctrinæ ejus origine dubitare non potuerint. Illa itaque ab aliis observata in Scriptura S. referri, nec probabile fieri, ea tot testibus præsentibus acta, eo tempore persuaderi tot hominibus potuisse, si aliter gesta fuerint. Deista regerit, omnem hanc persuasionem educationi acceptam 20.
esse ferendam, cujus vires non facile eludere homines possint. Scepticus vicissim monet, ad eam solam hic provocari non posse, cum alioquin nec Judæi, nec Romani, nec Athenienses, qui itidem alia religionis principia hauserant, Christianorum sacra am- 22.
plecti potuissent, quod tamen factum esse nemo inficiari ausit. Propterea Deista, priori argumento omisso, *studium novitatis* persua- 23.
sionis illius causam fuisse censet, quod quidem ita repellit Scepticus, ut neget *novitatis* studium solum efficere id posse in ejus-

 modi

modi doctrina, quæ per ſe hominibus placere non poſſit ob præ-
p.24. ceptiones humanis affectibus prorſus contrarias. Et præter ratio-
nem provocat Deiſta ad ſingularem genium hominum ea ætate
viventium, a peculiari cœli influxu & diſpoſitione, aut cauſa qua-
25. dam univerſali, aut anima mundi excitatum. Fieri enim non
poteſt, quod recte monet Scepticus, ut omnium hominum ſen-
ſus in rebus eorum cognitioni oblatis ita decipiantur, ut ea cre-
dant ſe videre, quæ non vident. Neque tanta eſt imaginationis
03. vis in ejusmodi argumentis, ut illud efficere queat. Producen-
di igitur ſaltem erant ex veteri memoria teſtes ejusmodi, qui con-
firment rem omnem & hiſtoriam Evangelicam fraudibus & com-
31. mentis abſolvi. Neque dici poteſt, ſcripta ejusmodi hominum,
qui hoc detexerint, periiſſe omnia, cum non dubium ſit, fuiſſe
ſemper aliquos doctrinæ Chriſtianæ adverſarios, qui ſaltem
fragmenta aliquot ejusmodi Scriptorum ab injuria temporis aut
diſſentientium vindicare anniterentur. Imo, quod plus valet,
exſtant omnino in Origenis libris contra Celſum & aliis ejusmodi
monimentis quædam paganorum adverſus Chriſti doctrinam
exceptiones, ſed nemo eorum auſus eſt unquam negare ea vere
contigiſſe, quæ commentarii Evangeliſtarum ad poſteritatem
34. transmiſerunt. Cum itaque Chriſtiani ipſi Paganorum argu-
menta candide retulerint, hujus tamen, quo veritas rerum geſta-
rum in dubium vocetur, non meminerint, conſequitur, ipſos pa-
ganos de ea re dubitationem non ſuſcepiſſe. Si quid itaque ul-
terius contra Revelationis veritatem urgeri debeat, neceſſe eſt, ut
manifeſtis argumentis oſtendatur, fieri non potuiſſe ea ullo mo-
do, quæ facta dicuntur. Inprimis oſtendi par eſt, noſtra ætate fi-
eri poſſe, ut duodecim Viri, inferioris ſortis, novam quandam
doctrinam, in ſe falſam, & per fraudem inventam, perſuadeant
aliis. Jeſuitæ, quod objicit Deiſta, huic negotio apti non credun-
tur, niſi fuerit evictum, illos ſimili ſimplicitate, ſimili ſucceſſu, ſi-
milibus miraculis, ſimili etiam ſorte, quæ calamitates maximas
& infame mortis genus ſecum fert, uti in re conficta ita poſſe, ut
non deſint innumeri alii, qui in easdem calamitates pertrahi ſe
patiantur. Hæc & alia ita urgentur & premuntur a Sceptico, ut
Deiſta tandem fateatur, ſe non poſſe præſtare, hac ætate unquam

eandem

eandem Scenam repræſentari poſſe. Hinc in ſummam conferuntur omnia argumenta, quibus alias oppugnari ſolet Scripturæ veritas, non alio eventu, quam ut illa magis per exceptionum vanitatem confirmetur. Ex his proxime conſequitur, Deiſtas veritatem religionis Chriſtianæ negantes cauſa cadere, ubi ad argumenta fuerit perventum, & unicum eorum præſidium in phraſibus illuſoriis & exceptiunculis quibusdam generalibus, quod præjudiciis, educatione, conſuetudine, &c. omnis religio conſtet,
repoſitum eſſe. Dialogus II exponit Principia religionis Natu- p. 65.
ralis, quæ duobus capitibus ex Deiſtæ mente conſtant, *naturam*
nempe ſequendam, & neminem lædendum eſſe. Ex his alia con- 67.
ſequuntur, quæ cum illis nexu naturali ſunt conjuncta. Prior regula obſcurior videtur Sceptico, inprimis ideo, quod natura hominem ſæpe in diverſas partes rapiat, ut non facile conſtet, quid potiſſimum amplectendum, quid fugiendum videatur. Speciatim ex illa regula definiri id petit, num adulterium licitum ſit ex eo, quod naturalis propenſio ad uxoris alienæ amorem alliciat.
Reſpondet Deiſta adulterium per regulam ſecundam prohibitum 70.
eſſe, quæ injuriam alteri inferendam abominetur: ſcortationem
vero omnino legibus Naturalibus non prohiberi. Scepticus viciſ- 74.
ſim monet, majorem in ſcortatione injuriam quam in ipſo adulterio obſervari, cum femina, qua quis ad libidinem abuſus ſit, honore excidat, & ſpe privetur, fore, ut marito unquam potiatur, atque adeo aliis vitæ humanæ commodis, quæ cum his proxime conjuncta ſunt, ſpolietur. Accedit, quod Parentes puellæ & cognati non parvo dolore ſimul affici ſolent, & in ſocietatem factæ injuriæ pertrahuntur. Relinquitur itaque, hoc modo regulam illam priorem, quæ naturam ſequi jubet, limitibus variis circumſcribi, & obſcuram adeo eſſe, ut non ſine oppoſiti formidine eam ſequi poſſimus. De poſteriori idem oſtendit variis exemplis in medium allatis, quæ evincunt, Deiſtarum religionem & doctrinam moralem non ſtabilem & fixam eſſe, ſed
talem, quæ pro diverſa rerum, temporum, circumſtantiarum & 98.
indolis conditione ſemper ab ipſis mutetur. Sequitur itaque, vel nullam eſſe Deiſtarum religionem, vel alias leges easque claras & ſtabiles, quales Chriſtiana doctrina præſcribit, pro norma vitæ agnoſci debere.

AN ADDRESS TO THE JEWS.

i. e.

JOHANNIS XERES AD JUDÆOS ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ, *qua continentur rationes, quæ eum ad deserendum Judaismum & amplectendum Christianismum adduxere.*

Londini, impensis Ant. Barker, 1711, 8.

Plag. 8½.

AUtorem producimus Judæum, apud suos olim dictum *Jonah Ben Jacob Xeres*, natum parentibus Hebræis *Saphie*, quæ est urbs Africæ in ea parte, quæ Barbaria hodie dicitur. Is cum in lingua Hebræa, Chaldaica & Arabica fuisset probe cura parentum instructus, eo, quemadmodum ipse testatur, fine, ut aliquando Rabbi titulo & munere cohonestaretur, sedulamque adeo operam in studio Talmudico posuisset, in eo studio difficultatibus nonnullis animum suum sensim obrui percepit. Cum itaque in patria occasio ipsi fuisset noscendi Christianos, cum Pontificios Hispanos, tum Protestantes Anglos, incessit eum cupido penitius eorum doctrinam addiscendi, habito imprimis ad ea dubia, quibus angebatur, respectu. Bis igitur in Hispania, ter in Lusitania ubi fuisset, visa tamen ipsi est tribunalis inquisitionis, quod istic floret, crudelitas talis esse qualis ab omni religione abhorreret, parumque illic quidem fuit, quod dubiis ipsius succurreret. Donec in Angliam advecto, amicorumque consiliis, qui eum in patria antea cognoverant, & quorum testimonium Tractatui huic est adjectum, adjuto datum est frui consuetudine Viri celeberrimi *D. Petri Allixii*, cujus post Dei benedictionem curis ut debetur conversio *Xeris* baptizati A. 1709, compatris munere fungente Archi-Episcopo Eboracensi, cui & inscriptum est hoc opusculum, ita haud dubie plurima quoque in hoc libello obvia ipsius institutioni accepta sunt referenda. Nempe *Xeres* secutus B. Apostoli Pauli exemplum, ut posset quosdam e fratribus suis lucrifacere, ad Judæos προσφώνησιν hanc scribere non dubitavit, rationem redditurus & methodi, qua Allixius in ipso convertendo usus sit, & argumentorum, quæ rem ipsi persuasere.

Digitized by Google

ſere. Itaque primo tyrannidem Rabbinorum detegit, qui conſcientiis intolerabili imperio dominentur, ejusque dominii graviſſimum myſterium, *legem oralem*, abſurditatis convincit. Ubi inter alia monet, Talmud non ante Seculum IX in Hiſpania innotuiſſe, eoque tempore a maxima parte Judæorum prorſus fuiſſe rejectum usque ad Alphonſi Regis Caſtellæ tempeſtatem, Sec. XII, cujus Medicus, Judæus natione, ſecta Talmudiſta, perſuaſerit Regi, ut Judæorum ipſi tum ſubditorum, ſeditionis vero ac mortis reorum vitæ parceretur, modo illi Talmudem agnoſcerent & amplecterentur, quod quidem illi, ut vitæ diſcrimine ſe liberarent, facere non dubitarunt. His ita deductis, tria potiſſimum in conſuetudine D. Allixii laudat, primum, quod ſemper adfuerit tertius nonnemo, qui rem omnem poſtea ab ovo repetierit, & in memoriam revocaverit, alterum, quod non niſi locis Scripturæ ex parallelismo illuſtratis fuerit uſus, tertium, quod *Xeri* omnium librorum Judaicorum uſum conceſſerit ad petenda inde, ſi qua ullo modo fortia pro Judaismo inveniret argumenta. Id præterea magnopere commendat, quod perſuaſo de neceſſitate legendi Novi Teſtamenti, Hebraicam ejus verſionem ſuppeditaverit Allixius, cujus lectio ut fratribus Judæis perſuaderi poſſit, optat, & non contemnendis argumentis allaborat. Ad doctrinam vero inde de Meſſia progreditur, abſurdasque Rabbinorum de eo fabulas perſtringit, cum vero venire jam dudum debuiſſe, eaque exacte tempeſtate, qua Jeſus venit, demonſtrat bene multis Prophetarum locis. Memorabimus hic cumprimis explicationem vaticinii, quod eſt Michæ V, 1 ſqq. Ibi nativitatem Meſſiæ Bethlehemiticam prædici, inquit, agnoſcitis ipſi, ſed natum eum jam eſſe eo tempore, quo Solyma fuit deſtructa, jamque latere, donec ab Elia ungatur, fabulamini. At non minus diſerte, ait, tempus iſtius nativitatis, quam locus in hoc vaticinio deſcribitur. Etenim v. 2 (ubi verba Hebræa: לכן יתנם, vertit: *nihilominus*, ſive, *antequam hæc eveniant*, *tradet eos*,) captivitatem Babylonicam & ex ea reditum, Duce Zerubabele, v. 3, inde altam pacem v. 4, & poſt hanc afflictiones ab *Aſſure*, h. e. *Antiocho Epiphane Rege Syriæ*, & ſucceſſoribus ipſis illatas, conſtitutos vero contra hunc שבעה רעים, h. e. ſeptem duces bellicos, *Macca-*

p. 14.

15, 16.

31, 32 ſqq.

Maccabæos nempe ſeptem, & שמנה נסיכי אדם, h. e. *octo Reges* ex familia *Haſamonæorum*, qui Maccabæis ſucceſſere, luculenter prædici exiſtimat, eis vero omnibus ita peractis, ſub nono Rege, qui primus erat ex familia Idumæa, Herode, natum eſſe Chriſtum
p. 34 ſqq. oſtendit. Producitur deinde Prophetia Danielis c. XI, cujus v. 24 ita exponit *Xeres*: *Septuaginta hebdomades*, (nempe dierum, i. e. ſupra annum cum quarta parte,) *determinatæ ſunt*, (i. e. deficiunt, vel implendæ adhuc ſunt,) *ſuper populum tuum & civitatem tuam ſanctam, donec transgreſſio expietur, & peccatum aboleatur, & juſtitia antiqua reducatur, & Viſio & Propheta obſignetur, & Sanctuarium inungatur*, (h. e. donec reſtitutio ex captivitate Babylonica eveniat.) Tum v. 25 ſqq. ita vertit & explicat: *Præterea ſcito atque intelligito, quod ab exitu mandati de reſtauratione Solymorum* (anno ſecundo Darii Nothi,) *ad Meſſiam Principem* futuræ ſint *Hebdomades* (annorum) *ſeptem*, (h. e 49 anni donec civitas integra erit reſtaurata,) *&* (ab eodem anno Darii Nothi,) *Hebdomades* (annorum) *ſexaginta duæ* (h. e. anni 434 usque ad Chriſtum.) *Et* (durante hoc tempore) *readificabitur platea & vicus, & quidem temporibus anguſtiæ. Et poſt ſexaginta duas hebdomadas exſcindetur Meſſias & non pro ſe ipſo* (h. e. inquit, paulo poſt 434 hos annos, totidem fere annis poſt nativitatem ſuam, quot ante deſtructionem Hieroſolymorum, quæ eſt *hebdomas una determinata per Chriſti adventum*, ut innuere videtur p. 93.) Quæ
39. an eruditis penitus ſatisfactura ſint, valde ambigimus. Inde commentum de duplici Meſſia exagitat, & locum Num. XXIV, 17, 18 abſurde de Meſſia exponi affirmat, cum Bileam loquatur de Davide, & per *filios Seth*, (non a proprio nomine Seth ſed communi,) intelligat populos ultra Moabitarum regionem habitantes. Ita alia vaticinia abſurde a Rabbinis ad Meſſiam referri, omnium ſtolidiſſime vero Edom in Prophetiis pro Romano Imperio ab iis accipi contendit. Porro ex propriis Judæorum de ſumma illius gentis tempore Jeſu corruptione præjudiciis contra ſupremi Senatus adverſus Jeſum demonſtratum zelum ipſis perſuadere
54 ſqq. conatur. Tum vero prolixe deducit, Trinitatem perſonarum in divinis, pro qua Chriſtiani pugnant, cum unitate Dei, & cum Veteri Teſtamento non pugnare, ſed potius exacte convenire, in

quibus

Digitized by Google

quibus cum nihil inveniamus, quod aliis dictum non ſit, ea prætерimus. Probatur deinde, in V. T. Meſſiam tanquam *Deum* Pſ. II, 7, XLV, 7, 8, Eſ. IX, 6 eſſe promiſſum, & in ea divinæ cum humana natura unione excellentiam Chriſtianæ fidei præ omnibus aliis conſiſtere docetur. Sequitur diuturnæ hujus diſperſionis Judaicæ gentis gravis deſcriptio & exaggeratio, futilisque κρησφυγέτου Abarbenelis de captivitate Babylonica adhuc durante refutatio, cæcitatis vero Rabbinorum in interpretandis Scripturis demonſtratio. Habes ibi nugarum Rabbinicarum de epulo a Meſſia parando, habes abſurdæ aſtrologicæq; Abarbenelis in computando Meſſiæ tempore Chronologiæ ſpecimina, quibus ſuccedit objectionis Judæorum, quod 10 tribus cum Zerubabele non redierint, refutatio. Eas rediiſſe omni vi contendit *Xeres*, & Judæorum inter גאולה quam *Meſſia* vindicant, & פקידה quam *Zerubabeli* tribuunt, diſtinctionem futilem eſſe, ex Nehem. I, 6, quo *Zerubabelis* liberatio גאולה dicitur, & Exod. IV, 31, quo *Moſis* liberatio פקידה audit, demonſtrat. Tum præjudicia Judæorum adverſus religionem Chriſtianam, ex abſurdis libri *Toledoth Jeſchu* fabulis, ex Iconolatria, Artolatria & Hagiolatria Romanæ Eccleſiæ, ejusdemque de limbo patrum doctrina, & inquiſitionis judicio, ex bellis Chriſtianorum (quæ tamen exiſtimat exacte cum vaticinio Danielis c. VII conſentire) deſumta, eximere ipſis conatur, ac quandoquidem Judæi in Anglia inter puriores Chriſtianos viventes his omnibus non poſſint offendi, graviter de cura animarum eos admonet, libellumque totum non ſine intimi pietatis ſenſus (quam & ceteroquin ubique ſpirat) documentis concludit.

p. 88.

102.

103.

MACHINA ANAMORPHOTICA AD DEformandas imagines, a ſpeculo cylindrico reformandas, inventa a JACOBO LEUPOLDO, Mechanico Lipſienſi.

Equidem totius machinæ ſtructuram iconiſmus ſatis diſtincte repræſentat, in quo Fig. 1 orthographiam; Fig. 2 ſtructuram internam; Fig. 3 ſcenographiam & Fig. 4 ichnographiam exhibet: operæ tamen pretium erit, ut de ſingulis partibus ſigillatim pauca dicam, quæ in omnibus figuris iisdem literis deſignantur.

TAB. III. Fig. 1, 2, 3 & 4.

abcdgh eſt cylindrus ex ligno probe exſiccato paratus. Diameter baſis *gh* æqualis eſt diametro ſpeculi cylindrici, a qua diameter ipſius cylindri *cd* una tertia deficit. *ab* eſt manubrium, juxta quod annulus orichalceus *ik* volvitur. *ef* eſt annulus alius mediante cochlea nunc arcte conſtringendus, nunc iterum laxandus, prout uſus exigit. *lmno* eſt receptaculum ligneum, quod mediantibus annulis *ik* & *ef* circa cylindrum vertitur. *pf* eſt regula brachio *qr* inſtructa, quod ſtylum *s* tenet. Ejus longitudo ¾ unius ulnæ. In *u* affixa eſt chorda, quæ rotam *x* ambiens tandem in altero ejusdem regulæ extremo *w* terminatur. Rotula *z* alteri *x* affixa, ita ut una cum ea circumagatur, quæ quo minor fuerit, eo major erit figura deformata. Hanc rotulam *z* & duas reliquas *α* & *β* ambit chorda alia, utroque ſui extremo regulæ verticali *γδ* alligata. Habet etiam hæc ſuum in *ε* brachium *ζ* cum ſtylo *η*. Dum manu in *p* applicata regula inferior protrahitur aut retruditur, rotæ *y*, *z*, *α*, *β* convolvuntur & regula altera ſurſum, vel deorſum movetur. λλ eſt lamina elaſtica, quæ ad dirigendum regulæ verticalis motum nunc deprimitur, nunc laxatur. Regulæ ex ligno nuceo; rotæ ex acerno aut ebore parantur.

Uſus machinæ talis eſt. Prototypon in charta delineandum (longitudo & latitudo, in ſchematiſmo expreſſa, quamvis utraque minor, non tamen major eſſe poſſit) & cylindro ligneo cera affigendum. Similiter charta munda ſuper tabula plana expandenda, ſuper qua machina collocata, regula horizontalis nunc attrahenda, nunc retrudenda, & tota machina circa cylindrum huc illucque vertenda, ita ut ſtylus *η* ſingula puncta prototypi permeet, quibus reſpondentia pro anamorphoſi notantur ſtylo *s*. Uno lineæ ductu abſoluto, puncta ſtylo *s* chartæ impreſſa ceruſſa in lineam connectuntur. Hac machina admodum expedite nec minus accurate anamorphoſes abſolvi, ſucceſſus me abunde docuit.

ANGULORUM ARCUUMQUE SECTIO indefinita per Formulam univerſalem expreſſa ſine ſerierum auxilio: & hinc deducta æquationum angularium promta formatio; Autore JOH. BERNOULLI.

In

IN Actis hiſce Anni 1701 pag. 170 & ſqq. tradidi modum circuli arcum in partes quotcunque ſecandi vel eum multiplicandi ope quarundam ſerierum, quæ quidem ubi numerus diviſionis vel multiplicationis eſt integer & affirmativus abrumpuntur, terminosque relinquunt plures pauciores ve pro magnitudine illius numeri: Problema quippe in his caſibus ſemper algebraicum magis minusve compoſitum exiſtit; cum vero indefinite conceptum transcendens ſit, & problemata transcendentia per æquationes ex quantitatibus mere finitis conſtantes ſolvi non poſſint, niſi ea tantum quæ ad quadraturam hyperbolæ vel ad logarithmos reducuntur, utpote quæ admittunt æquationes percurrentes ſeu, ut magno Leibnitio vocantur, Exponentiles, quantitatibus ſcilicet finitis ſed dimenſionibus indeterminatis conſtantes. Hinc prima fronte impoſſibile videtur, aliter quam per ſeriem determinare arcuum angulorumque ſectionem indefinitam; ſiquidem reductio quadraturarum circuli & hyperbolæ ad ſe invicem nondum ſit inventa, imo fere a Geometris pro impoſſibili habeatur.

Verum conſideret B. Lector, quæ in Actis Anni 1703 p. 31 & in Memorab. Acad. Reg. ſcient. pag. 297 Edit. Paris. a me ſunt oſtenſa de Sectore circuli habendo pro logarithmo imaginario, poſtquam docuiſſem generalem methodum integrandi differentialium fractiones rationales vel abſolute vel ſuppoſita quadratura circuli, hyperbolæ, aut utriusque. Obſcurum non erit, quomodo ea nunc ad præſentem uſum ſint vocanda, ut nimirum exhibeatur æquatio finita quamvis *percurrens* pro angulorum ſectione indefinita: Includet illa quidem quantitates imaginarias ſeu impoſſibiles, ſed hæ ipſæ in caſu quolibet particulari evaneſcunt, & ſic quæ per ſe ſunt impoſſibilia, inſerviunt tamen ad inveniendum quod eſt poſſibile & ad ſcopum noſtrum facit, idque levi & extemporanea quantitatum ſubſtitutione; ſicuti ex jam dicendis patebit.

Sit radius circuli $=1$; arcus indeterminatus $=A$; cujus multiplex aut ſubmultiplex quivis $nA=B$; ſitque tangens ipſius A $=x$, & tangens ipſius $B=y$. Notum eſt ex calculo differentiali

 eſſe

esse $dA = \frac{dx}{xx+1}$, & $dB = \frac{dy}{yy+1}$; cum igitur per hyp. $nA = B$, erit quoque (ob numerum constantem n) $ndA = dB$: hoc est $\frac{ndx}{xx+1} = \frac{dy}{yy+1}$; seu multiplicando utrumque per $2\sqrt{-1}$ (quod ita facio, ut postea resolvere possim in differentiales logarithmorum licet impossibilium) erit $\frac{2ndx\sqrt{-1}}{xx+1} = \frac{2dy\sqrt{-1}}{yy+1}$; quæ ergo resoluta, sicuti docui in locis citatis, dabunt hanc æqualitatem $\frac{ndx}{x-\sqrt{-1}} - \frac{ndx}{x+\sqrt{-1}} = \frac{dy}{y-\sqrt{-1}} - \frac{dy}{y+\sqrt{-1}}$ in differentialibus logarithmis expressam: sumtis itaque integralibus prodit æquatio inter logarithmos $nl\overline{x-\sqrt{-1}} - nl\overline{x+\sqrt{-1}} = l\overline{y-\sqrt{-1}} - l\overline{y+\sqrt{-1}}$, qui redacti ad numeros ut moris est fiet $\left(\frac{x-\sqrt{-1}}{x+\sqrt{-1}}\right)^n = \frac{y-\sqrt{-1}}{y+\sqrt{-1}}$ adeoque instituta multiplicatione per crucem, $\overline{x-\sqrt{-1}}^n \times \overline{y+\sqrt{-1}} = \overline{x+\sqrt{-1}}^n \times \overline{y-\sqrt{-1}}$; quæ est æquatio universalis cuilibet arcui multiplicando vel dividendo pro lubitu inserviens; nec obstat quod $\sqrt{-1}$ quantitas impossibilis in illa reperiatur: ea enim in applicatione ad speciale quodlibet exemplum reperietur in singulis æquationis terminis, & ideo per divisionem tolletur.

Hoc interim notari velim, quod ubi n significat numerum parem, valor ipsius y repertus exprimat tangentem non ipsius arcus quæsiti B, sed ejus complementi ad quadrantem: cujus rei ratio manifesta est ex integratione differentialium logarithmorum.

Ceterum ex nostra universali æquatione $\overline{x-\sqrt{-1}}^n \times \overline{y+\sqrt{-1}} = \overline{x+\sqrt{-1}}^n \times \overline{y+\sqrt{-1}}$, si attente perpendatur, fluit regula generalissima pro exprimenda tangente arcus B cujuscunque multipli submultiplive n ipsius dati A, & quidem mirabili facilitate & simplicitate. Regula autem ita habet:

Elevetur $x+1$ *ad potestatem* n, *& ex terminis alternis cum signis alternatim variantibus formetur fractio, ita nempe ut numerator constet primo, tertio, quinto &c. denominator vero secundo, quarto,*

to, sexto &c.: fractio quæ inde emergit exprimet tangentem quæsiti arcus B, *si scilicet* n *sit numerus impar; complementi vero ejusdem, si* n *sit par.*

Exempl. I si n=4.

Sumatur potestas quarta ipsius $x+1$, & erit $\overline{x+1}^4 = x^4+4x^3+6xx+4x+1$: ex cujus terminis alternatim excerptis cum variantibus signis formetur fractio in hunc modum $\frac{x^4-6xx+1}{4x^3-4x}$; dico ob paritatem numeri *n*, fore hanc fractionem = tang. complementi arcus *B* seu *4A*: adeoque converso numeratore in denominatorem & vicissim, haberi $\frac{4x^3-4x}{x^4-6xx+1}$ pro tangente ipsius arcus *B* seu quadrupli arcus *A*.

Exempl. II si n=5.

Termini $\overline{x+1}^5 = x^5+5x^4+10x^3+10xx+5x+1$, disponantur uti dictum in fractionem $\frac{x^5-10x^3+5x}{5x^4-10xx+1}$, hæcque erit ob imparem numerum *n*, tangens ipsius arcus *B* seu quintupli *A*.

Exempl. III si n=6.

Ex terminis $\overline{x+1}^6 = x^6+6x^5+15x^4+20x^3+15xx+6x+1$, sumti pares pro numeratore & impares pro denominatore (propter paritatem numeri *n*) constituent fractionem $\frac{6x^5-20x^3+6x}{x^6-15x^4+15xx-1}$ = tangenti arcus *B* seu sextupli *A*.

IRENÆUS EX EDIT. MASSVETI.

NUper Aprili mense novam exhibuimus Irenæi editionem, cujus recensio cum fieret longior, in Dissertationibus a doctissimo Editore præfixis tum substitimus. Quocirca ipsum jam Irenæum perlustrabimus, cui notas variasque subjecit lectiones, Græca verba cum Latina interpretatione diligenter conferens, ac præterea in utroque, & Latino, & Græco, textu haud pauca scite emendans, difficilioribus etiam locis subinde illustratis. Nec vero suas solum, sed aliorum quoque hujus generis annotationes proponit. Interdum etiam sententias & explicationes aliorum

refellit, ſubſtitutis melioribus. Hinc facile apparet, Lectorum in gratiam non multa excerpi a nobis poſſe, quippe cum pleraque extra contextum orationis breviter exponi nequeant. Ut tamen ſalivam eruditis moveamus, vel tria, quod ajunt, verba ſuffecerint. *Cerebrum exſpuiſſe* p. 3 notat Maſſuetus de iis dici, qui ſubtilitate pollent ingenii. Ἀπολύτρωσιν aliquando ſignificare *judicem*, docet p. 10. Καρπιστὴν interdum dici *dimiſſionem*, cum ſpectatoribus abire permittitur, obſervat p. 47. Lugdunum Galliæ olim etiam *Rhodanuſiam* fuiſſe appellatam, diſcimus ex p. 65. Ad lib. I Irenæi cap. 21, ubi Menander jactat, ſe *miſſum eſſe ab invifibilibus ſalvatorem pro ſalute hominum*, recordamur, B. Ittigio noſtro in Append. de hæreſ. § 20 in mentem veniſſe, legere *inviſibili*, quia Theod. referat, Menandrum jactaſſe, ſe miſſum *a prima virtute*. Sed tamen recepta lectio confirmatur ab Euſebio, quem Maſſuetus adducit, teſtante, Menandrum dictitaſſe, ſe *ab inviſibilibus aeonibus* miſſum eſſe. Difficilior locus occurrit lib. I cap. 26, cujus hoc eſt initium: *Qui autem dicuntur Ebionæi, conſentiunt quidem, mundum a Deo factum: ea autem, quæ ſunt erga Dominum, non ſimiliter ut Cerinthus & Carpocrates opinantur*. Hic particula negativa Danhauero, Pearſonio, Grabio & Ittigio (quem vide ſis ſect. I cap. 6 §. 2 p. 61 Diſſert. de hæreſ. ſec. I & II) prorſus aliena, adeoque exturbanda videtur: Maſſuetus contra vulgatam tuetur lectionem. Verum illos rectius judicare, docet inſpectio Irenæi. Poſtquam enim cap. 24 de Carpocrate, & cap. 25 de Cerintho egerat, & ab utrisque Jeſum pro ſimplici homine, ex Joſepho ac Maria nato, habitum eſſe meminerat, jam ad Ebionæos progreditur, ac monſtrat, (1) in quo a Cerintho & Carpocrate diſcrepantes cum Orthodoxis conveniant: quod ſcil. credant, mundum eſſe a Deo factum, non ab angelis: (2) in quo cum utroque, Cerintho nimirum & Carpocrate, conſentiant, nempe eo, quod ſtatuant, Jeſum fuiſſe ſimplicem hominem, Joſephi & Mariæ progeniem. Hinc liquet, τὸ *non* eſſe ejiciendum. Nec particula adverſativa *autem* permittit, ut negans illa vocula retineatur. Evaderet enim oppido ineptum loquendi genus. Accedit, quod, ſi Irenæus ſcripſiſſet, *non ſimiliter ut Cerinthus & Carpocrates*, debuiſſet addere, in quo diffe-

rat

rat illorum doctrina de Jeſu. Id quod cum non faciat, rurſus fit manifeſtum, particulam illam negativam eſſe tollendam. Dicens enim Irenæus, Ebionæos de Domino ſimiliter ſentire, ut Cerinthus & Carpocrates, nihil opus habuit addere: cum duobus proxime præmiſſis capitibus jam dixiſſet, quid illi de Jeſu ſentirent. Confectum igitur arbitramur eſſe, quod particulæ negativæ locus hic eſſe poſſit nullus. Verum unde ſcriptura Irenæi depravata ſit, operæ pretium videtur diſpicere. Pearſonius & Grabius *non ſimiliter* factum eſſe putant ex *conſimiliter*. Unde hanc vocem in textum recipiendam exiſtimant. Sed non videtur admitti poſſe hæc conjectura, propterea quod vox *ſimiliter* vel ſexcenties occurrit in Irenæo, *conſimiliter* nusquam. Quare non eſt vero ſimile, interpretem Irenæi præter conſuetudinem ſemel poſuiſſe *conſimiliter*. Porro *ſimiliter ut*, quod hic exſtat, alibi quoque legitur lib. I cap. 21: *ſimiliter ut Simon*; Cap. 22: *ſimiliter ut Menander*; Cap. 25: *ſimiliter ut reliqui omnes homines*; Cap. 31: *ſimiliter ut Marcion*. Hæc igitur formula & præſenti loco Cap. 26 merito ſervatur. Aliis igitur τὸ *non* videtur intruſum eſſe. Quod quidem in permultis autorum locis factum eſſe, inter Criticos conſtat: ſed hoc loco nulla apparet cauſa, quæ Lectorem quempiam movere potuerit ad inſerendam illam voculam: contra potius fuiſſet ei cauſa, eam eliminandi. Afferre nobis liceat novam conjecturam, de qua doctiores judicent. Nimirum videtur vera ſcriptura hæc fuiſſe: *Ea autem, quæ ſunt erga Dominum noſtrum, ſimiliter ut Cerinthus & Carpocrates opinantur.* Vox *noſtrum* compendioſe ſcripta locum facere potuit errori librariorum. Certe ſæpius Irenæus de Chriſto loquens, eum vocat *Dominum noſtrum*, ut lib. 1 cap. 1 (p. 44 edit. Eraſmi) cap. 2 bis, cap. 28 & 29: lib. II cap. 3 & 5 & 36. Eſt quidem, ubi eundem etiam ſimpliciter *Dominum* nominando innuit, ut lib. I cap. 29, & lib. II cap. 3. Quare erroris occaſio etiam eſſe potuit repetitio poſtremæ ſyllabæ vocis *Dominum*, ita ut ex *num* factum ſit *non*. Adeoque legendum foret: *erga dominum ſimiliter ut* &c. Utram errandi occaſionem eligamus, fortaſſe parum refert: modo hinc rectius intelligatur, *non* illud eſſe ὑποβολιμαῖον. Ceterum quando in fine hujus capitis 26 Ebio-

Ebionæi dicuntur Judaicarum opinionum rituumque tenaces eſſe, ac præterea *Hieroſolymam adorare, quaſi domus ſit Dei*, videant, quibus vacat, an forte locus hic faciat ad illuſtrandam hiſtoriam Cœlicolarum, in *Cod. Iuſtin.* memoratorum, de quibus tanta eruditos inter viget diſcordia. Sed hæc hactenus. Libro II cap. 41 ad locum Irenæi longe obſcuriſſimum *de nomine Jeſu* perveniens Maſſuetus p.149 ſq. profert novam conjecturam Martianæi. Nos ſuaſerimus, ut eundem ad locum conſulatur erudita diſſertatio Celeb. Danzii, Philologi ac Theologi Jenenſis, præfixa *Paradigmatibus Hebraicis* A. 1709 editis: in qua ſolerter veram Irenæi lectionem ac genuinum ſenſum indagat. Eramus hic eam exhibituri in compendio: ſed cum per inſtituti noſtri leges brevitati ſtudendum ſit, nec Danziana illa *χρῆσις* commode in compendium poſſit redigi, ſufficiat, fontem Lectoribus indicaſſe. Idque eo magis neceſſarium duximus, quod talia in libris tyronum uſui deſtinatis quæri non ſolent.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Parerga Critica.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielkium, 1712, 8.

Plag. 14½.

HAut parum intereſſe rei litterariæ, libros, maxime veterum, a corruptelis, quas vel librariorum indocta, vel correctorum audax manus invexit, liberari, adeo teſtatum eſt inter eruditos, ut hujus artis cultoribus haud poſtremum in ordine ſuo locum aſſignaverint. Pauci tamen de arte hac ejusque regulis commentati ſunt, immo nemo quisquam, ut Autor præſentis libri in Præfatione obſervat, methodum inveniendi veram lectionem commonſtravit: licet hic illic utiliſſima quidem illa, ſed tamen disjecta, nec naturali cohærentia ordine, præcepta inveniantur. Quare in animum induxit, paucas easdemque perſpicuas tradere regulas, quarum ope ita perveniri poſſit ad veram lectionem, ut animus non incerta conjectura fluctuet, ſed certis rationibus confirmetur. Huic tractationi integram dicavit Diſſertationem, in qua & generatim de totius Artis Criticæ natura & complexu, idque breviter, & ſpeciatim de illa Critices

Digitized by Google

ces parte, quæ in emendandis libris verſatur, uberius agit. Criticam ait nihil eſſe aliud, quam philoſophiam ſive uſum rationis circa verba: &, ut Philoſophi ſint Critici reales, ſic Criticos eſſe Philoſophos verbales. Qua poſita definitione partes artis Criticæ inde deducit, easque in tabula quadam repræſentat, addens, plures earum a Clerico aliisque prætermiſſas eſſe, propterea quod naturam artis Criticæ non ſatis diligenter inveſtigarint. Ipſe, ſequentes eſſe Criticæ artis partes, definitione ſua nixus contendit, (1) naturam ſive omnium linguarum generatim, ſive certæ cujuspiam linguæ, contemplari: (2) originem & natales inveſtigare ſive vocabulorum ſive adagiorum: (3) methodum linguæ addiſcendæ præſcribere aptiſſimam facillimamque: (4) regulas tradere interpretandi verba phraſesque obſcuriores: (5) interpretari fabulas Poetarum, item ænigmata: (6) judicium ferre de ſtylo ejusque virtutibus ac vitiis: (7) diſcrimen ſtyli oſtendere ratione ætatum: (8) judicare de ſtylo certæ ſectæ vel diſciplinæ, de ejusque uſu: (9) deſignare characterem ſtyli cujusque auctoris: (10) ex his ſtyli characteribus diſcernere, (α) utrum certi autoris oratio ſit ſincera, an gloſſemate aliquo interpolata: (β) utrum verba ejus ſana ſint an corrupta, & quomodo ſint emendanda: (γ) utrum liber autori ex vero tribuatur, an ſit ſuppoſititius: (δ) qua ætate liber ſit ſcriptus, qua non ſit: (ε) quis autor ſit libri ἀνωνύμȣ vel ψευδωνύμȣ: (11) judicium ferre de recta pronuntiatione linguæ alicujus: (12) denique orthographiam ſolidis ſuperſtruere fundamentis. Ex his omnibus ſpeciatim illam Criticæ artis partem perſequitur, quæ corrupta autorum loca priſtinæ reſtituit integritati: quam, ut a ceteris Critices partibus diſcernatur facilius, vocat Therapevticam, deſumpto e Medicorum ſchola vocabulo, non dubitans, id nominis Criticis omnibus probatum iri, cum *ſanare* loca autorum ſuum eſſe profiteantur, & vitiata loca *medicina* egere dictitent.

p. 6. · 12 ſq. · 9 ſq. · 13.

Hujus artis therapevticæ antequam exponit regulas, Criticorum vitia docet duo eſſe præcipua, inconſultam in corrigendo temeritatem, & cœcam MSS. librorum venerationem. Ad poſteriorem hanc prius tollendam, & rationibus & maxi- 15 ſqq

morum Criticorum teſtimoniis labefactat fidem & autoritatem MSS. codicum, oſtenditque exemplis, quosdam male lectionem veterum librorum prætuliſſe eruditæ conjecturæ. Affert etiam
p. 22. duo exempla mendorum antiquiſſimorum, quorum alterum in Hieronymi Catal. ſcript. eccl. cap. 78 jam ipſius ætate autoris irrepſit & ad noſtra usque tempora manſit: alterum in Cicerone
23. lib. VII ad Famil. epiſt. 6 pariter jam diu hæret. Nempe in illo *actorum* legitur pro *ad aram:* in hoc *manus gypſatiſſima* pro
24. *diſertiſſima.* Hinc judicium fert de libris MStis, docens, ſi ii inter ſe comparentur, vetuſtiſſimum quemque eſſe præferendum: ſin comparentur cum judicio Critici recte informato, hoc
25. omnibus anteponendum eſſe codicibus. Quinque tamen tempora eſſe largitur, quibus ingenium non poſſit in conſilium adhiberi, adeoque ad libros veteres confugiendum ſit. *Primo*, cum in textu eſt lacuna: qua occaſione in Ciceronis lib. II de Offic. cap. 23 lacunam notat nemini antea obſervatam; *ſecundo*, cum nomen aliquod proprium eſt depravatum; *tertio*, cum gloſſema ſubtile textui ineſt: *quarto*, cum duarum lectionum neutra alteram veri ſpecie vincit: *quinto*, cum codex aliquis depravationi ſcripturæ occaſionem præbuit. Singula illuſtrat exemplis. Nos ultimum duntaxat annotabimus, quo in Lactan-
29. tii *de mort. perſec.* cap. 1 legendum eſſe *deletis* pro vulgato *addetur his* oſtendit ex ſpecimine MSti nuper a Nurrio Lutetiæ edito.

Hinc ad Criticorum temeritatem coercendam præſcribit Canones artis therapevticæ. Primus eſt: *Priusquam emendationem tentes, diſpicias, an forte aliena verba autori ſint inſerta.* Hac occaſione agit & de cauſis & de criteriis gloſſematum, utraque exemplis a ſemet ipſo notatis illuſtrans. Affert quoque gloſſemata, quæ & ipſa ſunt corrupta adeoque emendationis indigent. Inter hæc refert vocem *lenonibus* apud Juſtinum
37. Hiſt. II, 3, 8, quæ vox Criticos valde exercitos hactenus habuit. Noſter cenſet, eam natam eſſe ex *aliquibus*, quam vocem margini
42. adſcriptam fuiſſe vero ſimile facit. Secundus canon iſte eſt: *Priusquam emendationem loci, non gloſſemate, ſed depravatione ſcripturæ vitiati, tentes, ſatis perſpectum habeas, locum illum men-*

Digitized by Google

mendo laborare. Hanc legem docet ſæpius a Criticis violari, locum emendantibus, cujus vel elegantiam non ceperint, vel Græcismum non animadvertant, vel in quo rarior vox phraſisque occurrat, vel denique ubi ipſe ſcriptor aberrarit ſive in re ipſa ſive in verbis. Quæ ſingula rurſus exemplis illuſtrat idoneis. Tertius canon eſt: *Ubi certus es de mendo, tunc cogita, quid eo loco ſcribere autor voluerit, quidque in animo habuerit.* p. 53.
Quartus & ultimus: *Tum ſollicitus eſto de verbis ad corruptam lectionem quam proxime accedentibus, ut occaſio corruptionis in oculos ſtatim incurrat.* Poſtremas hasce duas leges adhibet ad emendandum corruptiſſimum locum Tertulliani *lib. de præſcript. adv: hæret. cap.* VIII. Concludit hanc diſſertationem oſtendendo, easdem hasce leges in libris excuſis eſſe ſequendas. 55.

Iam ſequitur *Hebdomadum Criticarum Hebdomas*, in qua ſeptem Autorum ſeptena loca integritati reſtituit ſuæ. Hos autores eo collocavit ordine, ut Latino cuique ſubjunctus ſit Græcus, agmen claudente Poeta. Cicerone igitur familiam ducente, proxime ſequi juſſit Zoſimum: hunc Tacitus excipit, Jamblichum habens comitem: procedit hinc Curtius, cui Palæphatum adjunxit: poſtremum locum ornante Ovidio. In quorum locis emandandis non, quod plerique faciunt, ſatis habet dixiſſe: *Ego ſic lego*; ſed emendationis ſuæ reddit rationem depravatæque ſcripturæ originem monſtrat & cauſam, adeoque lectionem ſuam Lectoribus perſuadere conatur rationibus lucide copioſeque exponendis. Ex his unum alterumve exemplum proferemus, vel potius brevitatis ſtudio notabimus. In vexato illo loco Taciti *Agric. XLVI*, 2 pro his verbis: *admiratione te potius temporalibus laudibus, & ſi natura ſuppeditet, militum decoramus*; reponit: *admiratione te potius, te immortalibus laudibus, & , ſi natura ſuppeditet, ſimilitudine colamus.* Apud Ovidium *Heroid. Epiſt. XI v.* 1 legendum eſſe docet: *Si qua tamen cæcis exſtabunt ſcripta lituris.* Vulgo legitur *errabunt.* Sequitur *Gloſſematum Decas*, ex qua unum repetemus, quod Autor noſter obſervavit in Vulgata verſione S. Scripturæ. Nimirum *Galat. V*, 7 legitur: *Currebatis bene: quis vos impedivit, veritati non obedire? Nemini conſenſeritis.* Et Hieronymus & Eraſmus

(Margin: 87. — 129. — 132.)

ſmus mirantur, unde duo poſtrema verba irrepſerint, quæ in
Græco textu abſint. Sed Noſter docet, eſſe hoc gloſſema, idque
corruptum. Nempe, inquit, ad illa verba: *Quis vos impedi-
vit, veritati non obedire?* aliquis in margine adſcripſerat hæc
verba, ἐπεξηγήσεως cauſa, *ne mihi* (Paulo) *conſenſeritis*; ex qui-
bus poſtea factum: *nemini conſenſeritis*, *h* in *n* mutato. Suc-
cedit *Emendatio emendationum aliquot falſarum in Cl. Clerici Ar-
te Critica occurrentium.* Hujus operis cum quarta editio nuper
prodierit, obſervavimus, ſingula loca, ab Autore noſtro notata,
adhuc ibi exſtare: niſi quod poſt Præfat. ad Tomum II affert
duo loca Taciti & Ovidii, ubi exſtat *contrectare aliquid oculis*.
Dixerat enim Clericus, perperam in Lactantio legi, *res cæleſtes
oculis contrectari*, judicaratque, ea dictione nihil abſurdius fin-
p. 148. gi poſſe. Verum Autor noſter non ſolum eadem loca ex Tacito
& Ovidio profert, ſed adhuc quinque alia ex Tacito, ipſo Lactan-
tio, Gregorio Nazianzeno, Auguſtino, & Hieronymo. Reliqua
loca, quæ Noſter a Clerico minus recte ſanata cenſet, præterimus,
illud duntaxat monentes, eum vulgatam lectionem multis tueri
149. 1 Timoth. III, 15 & 16, & in genealogia Chriſti Matth. I. Tandem
156. exhibetur Diſſertatio Critica ad 1 Joan. V, 20, ubi Noſter inter-
192 ſq. punctionem vulgatam mutat, ſic legens: ὗτός ἐςιν ὁ ἀληθι-
νὸς, θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος, *Hic eſt verus ille*, ſcilicet
Meſſias, *hic Deus eſt & vita æternæ*, id eſt, ab æterno & in æter-
num exiſtens. Ut ſic emendaret ſacrum hunc locum, ea re ſe
maxime motum eſſe fatetur, quod bis antea eodemque hoc ver-
ſu Ioannes ſcribat: ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν· καὶ ἐσμεν
ἐν τῷ ἀληθινῷ. Τὸν ἀληθινὸν enim ſignificare hoc loco Meſ-
ſiam, ex ſcopo totius Epiſtolæ oſtendit. Ea enim ætate complu-
res erant, qui Ieſum pro magno quidem Propheta, ſed non pro
Meſſia habebant: in quos tota hac Epiſtola calamum ſtrinxiſſe
Ioannem, pluribus comprobat. Hac occaſione diſquirit, qui-
nam præcipue ſint hæretici ab Ioanne notati: cumque Ebionæos
eſſe probarit, de horum origine uberius agit ac nomine, eosque
refellit, qui Ebionem aliquem credunt exſtitiſſe. Noſter Ebio-
nem primum putat effictum eſſe a Tertulliano, quem propterea
vocat Ebionis patrem poſthumum. Porro docet, Ebionæos &

Naza-

Digitized by Google

Nazaræos fuisse unam eandemque sectam, qui cum Jesum coluerint pro magno Propheta, sed Christum sive Messiam esse negarint, Noster eos inter Christianos referri non posse arbitratur, sed recte tamen vocari posse Jesuitas, ut ita in Ebionæis & Nazaræis *Jesuitas* habeamus primi seculi.

Historischer Schau-Platz rc.

h. e.

THEATRUM HISTORICUM PRÆTENSIONUM & controversiarum illustrium in Europa; Autore CHRISTOPHORO HERMANNO SCHWEDERO.

Lipsiæ, apud Joh. Lud. Gleditsch & Maur. Ge. Weidman, 1712, f. Alph. 10 pl. 4.

Illustre hoc argumentum a Nobilissimo Schwedero, Serenissimi Regis Borussiæ in Curia Provinciali Pomeranica Referendario, solerter admodum & magna diligentia est tractatum: qua in re eo majorem laudem promeritus est, quod adhuc nemo fuerit inventus, qui illud tanto apparatu ac studio, quantum res ipsa postulabat, persecutus fuerit. Agitur vero in hoc libro de illis potissimum prætensionibus & controversiis, quæ de territoriis inter summos Principes intercedunt, hodieque durant: quæ enim ad jus præcedentiæ vel religionem & reformationem pertinent, itemque quæ transactione partium vel alio modo jam sunt sublatæ, eas vix hic deprehendas, exceptis tantum paucis nonnullis memoratu dignioribus, quæ nuper demum sunt compositæ, & de quarum exitu in aliis Autoribus aut manca aut nulla plane mentio extat. In ipsa tractatione plerumque primo origo controversiæ & species facti præmittitur, deinde argumenta partium cum exceptionibus & replicis exponuntur, quibus deniq; status, quo res hodie est, subjungitur. In fine paginarum fideliter allegantur scripta idonea, qualia deductiones vocare solent, aliaque stupenda industria collecta, quibus in conscribendo hoc opere usus est Autor clarissimus: quæ res in hoc argumento utiq; requirebatur, quo Lectori constare posset, quantum relationi Autoris sit fidendum, utque, si opus fuerit, uberior notitia ex iisdem fontibus

capi poſſet. Opus totum diſtributum eſt in Partes ſex, quarum prima prætenſiones & controverſias Imperatoris & Imperii, ſecunda Regum Europæorum, tertia Principum Eccleſiaſticorum, quarta Principum ſecularium, quinta Rerumpublicarum & civitatum Imperii liberarum, ultima Comitum Imperii exhibet. Optat vero Nobiliſſimus Autor in Præfatione, ut, qui plura parata habeant ad hoc argumentum ſpectantia, quæ ad ipſius notitiam nondum pervenerunt, ea aut ſibi aut bibliopolis, quorum ſumtibus hoc opus prodiit, transmittant, quo de indole ac juſtitia harum cauſſarum, de qua Orbi perſuaſum eſſe intereſt partium, conſtare poſſit. Ceterum liber hic elegantiſſimus inter eos referendus eſt, unde ſpecimina depromi difficillime poſſint, quare cupidos Lectores ad ipſum amandamus: Autori vero eruditiſſimo impenſe gratulamur, quod opus tot Doctorum votis hactenus expetitum, feliciter ac ſummo omnium plauſu procuderit.

GRAMMATICA ANGLO-SAXONICA E HICKESIANO THESAURO excerpta.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1711, 8 maj.

Plag. 6.

QUantum nomen *Franciſcus Junius*, Vir antiquitatum domeſticarum curioſisſimus, apud Britannos ſibi conciliaverit, cum MSta ſua Anglo-Saxonica, Gothica, Runica &c. una cum elegantiſſimis ejusdem generis typis, quæ ingenti pretio ſibi ſtudioſe comparaverat, ante obitum Oxonienſi Academiæ legaret; rei literariæ cultoribus non eſt ignotum. Crevit tamen ejus fama non parum, cum Viri eruditiſſimi MSta quædam ejus, typis expreſſa, cum erudito Orbe communicarunt. Qua in re laudari inprimis meretur *Eduardus Thwaites*, qui Ælfredi Pentateuchum, libros Joſuæ & Judicum, librum Jobi, Evangelium Nicodemi & Hiſtoriæ Judith fragmenta Anglo-Saxonice anno 1698 edidit, iſtumque librum *Georgio Hickeſio*, ceu Linguæ hujus reſtauratori, dedicavit. Nec id immerito, cum vel hæc *Grammatica Anglo-Saxonica*, e magno opere Hickeſiano ex-

excerpta, cujus ſciagraphiam B. L. nunc exhibere animus eſt, ſatis clare demonſtret, quantos Vir eruditiſſimus in hac lingua fecerit progreſſus. Incipit illa methodo conſueta a Literis Anglo-Saxonicis, quarum figura, poteſtate, affectionibusque recenſitis, ad Articulum, Nomen, *Subſtantivum & Adjectivum*, Pronomen, Numeros, *Cardinales & Ordinales*, Verbum, quod in *Subſtantivum*, *Adjectivum & Anomalon* ſubdividitur, Adverbia item, Conjunctiones, Præpoſitiones, *Accuſativum* & *Ablativum* regentes, & Interjectiones progreditur. Quibus dextre explicatis, de Syntaxi porro, inprimis verborum, eſt ſollicitus Autor, infinitisque exemplis, quomodo tractu temporis dicta lingua vocibus Dano-Saxonicis & Normanno-Saxonicis ſit corrupta, demonſtrat. Tandem, ne huic labori aliquid deeſſe videatur, Poeſin quoque Saxonicam, doctrinam de Accentu, Cryptographiæ exempla, & Alphabetum Ulfilæ ſeu Mæſo-Gothicum, Runicum & Islandicum ſubjungit. Hæc ſunt, quæ in Grammatica Anglo-Saxonica traduntur, viamque ſternunt, ad intelligendum ea, quæ proxime forſitan lucem publicam aſpicient. Non defuturos enim credimus, qui promiſſum *Quinque linguarum Gloſſarium*, & *Comment. in TACIANI Harmoniam IV Evangeliorum Francicam* patienter exſpectabunt.

LOGICA SACRA ET METAPHYSICA exemplis Theologicis illuſtrata; edita a C. D. K. D. P. P.

Helmſtadii, impenſis Joh. Melch. Suſtermanni, 1711 & 1712, 8. Alph. 1 pl. 2½.

IMpetrata a quodam ſumme Reverendo in Academia Julia Theologo hæc opuscula Corneſius Dietericus Koch, Theologiæ Doctor, & in eadem Academia Philoſophiæ Profeſſor, noſterque in his Actis colligendis Collega, una cum præfationibus, in auditorum uſus publicavit. Quare tum Venerando Autori, tum Editori Cl. multas imprimis grates debent Theologiæ ſtudioſi, qui ſibi e libellis his fructum ſingularem poſſunt polliceri. Ceterum cum prolixius de iis agere ſupervacaneum ducamus, optamus ſaltem, ut bene de re literarum publica mereri diu uter-

que

que pergat, & Autor quidem *Lexicon Antiquitatum*, ceteraq; luce digniſſima, feliciter abſolvat, Editor vero *Polybiſtorem Logicum* & quæ contra *Jo. Harduinum*, Soc. J. in his Actis anno 1710 ex Operibus ſelectis laudatum, docte commentari eſt ingreſſus. Cœpit hic idem Helmſtadii ſuperiore anno celebrare *Congreſſus Literarios*, quibus per hebdomadem bis de rebus eruditorum & libris novis, rarioribus atque utilioribus, editis vel MStis, diſſeritur, quæque ſunt expoſita, in commentarios referuntur. Placuitque Autori, hanc *Societatem conantium reſtitutam* appellare, & ſymbolo donare ſtipitis conſiti novis ſurculis, cum dicto: *conando*. Id quod in gratiam Lectorum curioſorum verbo commemorandum duximus.

JO. HENRICI ACKERI OPUSCULA ELOquentiæ, comitata ſummi olim Viri JOANNIS CASELII politiſſima Oratione pro Arte Poetarum. Faſciculus I.

Rudolſtadii, ſumtu J. Felicis Bielckii, 1712, 8. Plag. 9.

VAria hic exhibemus non emarcidæ aut elumbis, ſed maſculæ eloquentiæ opuſcula, ab Autore doctiſſimo, ut res ſeſe in ſchola Rudolſtadienſi, cui ſecundo loco præeſt, dederunt, elaborata. Habes itaque hic Diſſertatiunculas *de pompa funebri Pauli Æmilii*, quam e Plutarcho deſumtam pulcre exornavit; tum *de boni Patris Filio*, *Regiminis & ſapientiæ herede*; *de jure* item *Principis in Schola alumnos*; *de pulvere Scholaſtico*; *de plauſu*; *de cauſis pereuntium literarum*, denique *de laudibus Advocati;* quibus accedunt tabulæ in literati ſaxi formam adornatæ & Epiſtolæ nonnullæ propempticæ. Adjecit Autor ultimo loco doctiſſimam Caſelii pro arte Poetarum orationem, cujus ſummi Viri ſcripta omnia, jam dudum promiſſa, ut tandem prodeant, ſerio optamus.

ERRATUM.

In Actis hujus Anni 1712 p. 176 pro Chriſtianos *lege* Ethnicos.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M DCC XII.

PANTHEON ARGUTÆ ELOCUTIONIS & omnigenæ eruditionis selectiori extructum Atticismo, omnia politioris literaturæ complectens genera, quibus eloquentia, præsertim Concionatoria, enitescit &c. Opus duobus Tomis digestum; Autore R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI, Clerico Regulari, SS. Theologiæ Professore.

Augustæ Vindel. & Francofurti, sumptibus Jo. Caspari Bencard, 1712, fol.

Alph. 10.

Quamplurimis, quæ subinde edidit, ingenii monumentis Rev. Autorem celebre & Polygraphi fere nomen sibi comparasse, vel ex syllabo scriptorum ab ipso evulgatorum, Tomo primo hujus operis a Typographo præmisso, cognoscimus, in quo XXIV Volumina Monachii, ubi vitam agit Veranus, in forma majori excusa recensentur, quorum argumentum & ad humaniores literas, & ad philosophicas pariter ac theologicas res pertinet. Illud, quod jam exhibemus opus, Noster, cum vix annum ætatis vigesimum sextum attigisset, primum fuit enixus jurisque publici fecit, postea vero magis magisque exasciavit ita, ut nunc adultum quasi & editionis tertiæ ac emendatioris variisque tractatibus ineditis antea auctioris titulo commendatum prodeat; nec Actis hisce illud inserere dubitavimus, quod & novo splendidoque habitu se sistit, & nostris in oris vix hactenus innotuit. Inscribitur Illustrissimo & Excellentissimo S. R. I. Comiti Domino Jo. Antonio Schaffgotsch, eamque ob causam Pantheon appellatur, quod,

uti illud priscæ Romanorum gentis lipsanum cunctorum numinum sculpta vel ære fusa simulacra spectanda præbuit, ita singulas fere partes amœnioris literaturæ ac eruditionis politioris varia genera hic conspicere liceat.

Ita vero totum opus constructum est, ut in duos Tomos dispescatur, quorum primus ea, quæ Oratorem formant ac perficiunt, dilucide explicat, fontesque, quibus vegeta & mascula eloquentia oritur, aperit, ea quidem methodo, ut breviores regulæ exemplis seculi nostri genio accommodatis mox illustrentur. In *primo* scilicet primi hujus Tomi libro, qui Prolegomena XXXIV continet, generatim fere de Rhetorica, illiusque cunabulis, definitione, progressu, officio, fine, objecto, præstantia, viribus, prærogativis, partibus, præsidiis, de Rhetorum honoribus, de imitatione ejusque multiplici ratione, de periodi variatione & excerptorum collectione, de argumenti delectu & propositionis ornatu, de partitione & symmetria membrorum texendæ orationis, de stylo illiusque cultura, varietate & charactere, de themate, materia, forma ac dispositione sacræ concionis, de Oratoris memoria & ingenii cultura, & denique de pronunciatione & actione Oratoria varia traduntur. Tum libro *secundo*, qui perinde, uti sequentes, in varias expensiones, quas vocat Autor, distribuitur, de inventione locisque topicis agitur, quorum diversæ classes ordine recensentur, variisque exemplis sive ex veterum, sive ex recentiorum, sive ex sacris, sive ex profanis monumentis petitis, non minus eleganter quam prolixe declarantur. *Tertius* vero liber doctrinam de argumentatione continet, ubi adeo de argumentorum dispositione & ordine, de variis argumentationum speciebus, syllogismo scilicet, enthymemate, inductione, exemplo, dilemmate & sorite, de medio probabili in argumentis ex locis intrinsecis & extrinsecis adhibendo, de fontibus argumentorum, quæ firmandis concionibus apta sunt, & de varianda argumentatione tractatio instituitur. Hinc libro *quarto* amplificationis artificium cum diversis illius formis delineatur, & quomodo per metaphoras conglobatas, ab eruditione multiplici, a fonte sententiarum, ab enumeratione partium, per similitudinem & exempla argumenta orationis amplificari queant, cumu-

latim

Digitized by Google

latim ostenditur, uti & reliqua, quæ de forma amplificandi subjectum per historias conglobatas & figurarum varietatem, de amplificatione ab iis, quæ cadunt sub sensus, de repræsentativa per hypotyposin, de absoluta, comparativa, universali, particulari, pathetica, arguta & mixta amplificatione dicuntur, prolixe satis deducta videas. *Quintus* liber Dispositionem & partes orationis singulas ita expendit, ut insimul quædam de legitimo concionum ecclesiasticarum charactere, earundem gravitate, acrimonia & suavitate, materia item atque forma quædam addantur, quibus ultimo loco idea Concionis in genere deliberativo ad Habac. IV, 11 subjungitur. *Sextus* liber de genere epidictico seu demonstrativo, deliberativo & judiciali eorundemque œconomia Lectorem informat, & ideas orationis panegyricæ, nuptialis, Epithalamii, Epiniciorum, nec non lamentatoriæ, funebris, apprecatoriæ, salutatoriæ eucharisticæ orationis, dedicatoriæ epistolæ & præfationis, suasionis item & dissuasionis, hortationis & dehortationis, conciliationis & consolationis œconomiam atque exempla proponit. *Septimus* liber elocutionis atque figurarum rationem habet, ubi præmissis quibusdam de antiquis Oratoribus, qui elocutionem commendarunt, illius ornatus describitur, tropi atque figuræ enarrantur, deque periodo ejusque nomine & definitione, pedibus & partibus aliisque circumstantiis, quæ huc spectant, disseritur, ac præterea variarum artium officinæ recluduntur, e quibus rariora orationis ornamenta depromi poterunt, additis sub finem aliquot regulis, quæ ornandæ periodo accommodatæ & ab autoribus emunctæ & purioris Latinitatis profectæ sunt. *Octavus* liber de argutiis oratoriis earumque ortu, nomenclatione & causis plura commemorat, docetque, quomodo vel a non causa pro causa, vel a paradoxis sensibusque non obviis, vel a fonte alienatorum, comparatorum, allusionum & eruditionis variæ, vel e verborum lusu, vel ex hyperbole & hypotyposi, vel ab inexpectato, vel a circumstantiis & adjunctis rerum, stemmatum, personarum, loci, temporis, vel a dictis gravioribus arguta loquendi ratio scaturiat. *Nonus* denique liber, qui ultimus hujus Tomi est, argutias imprimis sacro-morales Concionatorias, ut vocat Autor, complectitur,

earumque varia exempla exhibet, vel ex ſacris literis, vel Patrum ſcriptis deſumta, quæ partim ad Sacræ Scripturæ, & ad fidei, ſpei, charitatis, gaudii atque pacis commendationem faciunt, vel ad excitandum virtutum ſtudium odiumque vitiorum conducunt.

Poſterior hujus operis Tomus decem conſtat libris, & *primus* quidem de Poetica arte, quæ Oratori multum affert ſubſidii, illiusque natura & utilitate, de multiplici carminum pede ac genere, de figuris & ornamentis, de amplificatione poetica, de Epigrammate, Elegia, Epico, Bucolico, Lyrico & Satyrico carmine, nec non de Comœdia, Tragicomœdia, Tragœdia & fabulis inſervientibus Poeticæ multa erudite tradit; *ſecundus* vero metaphoricos poeticarum argutiarum fontes oſtendit, exemplis non minus, quam regulis Lectorem inſtruens. Hinc libro *tertio* mythicam eruditionem Autor exponere aggreditur, varia de Diis Deabusque, quæ Poetæ finxerunt & Mythologi enarrarunt, in compendio referens, cumque Poeſi admodum adfinis pictura ſit, libro *quarto* Mythologicæ doctrinæ Iconica adjicitur, in qua elementorum mundi, regionum, fluviorum, temporum, ætatum, ventorum, ſcientiarum, artium, virtutum, vitiorum rerumque aliarum icones poeticæ repræſentantur. A Mythica & Iconica poeſeos eruditione libro *quinto* progreditur Veranus ad lapidariam elocutionem, quæ inſcriptiones, elogia & epitaphia complectitur. Hic enim non modo de ſignificatione, nomine, forma, fine, ſtylo, perfectionibus ac vitiis inſcriptionum variisque illarum generibus, ſed etiam de elogiorum nomine, origine, qualitate, charactere, regulisque ea texendi, nec non, de fine eorum plurima ſcitu digna profert, tandemque epitaphiorum ab elogiis & inſcriptionibus diſcrimen, multiplicem illorum ſpeciem, optimum characterem, & quæ circa initia, ſententias, formulas & figuras in iis adhibendas, nec non affectus ciendos obſervanda ſunt, edocet, ſubjectis pluribus epitaphiorum exemplis, quæ præ ceteris acumine præſtare videntur. Expenſa lapidaria elocutione ad ſymbolicam ſe confert, & quia nonnulli de ſymbolis confuſe quodammodo ſcripſiſſe viſi ſunt Autori, illud agit, ut ſingulas illorum ſpecies accuratius paulum diſtingueret ac ſeorſim explicaret. Unde libro *ſexto*, præmiſſis quibusdam in genere de ſymbolis,

Digitized by Google

symbolis, numismata, quibus veteres rerum pretia censuerunt, & quæ plerumq; symbolicam figuram referunt, considerat, annulos symbolis sæpius insignitos expendit, notas clandestinas exponit, Hieroglyphica fontesque eorum describit, emblemata eorumque nomen partesque, ex quibus coalescunt, evolvit. Agit quoque de apodosi seu applicatione emblematum ad documentum morale, eorumque multa exhibet a fabulis & Apologis petita, quæ moribus ad virtutis normam componendis inserviunt. Imprimis autem libro *septimo* de symbolo heroico, quod Italis *Impresa*, Gallis *Devise*, Nostro vero Phrenoschema appellatur, dicere suscipit, & nomen & originem & definitionem ejus explicans, præcipuosque autores enumerans, qui de hac arte symbolica quædam consignarunt. Enucleantur quoque variæ circa hanc rem quæstiones, de quibus inter eruditos non ubique convenit, an scilicet Phrenoschema ex solo lemmate, vel ex sola figura possit componi? an figuram humanam aut membra humani corporis excludat? an corpus perfecti Phrenoschematis fabulosum vel chimæricum, vel solum verum & reale esse queat? an ex figura cujuslibet corporis naturalis effingi possit? an figuræ corporum naturalium figuris artificialibus sint perfectiores? an pluralitas figurarum sit de Phrenoschematum essentia? Adduntur alia, quæ ad figuras symboli heroici, & ad perfectionem & quantitatem lemmatis spectant, nec non aliquot priscorum hominum symbolica lemmata, quæ quidem ab artis regulis discedunt & recentioribus tanquam imperfecta non approbantur, eo quod vel per modum sententiæ integræ se habeant, vel nimia verborum prolixitate peccent, vel figura careant, nostro tamen Autori ob documenta moralia non indigna, quæ adducerentur, visa sunt. Porro libro *octavo* symbola, quæ lemmate destituuntur, &, cum a simplici rei comparatione petantur, figuræ rectius quam symbola dicerentur, tum ex sacrarum literarum tum sanctorum Patrum fontibus, in concionatorum imprimis commodum, Autor collegit, iisdemque non modo vitia quædam, luxuriam nempe, superbiam, avaritiam, invidiam, & acediam, sed & dona Spiritus S. prout septem peccatis capitalibus opponi solent, diversimode declarat. Tandem libro *nono* atque *decimo* Peristromata Ethico-

ſymbolica repræſentantur, quæ exhibent corpora cœleſtia, ſidera fixa, errantia, aeris phænomena, nubes, ventos, imbres, pluvias, cometas aliaque meteora, aves, aucupes, canoras, voraces, carnivoras, elementum aquæ, flumina, lacus, fontes, maria, naves, inſulas, conchas, oſtrea, cancros, margaritas, corallia & alia ſcopulis adhæreſcentia, naturas & proprietates piſcium, quadrupedum, inſectorum, draconum, plantarum, arborum, florum ac gemmarum, quæ ſingula inſperſis quam plurimis excurſibus moralibus, qui varia eruditione lectoribus ſe commendant, ad mores rite formandos ita applicantur, ut utile dulci ubique miſceatur.

Et hæc fere eſt totius operis ſtructura, cujus utrique Tomo index rerum notatu digniorum ſubjungitur. Quamvis vero ex tanta rerum utiliſſimarum & jucundiſſimarum ſylva quædam ſeligere haut difficile nobis eſſet, ne tamen inſtituti noſtri limites transgrediamur, ſuffecerit ſpeciminis loco ea imprimis annotasſe, quæ T. II p. 344 de Autoribus, qui artem ſymbolicam ſcriptis excoluerunt, Verano obſervantur. Primum ſcilicet omnium, qui in Italia huic rei operam navarunt, Paulum Jovium fuiſſe monet, cujus brevem dialogum de ſymbolis conſcriptum & præter imagines, quibus veteres exornarunt cœmeteria, vexilla & clypeos, quinque regulas complexum, laudat atque breviter recenſet. Manum huic arti poſt Jovium adjeciſſe Hieronymum Ruſcellium, qui Italica lingua Diſſertationem edidit de ſymbolorum origine, in octo digeſtam capita, quæ id uberius deducunt, quod Jovius brevius perſecutus eſt. Ruſcellium excipit Scipio Ammiratus, Genealogus perquam celebris, cujus dialogus de ſymbolis proſtat, de quo Veranus ita judicat, quod plura Autor inſeruerit, quæ ad ſcopum non videantur collimare, alia addiderit, quæ in hujus artis notitiam minime conducant. In Academia Affidatorum Papienſi Alexander Farra, JCtus haut ignobilis, opus promulgavit, ſeptem comprehendens Tractatus, quorum ultimus Philoſophiam ſymbolicam pertractat. A. 1571 Barthol. Tægius, JCtus Mediolanenſis, librum de ſymbolis excudi curavit, in quo cum Farra totam ſymbolicam artem tribus comprehendit generibus, quorum primum parabolas, ſecundum Hieroglyphica, tertium ſymbola, quæ vocat genuina, complectitur. In deliciis hanc artem habuiſſe porro refertur Lucas Contile, qui ſym-

ſymbola pleraque in unum congeſſit tractatum, quem regulis præclare dilucidaſſe & anno decimi ſexti ſeculi ſeptuageſimo quarto publici juris feciſſe dicitur. In Academia Urbinenſi Jo. Andreas Palatius, Fanenſis, quatuor de arte Symbolica habuit eodem fere tempore Diſſertationes, in quibus tres ſymbolis ætates adſignat, quarum primam infantiam vocat & ab Ægyptiis ad bellum usque Trojanum floruiſſe cenſet, ſecundam adoleſcentiam dicit, eamque a bello Trojano ad Petrarchæ usque tempora floruiſſe contendit, tertiam vero, quam virilitatem appellat, ad noſtra usque tempora extendit. Egregie itidem de ſymbolis ſcripſiſſe memoratur Scipio Bargalius, qui ob methodum exactam regulasq;, quas tradidit, geminas plurimum ſibi æſtimationis ac laudis comparaverit, quin imo ejus autoritatem ita invaluiſſe quibusdam Italiæ Academiis, ut nullum approbarint ſymbolum, quod juxta Bargalii regulas non excogitatum foret. Poſt Bargalium Julius Cæſar Capacius ſuum de ſymbolis opus tripartitum typis evulgavit, quem inſecutus eſt Andreas Chioccus, nobilis Medicus ac Philoſophus Veronenſis, qui quoque de vera ratione concinnandi ſymbola erudite ſcripſit. Anno 1612 Hercules Taſſus, quem de ſymbolis compoſuit tractatum, Neapoli evulgavit, quo tamen perinde uti ceteris fuſius & accuratius hac de re ſcripſiſſe dicitur Paulus Areſius, Mediolanenſis, Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, ad infulas poſtea Dertonenſes vocatus, quem dignum Autor judicat, ut bene omnibus rei ſymbolicæ addictis audiat. Biennio poſt Areſium Abbas Ferro integrum ſymbolorum opus evulgavit, inſcriptum: *Theatro delle Impreſe*, qui cum ſententiam Areſii plerisque in locis impugnaſſet, huic occaſionem dedit plura non minus erudite quam acute ſcribendi de ſymbolis, aliumque componendi tractatum hoc titulo: *penna reſecta*, cui Abbas Ferro alium oppoſuit, quem inſcripſit: *umbræ apparentes.* Tandem Areſius ut & ſua propugnaret, oppugnaretque, quæ a Ferro illi objiciebantur, ſeptimum ſcripſit typoque vulgavit ſacrorum ſymbolorum volumen, inſcriptum: *Agmen ultimum ſacrorum ſymbolorum Pauli Areſii*, in quo Ferri objectiones enervavit, ſuam vero de ſymbolis ſententiam firmius ſtabilivit. In Germania inferiori Sylveſter Petra Sancta Roma-

Romanus e S. I. de hac ſymbola fingendi arte, cum Leodii moraretur, tractatum compoſuit, novem conſtantem libris, qui Antwerpiæ lucem adſpexit, variaque ſymbola ab Autore ſtudioſe collecta continet. Quæ Jacobus Maſenius hanc in rem edidit a Noſtro non omittuntur, eidemque adjungitur etiam Petrus le Moine, Gallus, S. I. qui & ſymbola quædam heroica in unum faſciculum collegit, additis Diſſertationibus quibusdam ad artem regnandi ſpectantibus, & alium tractatum anno 1666 de ſymbolis publicavit, qui in quinque libros diſtribuitur. Ex Hiſpanis adducitur D. Jo. de Oraſco & Covaruvias, & laudato D. Philippi Picinelli, Mediolanenſis, *Mundo ſymbolico*, imprimis comendatur Emanuel Theſaurus, qui in ſuo Teleſcopio Ariſtotelico arti ſymbolicæ ultimam quaſi manum impoſuiſſe ac ad plenam perfectionem ſymbola perduxiſſe videatur. Omittere ſe innuit Autor alios, qui de eadem re erudita evulgaverint, illosque breviter attingit, qui etiam ſermones ac diſceptationes ſymbolis exornarunt, inter quos Didacum de Saavedra eminere perquam notum eſt. Ceterum non poſſumus non, quin hoc Verani opus multa ac varia doctrina exornatum ſacræ pariter atque profanæ eloquentiæ ſtudioſis ceu pulcherrimarum rerum compendium commẽndemus.

ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZALUSKI, Varmienſis Epiſcopi, Epiſtolæ Hiſtorico-Familiares, a morte LUDOVICÆ Reginæ & abdicatione Regis JOHANNIS CASIMIRI usque ad noſtra tempora acta continentes.

Tomus I.

Brunsbergæ, 1709, fol.

Alph. 18 pl. 12.

SOlent in Polonia Senatores, Epiſcopi, aliique Viri Principes, ut ab amicis, qui inter illos familiarius verſati ſunt, accepimus, amanuenſibus ſuis id negotii dare, ut Epiſtolas aliaque Acta publica, etiam externa notabiliora, etſi impreſſa, Polonica vero præcipue, peculiaribus libris, ſibi & poſteris, tam ad eloquentiam, quam ad notitiam Hiſtoriæ parandam, uſui futuris, ſeriatim inſerant.

Digitized by Google

ſerant. Hinc eſt, quod apud pleroſque annales rerum in Europa geſtarum in pluribus codicibus manuſcriptos collectosque reperimus. Omnibus vero in hoc laudabili inſtituto facile palmam tuliſſe videtur Celſiſſimus S.R.I. Princeps & Epiſcopus Varmienſis And. Chryſoſtomus Zaluski, Regni Poloniæ Cancellarius &c. Is quomodo tot curis & negotiis tam ſacris, quam ſecularibus, quæ duplex, quod geſſit, munus ſecum tulit, implicitus tres Tomos, quatuor juſtis Voluminibus diſtributos, congerere & prelo ſubmittere potuerit, ipſe in Præfatione T. II præmiſſa operoſe nec ſine aliqua jactantia indicat. Scilicet, quod Saluſtiani dicti memor a teneris ſe aſſuefecerit, ne tempus belluarum more otio tereret; quod ad immortalitatem nominis non cucurrerit, ſed volaverit, intempeſtiva vero convivia, congreſſus & circulos, aliasque etſi uſitatas & honeſtas voluptates & recreationes ceu fures temporis ſpreverit. Ex certa tamen ſcientia compertum habemus, & plures Canonicos Varmienſes, quos etiam in itineribus a latere habuit, & P.P. Societ. J. Coll. Brunsbergenſis adjutrices manus in colligendis & ex variis linguis in Latinam transferendis Actis his adhibuiſſe. Plura ſane etiam anecdota, quæ ad ſtatum præſentem Poloniæ & hiſtoriam noſtri temporis penitus cognoſcendam ſpectant, & quæ alibi fruſtra quæſiveris, deprehendes, eoque magis digna lectu, quod Volumina hæc non ex unius Autoris ingenio conſcripta, ſed Regum, Principum, Legatorum, Senatorum utriusque ordinis in varii generis argumenta de negotiis pacis bellique ab utravis parte publice dicta ſcriptaque in iis continentur. Quare etiam hujus libri recenſioni longius ſolito inhærebimus, de illis præcipue dicturi deinceps, quibus Autor, tanquam teſtis oculatus vel interfuit vel præfuit, quæ majorem eo fidem merentur, quod Autor vivus adhuc hos III Tomos usque ad annum 1711 imprimi curaverit.

Initium Tomi primi, qui duabus partibus conſtat, ut in titulo jam indicatum, a Ludovicæ Reginæ obitu facit, qui in annum 1667 incidit, quo primum in aulam a patre Palatino Ravenſi videtur miſſus, necdum tamen Reipublicæ admotus; quapropter, quæ ibi de conſiliis abdicandi regni a Caſimiro agitatis habentur, auditu quidem ſolum a Noſtro percepta nec minus tamen T. I P. I.

Pp ideo

p. 4. ideo vera habenda. Quo tempore exequias ibatur Reginæ; rumor iste jam divulgabatur, non tamen satis constans, cum alii de secundis Casimiri nuptiis dicerent. Interim magna nobilitatis frequentia parentationis istius solennitas hinc augebatur, uno-
31. quoque ad insolitæ rei exspectationem erecto. Peregre deinde profecto Zaluskio, crescebat indies istius rei fama, credebaturque primo explorari tantum subditorum erga Principem volunta-
33. tem, præcipue cum in comitiis 1668 nil ea de re ageretur. Paulo post vero serio rem tractare Casimirus, Senatus Consilio mentem suam aperire, nec pati, ut supplicibus procerum precibus a pro-
51. posito dimoveretur, quod indictis mense Septembri ejusdem anni comitiis exsequebatur, quo in negotio quæ dicta sunt publice vel scripta, magna diligentia Autor collegit. Ingenium hujus Principis, quale præsertim in abdicatione demonstravit, ita depingit
42. Noster: *Si quis placitis Regis contraria suadet, vel suggerit meliora, infallibilem incurrit offensam, effervescente protinus Rege, & ne per jocum quidem (semper festivioribus dictis & jovialitate delectatus) de retinendo diademate sibi insinuari passus.*

Varia dein ambitione regium apud Polonos fastigium fuisse appetitum, neminem latet. Ducem Lotharingicum, qui non
42. exigua spe tum dejiciebatur, Noster Viennæ degens Andreæ Olszowskio, Regni Procancellario, studiose commendat. Præter eum Neoburgicus etiam & Condæus, Principes ad eundem
74 sqq. contendentes scopum, pariter aberrabant. Judicia de singulis extant apud Autorem, haud dubie ex Censura Candidatorum, Olszowskio Autore Varsaviæ tunc publicata, deprompta, qui
97. adeo iniquus erat Germanis, ut Primati expresse scriberet: *per me regnet, quemcunque ex beneplacito Vestræ Celsitudinis Respublica elegerit, dummodo non Germanum, quem firmo excludo intra me*
124. *proposito.* Tandem armata nobilitas, invitis licet proceribus, ex se ipsa Regem exsculpebat Michaelem Wisnowiskium, splendidiorem progenie quam facultatibus. Ejus imperium & patriæ felicius esse potuisset, & Regi commodius, nisi plerique, quem parem amaverant, superiorem nunc despexissent. Verum malevoli, in largæ messis spem discordiæ semina sparsuri, quicquid Rex agebat, sinistre interpretabantur, pusillanimitatem in eo argu-

ebant,

ebant, pactorum conventorum negligentiam vituperabant. Hinc nihil infortunato Principi succedebat, cum præter domesticos insultantes a vicinis etiam peteretur, nec quicquam opis e Regni comitiis, quæ solvebantur omnia rebus infectis, sperare poterat. Ipse Sobieskius, Regni tum Mareschallus & exercituum dux supremus, cujus ambitionem virtutum satis alias in eo frequentium species non satis tegebat, Regi adversabatur & cum p. 379.
Primate *Manifestum Malecontentorum*, ut dicitur apud Autorem, subscribebat. Denique cum per Comitia pacificationis A. 1673 sopitæ viderentur simultates, paulo post Rex expeditione adversus Turcas suscepta in ea moritur, die antequam decretoria pugna 479.
ad Cochimum Barbari funderentur. Ceterum illud etiam ob- 342.
servatu haud indignum, Viennensem aulam a malevolorum consiliis non longe abfuisse, licet Regi soror Imperatoris nupsisset, quod matrimonium solvere etiam intendit aliquando Leopoldus, dummodo satis Eleonoræ de futuro marito, sibi vero de successore Casimiri, per quem vicinia sit tuta, prospiceretur. Statum, qui fuit Polonicæ Reipublicæ tum temporis, graphice depingit Inscriptio Satyrica sequens: 415.

Epitaphium Polonæ libertatis,

Quæ nimia Regum indulgentia nata, nimia Senatorum arrogantia aucta, nimia Equestris Ordinis licentia vexata, nimia omnium avaritia prostituta, tandem facta est sub tributo; Principis ignavia, magnatum pusillanimitas, populi insania, vicinorum politica, remotorum cunctatio, universalis cæcitas, lacrymis totius Christianitatis, monumentum servitutis posuere.

Hoc durante interregno eodem quo antea fato factiones diversæ extraneos Principes promoturæ dissipabantur. Nec enim Lotharingicus, cui favebat Primas, nec Condæus, quem Sobieskius fovebat, Polonis placebat, qui civem rursus suum ipsum hunc Sobieskium Regio diademate dignissimum censebant. Quamvis eum variis artibus gradum ad istud fastigium affectasse, aliunde constat. Autor enim noster ea pleraque tacet, vel quod addictus nimis fuerit Sobieskio, vel quod peregre tum profectus non omnia satis accurate resciverit. Describuntur

Digitized by Google

dein coronationis Comitia & juxta duorum Regum Casimiri & Michaelis funebris solennitas, quibus in mausoleo inter alias
p. 596. Inscriptiones hæc quoque fuit posita:

Johanni Casimiro & Michaeli Poloniæ Regibus.
Illi Regium genus, huic a Ducibus Lithuaniæ.
Ille pluribus triumphis insignis,
Hic clarissima victoria immortuus.
Alter regno salvo purpuram ponens exuit,
Ille alter in privata sorte non exhorruit.
Ille satur dierum & rebus regnandi,
Hic vix degustato imperio & annis, extremos dies,
Alter Deo dicavit, alter Patriæ.
Cineres quoque ille melior Africano Patria non invidit,
Hic non extulit.
Sic dispares suffragiis populis iisdem sceptris,
Dissidiis civilibus, denique hoc tumulo æquantur,
Æternum lugendi essent,
Si non meliori cessissent.

695. Præterea hac prioris Tomi parte nihil magnopere memoratu dignum occurrit, nisi quod mentio fiat machinarum, quas Bethunensis Marchio, affinis Reginæ, cum Hieronymo Lubomirskio, Vexillifero Regni, in commodum rebellium Hungarorum struxerat, quibus & pecunias & homines suppeditavit, Rege etiam ipso persuaso, ac si Gallia in id omnibus viribus conniteretur, ut Regnum illud in potestatem Regis concederet.

T. I. P. II. Pars altera reliquum vitæ Johannis Sobieski continet, cui Regi addictissimus fuit Noster, ab eo etiam ad Kijoviensem primo dein Plocensem Episcopatum evectus. Non adeo copiosa sunt negotia, quæ ad aliorum etiam notitiam, eo quod extra Poloniam manarint, pertineant: illa vero, quæ intra regni istius & privatarum plerumque domuum fines consistunt, haud commemora-
761. bimus. Primo loco metum Polonorum memorat ex matrimonio Ludovici Marchionis Brandeburgici cum Radzivilia Principe conceptum, qui scripto quodam sub præcautionis titulo declaratur. Indigne ferunt, quod gravis jam ante vicinus nunc tam insignem terrarum tractum in Lithuania simul cum opibus Radzivilianæ

Digitized by Google

vilianæ domus a longo tempore collectis sibi vindicet, non petito etiam Regis, supremi Tutoris aliorumve tutorum ad connubium aut Reip. ad indigenatum consensu, quem petiturus quidem sit post ad speciem, ast, si minime concedatur, offensa permotum omnia in Rep. confusurum, si concedatur autem, speculatorem se sibi ipsi ascituros, qui jam tum satis inclusam teneat Poloniam, ut periculosum sit, eum a Lithuania quoque imminere, denique neminem fore qui [tantum Principem] in jus vocare ausit, aut tanto itineris [dispendio Spiram proficisci velit. Imperatoris Legatus querelas, quas sæpe frustra ingeminaverat de Vervaco Gallo, deprehensis denique ejus ad Tœkelium in Hungaria literis, eo fidentius proponit. Fœdus cum Imperatore adversus Turcas initum non parum illis temporibus illustre fuit, quantiscunque tandem tenebris obvolvere nomen Polonicum ausi sint Thesaurarius Comes Morstin Gallicusq; Orator, conjunctionem hanc variis artibus impedituri. Viennensis expeditio salutare hoc negotium secuta toties decantando ita omnibus innotuit, ut vix opus sit aliquid de ea hic apponere, præsertim cum relatio apud Autorem nil singulare suppeditet. Nemini porro non notum esse potest, quam prorsus exhausta per hanc expeditionem omnis Regis virtus visa fuerit, sic ut ipsi quandoque Poloni ægre tulerint, *numerantibus vicinis palmas annosque distinguentibus se velut per desidiam consenuisse ac neglexisse tempus, quod expeditam ad victorias & ingens nomen monstrabat viam.* Inter aulam Viennensem Polonamque graves inde alebantur suspiciones, maxime cum pergerent Galli ex Polonia pecunias rebellibus Hungaris submittere. Quid occasionem principio istis dederit, patet ex data Abbati Dœnhofio, qui Romam ad Papam proficiscebatur, instructione (perperam ad annum 1681 relata) in qua gloriatur Rex, se fœdus absque ullis conditionibus privatis iniisse & oblatum etiam Hungariæ Regnum non accepisse. Id vero sibi nunc vitio verti queritur, quod Hungarico bello se implicari non patiatur, cum flecti potius debere Tœkelium, ad conditiones jucundas paratum, quam opprimi censeat, & propterea mediatorem hactenus consentiente Imperatore agat. Quicquid ejus sit, hoc saltem certum est, nihil dein præclari actum, nihil ex Polonia ve-

Margin notes: p. 796. — 803. — 818 sqq. — 1038. — 1145. — 776.

niſſe præter nuntios de ruptis crebro Comitiis indignatione Pro-
p. 1105. cerum, quos tædebat Regis torpentis imperantisq; Reginæ. Ali-
quando in Comitiis Epiſcopus Culmenſis Regi hæc ſatis dura ac-
1039. clamare haud dubitabat: *Aut regnare deſine, aut recte judica.* Re-
ginam vero ipſam Senator quidam in Senatus conſilio ſugillare auſus eſt, fabulam de Luna narrans, quæ matri, ut ſibi hucusque nudæ proſpiceret, ſupplicaverit. Matrem probaſſe quidem conſilium, ſartorem vero defuiſſe, qui Lunari corpori amictum aptaret, utpote Planetæ in varias formas mutabili. Tantum de hoc Tomo, reliquos alio tempore excerptos dabimus.

JO. DLUGOSSI SEU LONGINI, CANONICI quondam Cracovienſis, Hiſtoriæ Polonicæ Tomus I, ſeu Libri XII, quorum VI poſteriores nunc primum e MSC. prodeunt, ex Bibliotheca & cum Præfatione HENRICI L. B. *ab* HUYSSEN, *Ruſſorum Cæſari a Conſiliis intimis, bellicis & juſtitiæ &c.*

Lipſiæ, ſumptibus Jo. Lud. Gleditſchii & Maur. Georgii Weidmanni, 1711, fol.

Alph. 13 pl. 8.

NUper demum inter medios bellorum tumultus evadere totus tenebras Jo. Dlugoſſus potuit, quam hactenus felicitatem fruſtra exſpectaverat, pacata etiam & florente ingeniis Polonia. Debet illa ſervatum civem Illuſtriſſimo Huyſſenio, qui poſt promotas autoritate, conſilio ac maxime exemplo per Ruſſiam literas, hoc in Polonos, & quotquot hujus gentis hiſtorias amant, exſtare meritum ſuum voluit. Miratur in Præfatione, qua editionem ornavit, Germanos dum & patriæ ſuæ & aliorum gentium geſta curioſiſſime excuterent, Polonorum tamen res frigidius tractaſſe. Cauſari illos ait quatuor hæc: nimium ubique ſuæ gloriæ Polonos ſervire; eruendarum originum incurios eſſe; ſtylum plerumque a ſimplicitate in difficilem tumorem deflectere; ac denique parum noſtra intereſſe gentis, cum qua parum Germanis commercii, fata penitus noſſe. Sed ſingulis prudenter reſpondet: illud partium ſtudium commune omnibus, nec ipſis Germanis deeſſe, Græcos quoque & Romanos imperii fines

Digitized by Google

fines calamo longius quam armis extendisse; id vero in modestiæ potius laudem vertendum, quod parci fabularum non imitentur illam plerarumque gentium in ementienda longa vicissitudinum serie, qua cum remotissimis majoribus connectantur, vanitatem; eloquentiam si afferat historicus, laudandam, si non habeat, non admodum flagitandam esse; habere & Polonos quosdam nitida & æquali oratione commendabiles, ceteros, quibus cothurnus placet, civium suorum judicium sequi; tandem insigniter desipere, qui ad veterum Sauromatarum instar hodiernam Sarmatiam effingunt, cujus res Germanis hodie non scitu solum dignæ, sed necessariæ, ex quo sub Rege Germano arctius Germanis unita est.

Illud Historiæ Polonicæ studium, quo adjuvaret Vir Illustrissimus Dlugossum, principem in illa fontemque, unde recentiores rivulos suos deduxerunt, postquam VI posteriores Libros hactenus ineditos ab Ill. Alberto Dembinskio, Vexillifero Zatoriensi, accepisset, selegit. Nec potuisset facile digniorem. Fuit enim ille sua ætate inter maximos Poloniæ Viros, qui in familia Card. Zbignei, Episc. Cracov. educatus, deinde sanctioribus consiliis a Rege adhibitus & ad provincialia Comitia frequenter delegatus, variis Reip. causa in Hungaria, Silesia, Prussiaque legationibus, privatis etiam itineribus in Italiam, unde multos veteres autores in Poloniam retulit, ad Conc. Basileense, & in Palæstinam, defunctus est. His eam sibi dexteritatis opinionem conciliavit, ut Regis filiis præficeretur, & natu maximo Uladislao, ad capessendum Bohemiæ regnum proficiscenti, consiliorum arbiter daretur. Habuit in promtu Bibliothecas templorum & monasteriorum tabularia, utque de finitimis veriora scriberet, capite jam cano ad Russicarum literarum studia animum appulit, ceu ipse in Dedicatione memorat. Quæ ante literarum in Polonia notitiam evenerunt, ex fama, quæ sola duraverat, scripsit: hinc illa in temporum ordinatione confusio; Craci a Gracchis Romanis, Lithuanorum ab Italis, Valachorum a Volscis origo; Draco ille; Rithogarus Vendæ procus; Popieli mures; Slavicæque gentes Polonorum beneficiariæ, &c. In posterioribus autem libris accuratior est magnæq; autoritatis in iis, quibus gerendis ipse actor spectatorve interfuit,

terfuit, quæque magnam illorum partem abſolvunt. Eodem enim, qui Annales terminat, anno 1480, æt. LXV, cum deſignatus eſſet Archi-Epiſcopus Leopolitanus, obiiſſe eum ſcribit Simon Okolſki Orbis Poloni T. III p. 299. Integritatis & bonæ fidei laudem toto opere promeruit, refertque, qui vitam ejus ſcripſit, palam inviſum fuiſſe ob illam increpandi libertatem, quæ ad particulares obtrectationes ſæpe deſcenderit. Religioni quidem ſuæ, ut decebat Sacerdotem, multum ſervit, cujus adeo fuit ſtudioſus, ut Pragenſem infulam ob magnam hæreſium in illo Regno vim recuſaret: verum tamen & hic de ſubſidente S. Ordinis diſciplina, Eccleſiæ per plures Pontifices ſciſſionibus &c. cordate graviterq; ſcripſit. Oratione utitur pro ſeculi ſui ingenio copioſa, quam præterea modis quibusdam loquendi parum Latinis infecit; locorum vero & gentilitia nomina vernacula appellatione expreſſit. Nec circumſcripſit opus patriæ tantum finibus, ſed facta etiam exterorum recenſet. Deprehendimus quidem interdum aliter ac domeſtici ſolent, ſcribentem, chronologiam etiam antiquioribus temporibus non mancam modo, ſed quæ ſecum conciliari nequeat; verum hæc peregrina ut ex Dlugoſſo diſcat, nemo opus hodie habet. Genealogiæ ſtudioſus eſt; inde inter alia impedita admodum & ſcitu tamen neceſſaria præclare periodum illuſtrat, qua ſub Boleslai Crzivouſti poſteris varie diviſa, unita, iterumque ſciſſa & bellis civilibus jactata Polonia, prima formæ Reipublicæ, qualis nunc eſt, ſemina concepit. Quanquam autem in nominibus & annis connubiorum nativitatisque nonnunquam aberret; nævi tamen iſti libris, quibus ad initia propius accedit, frequentiores ſunt quam poſterioribus. Et ſex quidem Libros priores excutere cum noſtri inſtituti non ſit, utpote jam 1615 Dobromili in folio excuſos, nonnulla apud alios haud facile obvia e reliquis ex pluribus ſeligemus.

Sic Lib. IX p. 955 vulgarem de morte Henrici VII Imp. venenata hoſtia interemti, ſententiam corrigit, eumque morbo naturali ex puſtula ſub dextri cruris genu exorta, quæ anthrax vocatur, non procul a Senis A. 1313 obiiſſe tradit. Nec negligenda, quæ circa Uladislai Jagellonis conjugia paſſim notat; ut Hedwigis non Jagelloni tanquam barbaro, ſed Wilhelmo Auſtriæ Duci

jungi

Digitized by Google

jungi voluerit, cum quo (ut loquitur Autor) 15 jam diebus in thoro, carnali etiam copula ſubſecuta, manſerat. Vid. Lib. X p. 91 & 105. Ut Regni retinendi cauſa mortua Hedwige Annam Ciliam per legatos petierit & obtinuerit, qua viſa, quod deformior eſſet, iram contra legatos conceperit, matrimonium etiam reſciſſurus. V. p. 167. Ut hanc Annam de ſtupro interpellaverit ineptus formæ ſpectator Nicolaus Kurowsky, Gneſnenſis Archi-Epiſcopus. V. Lib. XI p. 314. Ut duxerit tertiam Eliſabetham de Pilcza, origine diſparem ac in juventute raptam, tum vetulam, tres jam viros expertam, multa prole effœtam, phtiſiacam &c. id quod apud exteros Regi contemtum, apud cives fremitum & indignationem excitavit. Vid. p. 378 ſq. Ut non obſtante clauſula diſpenſationi prioris matrimonii adjecta, ne Eliſabetha mortua aliam inſuper duceret, quartam ſibi junxerit Sophiam, Andreæ Kijovienſis filiam forma quam moribus venuſtiorem; adulterii enim rea peracta eſt. Vid. p. 446 & 498. Acta Concilii Conſtantienſis Lib. XI paſſim illuſtrat; poſſuntque iis, quæ accuratus ceteroquin & diligentiſſimus Scriptor Herm. von der Hardt neglexit, ſuppleri. Imprimis p. 376 ſq. multa de Jo. Falckembergio, Ord. Prædicatorum, affert, qui a Cruciferis pretio conductus Satyram in Uladislaum Regem ſcripſerat. Damnatus in Concilio liber, Autori perpetui carceres dictati, quos ubi favore Martini Papæ evaſerat, nova in Cruciferorum ordinem, ordinisque Magiſtrum, a quo IV tantum marcas Pruthenicas laboris pretium tulerat, Satyra invectus eſt, tandemque variis fatis defunctus Lignicii obiit. Pag. 447 refert, Guilielmum, Ducem Bergenſem, A. 1422 Jagelloni Ducatum ſuum in feudum obtuliſſe, hunc vero ob terrarum diſtantiam recuſaſſe. Pag. 480 Martini V ad Jagellonem Epiſtolam affert, qua hunc hortatur, ne matrimonium filiæ cum Marchione Brandenburgico reſcindat. Memorabile in illa, quod ſe (erat autem Martinus ex familia Columnenſium) & Marchiones Brandeburgicos ex eodem ſtipite, Columnenſium ſcil. derivet. Pag. A. 544 obſervat, quod 1430 dubitatum ſit de poteſtate Imperatoris, an creare Reges poſſit.

Reſtat ut præfixi Schediaſmatis mentio fiat. Cum ſuæ gentis Scriptorum notitiam traderent multi, ſuæ negligerent Po-

loni, Samuel Joachimus Hoppius, Soltquella-Marchicus, Scriptores Hiſtoriæ Polonicæ collegit, & in Diſputationis formam Præſide Gabr. Groddeckio, P. P. Gedani 1707 exhibuit. Ex eo tempore cum idem Groddeckius, & in hoc ſtudii genere curioſiſſimus Val. Schleiffius, Patricius Gedanenſis, tum quæ Autoris diligentiam prætererant, ſuppleverint, tum quæ poſt editam Diſſertationem demum prodierunt, adjecerint; horum annotationibus auctum Schediasma, & huic editioni præmiſſum eſt. Sufficiet ordinem ejus exhibere: præmiſſis §. 1-4 generalioribus de utilitate notitiæ Scriptorum hiſtoriæ patriæ, a variis hactenus excultæ, ſed in Polonis deſideratæ, §. 5 Scriptores Poloniæ Geogr. & Topographicos, §. 9 Genealogicos & Heraldicos, §. 10-14 Hiſt. univerſales, §. 15-29 particulares ſecundum Reges diſpoſitos, §. 30 eos qui Magnatum vitas deſcribunt, §. 31 Epiſtolographos, 32 Poetas ad Hiſtoriam Polonicam facientes, §. 33-40 acta publica, §. 41-44 Jus Pol. publicum, ſtatuta, deciſiones &c. §. 45-46 Politicos & Satyricos, §. 47 & 48 Scripta Hiſt. Eccleſ. & liter. adducit. Additi in fine confinium provinciarum, ut §. 50 Lithuaniæ, §. 51 & 52 Livoniæ, §. 53-56 Pruſſiæ, ac denique §. 57-58 urbium, Gedani, Elbingæ & Thorunii Hiſtorici.

Kern der Thorniſchen Chronicke.

i. e.

NUCLEUS CHRONICI THORUNIENSIS,

ſeu Hiſtoriæ Thorunienſis naufragæ tabulæ, in quibus res Thorunienſes inde ab A. 1231 ad 1711 exponuntur;

Autore JACOBO HENRICO Zerneke.

Thorunii, apud Jo. Chriſtianum Laurer, 1711, 4.

Alph. 2 plag. 4.

AUtor diligentiſſimus, editis jam olim in Academiis Diſſertationibus Theologicis pariter & Juridicis clarus, cum A. 1710 narrationem hiſtoricam Germanicam de Thorunio peſte vexato (das verpeſtete Thoren) paucis plagulis præmiſiſſet, mox hunc Chronici Thorunenſis nucleum, eo ipſo tempore, quo peſtis in urbe

urbe graſſata eſt, impreſſum, evulgavit. Etſi vero publicis monumentis, quæ ob Suecorum devaſtationem nulla fere exſtant, parum fuerit inſtructus, pluribus tamen MSCtis uſus eſt, ut Georgii Heſenii, Syndici quondam urbis *Excerptis Receſſualibus*, a Simone Schulzio Conſule continuatis, tum Conradi Molleri, Michaelis Herzog & Jacobi Streuwig, Senatorum, *Obſervatis*, & Heinrici Stroband Jun. Conſulis, & Antonii Donepenii *Memorandis*, nec non iis, quæ Ephraim Prætorius, Simon Schulzius, Phyſicus Thorunienſis, aliique reliquerunt. Nonnulla quoque privilegia urbis tum antiqua tum recentiora, ex ipſo archivo deſcripta, exhibet, quale exſtat p. 36 ſeq. de templo S. Spiritus & monaſterio Monialium. Ceterum juxta ſeriem annorum inde ab A. 1231 usque ad exitum anni 1710 varia obſervat memoratu digna, quæ obiter perluſtrabimus. Habes itaque hic vitas paſſim inſertas celebriorum Conſulum & Senatorum, tum Gymnaſii Rectorum, Profeſſorum, Medicorum aliorumque Virorum celebriorum, qui etſi alibi vixerint, Thorunii tamen nati ſunt, ut D. Johannis Abzieher / Epiſcopi Varmienſis, p. 35, D. Lucæ Weiſſelrot/Epiſcopi Varmienſis, & Nicolai Crapitii, Ep. Culmenſis, p. 88, Nicolai Schœnborn, Ep. Sambienſis, p. 93, & Nicolai Copernici, Canonici Frauenburgenſis, p. 87, cujus familiam in Martino Kopernik Thorunii A. 1601 exſpiraſſe refert p. 173. Nec omittit Autor familias nobiliores, & ſpeciatim Coyeniorum p. 74, Mochingeriorum p. 79, Neuſſeriorum p. 89, Strobænderorum p. 99, Pruſſorum p. 102, 255, Lichtfuſſorum p. 168, Kislingiorum p. 198 meminit. Quin & quo tempore ædificia publica ſint inſtructa, diligenter obſervat, ut Gymnaſium p. 158, Oeconomia p. 166, curia p. 177, ubi ſimul exhibet ſchema ſeſſionis trium Civitatis ordinum. Quæ porro bella urbs illa cum equitibus Boruſſicis tredecim annorum intervallo geſſerit, tria millia militum proprio ſtipendio ſuſtentans, p. 63 ſeq. & quanta A. 1456 civium adverſus Magiſtratum coorta fuerit ſeditio, fuſius a p. 51 ad 62 enarrat. Diligenter quoque, quo ritu Reges excipi Thorunii conſueverint, obſervat p. 80, 85, 118, 132, 263, & rel. Nec deſunt alia ſingularia, inter quæ referri utique meretur, quod de celeberrimi Hiſtorici Chriſtophori Hartknoch

abavo Stephano Hartknoch testatur Noster p. 327, cum una cum uxore Catharina centum annorum spatio in conjugio vixisse, & denique annos natum centum & triginta diem obiisse.

CONTINUATIO EORUM QUÆ DE HOmeri Editione Barnesiana Mense Februario relata sunt.

GRavem jam dudum Schrevelius reprehensionem doctorum Virorum incurrit, quod Additamenta quædam sua plerumque inepta & falsa Antiquis in Homerum Scholiis clam immiscuit, quasi data opera id agens, ut Lectoribus fucum faceret: longe absurdior graculo Æsopico, qui avis formosæ plumis accersitis, saltem speciosior visus est, cum ille contra graculi plumis pavonem ornare studuerit. Sane optaremus pro nostro in præsentem Editionem favore, propter multa & egregia in Homero ipso κατορθώματα, in hac Scholia illa huic reprehensioni non esse obnoxia: optaremus inquam verum ubique esse quod in Notis ad Il. ε v. 330 Vir Cl. scribit: *Schrevelii deliria deleo hic & sæpe alias:* item quod ad Il. ι v. 637, ubi cum in notis Scholion Græcum ipse concinnasset, ait: *Hoc erat Vett. Scholiis dignum; at nos iis immiscere aliquid e nostris nolumus*; sed animadvertimus & Schreveliana illa nimis sæpe retenta esse, cum tamen semper & ubique sine piaculo deleri potuissent, imo debuissent: &, jam nova alia illis non multo meliora hic accessisse. Saltem, si tanta erat libido præter rem augendi hæc Scholia, moniti ubique fuissent Lectores de accessionibus novis, vel signo addito, vel in Notis uno alterove verbo; sed hic de ea re aliquando quidem monetur, quamvis plerumque obscure, ut nescias fere quid, a quo, & unde sit additum; sæpe tamen additamenta silentio prætereuntur, ita ut nihilo magis tutus ab insidiis esse possit Lector. E contrario deprehendimus aliquando fieri indicium quasi additamenti, ubi nihil additum. Omnia illa quæ hic vel clam irrepserunt, vel cum indicio, recensere, cum ad singula aliquid monendum sit, nimis longum foret; tam multa se obtulerunt tantum in novem prioribus Iliados libris. Notabiliora ergo tantum afferentur.

Ad

Ad Scholia Iliados β v. 505, 507 & 517 annotatur: *Hæc Scholia ſuppleo ex Euſtathio.* Videamus ſingula quomodo ſuppleverit. Primum igitur ad v. 505, ubi de Hypothebis, quarum incolæ ab Homero recenſentur inter eos, qui ad Trojam militarunt, iſtis Scholiaſtæ verbis: Ἕτεροι δὲ φασιν Ὑποθήβας λέγειν τὸν ποιητὴν τὰς ὑποκειμένας ταῖς ἑπταπύλοις Θήβαις κώμας· αὗται γὰρ αἱ Θῆβαι ἐκπεπολιόρκηντο. iſtis inquam hæc ſubjungit addito aſteriſco * καὶ ὡς Ἀρτεμίδωρος· Μόνον Θηβαῖοι τῶν Βοιωτῶν οὐκ ἐστράτευσαν εἰς Ἴλιον. Principio hæc apud Euſtathium non habentur, quod non mediocrem arguit incuriam. Deinde tam abrupte adduntur, ut nec quadrare huc videantur; ſi enim αὗται αἱ Θῆβαι i.e. Hypothebæ, ſive pagi iſti Thebis Heptapylis ſubjecti (huc enim quis potius referat Pronomen, quam illuc) nuper expugnati fuerant a filiis VII Ducum, & non ipſæ ἑπτάπυλοι Thebæ; ſequitur plane contrarium ejus quod attexuit, nempe paganos iſtos ſive Hypothebanos non potuiſſe intereſſe expeditioni Trojanæ, propter recentem adeo calamitatem; quæ Thebanis ipſis obſtare non potuit quo minus intereſſent. Ut autem commode aſſueret Artemidori locum, prætereaque Scholion ex Euſtathio ſuppleret; debebat pro αὗται in Vett. Scholiis legiſſe αὐταὶ, & ita conſtituiſſe locum: αὐταὶ γὰρ αἱ Θῆβαι ἐκπεπολιόρκηντο· ὅθεν οἱ Θηβαῖοι * οὐκ ἐστράτευσαν εἰς Τροίαν νεωστὶ πορθηθέντες ὑπ' Ἀργείων· * ὡς καὶ Ἀρτεμίδωρος. Μόνοι οἱ Θηβαῖοι τῶν Βοιωτῶν οὐκ ἐστράτευσαν εἰς Ἴλιον· quæ inter aſteriſcos ſunt, ea ſunt ex Euſtathio p. 269 lin: 38 ὅθεν οἱ Θηβαῖοι additur ad ſupplendum ſenſum. Idem de hoc Homeri loco dicitur apud Strabonem Lib. IX: οἱ μὲν δέχονται πολίδιόν τι Ὑποθήβας καλούμενον, οἱ δὲ τὰς Ποτνίας· τὰς γὰρ Θήβας ἐκλελεῖφθαι διὰ τὴν τῶν Ἐπιγόνων στρατείαν, καὶ μὴ μετασχεῖν τοῦ πολέμου τοῦ Τρωικοῦ, p. 632 B. Ed. Amſtel. Ceterum in Artemidori loco ſcribo μόνοι, ut habet Ed. Aldina hujus Autoris Lib. IV c. 65, non μόνον, ut Noſter edidit: qui etiam paulo ante in eodem iſto Scholio craſſiorem & magis Bœoticum errorem non animadvertit, hærentem in omnibus, quas viderimus, Edd. τὰς ἐλάττω Θήβας, pro τὰς ἐλάττους Θήβας, ut recte apud Euſtathium p. 269 lin. 42. Jam porro ad v. 507 Scholion ſe ſuppleviſſe dicit ex Euſt.

& addidit aſteriſcum, ut ſcias ubi ſuppleverit: Ἄρνην] πόλιν Βοιωτίας ἀπὸ Ἄρνης ἧς καὶ Ποσειδῶνος ὁ Βοιωτός.* οἱ δὲ, ὅτι οὐχ εὑρίσκεται κατὰ τοὺς Τρωικοὺς χρόνους Ἄρνη πόλις Βοιωτίας· ὅθεν ἔνιοι πιθανῶς μεταγράφουσιν. Οἵτε πολυστάφυλον Τάρνην ἔχον. Hic nemo non putaret, omnia illa quæ poſt aſteriſcum ſequuntur, ab ipſo eſſe addita, ut paulo ante, Artemidori loco, qui non erat in Scholiis, præmittebatur aſteriſcus; quod tamen hic ſecus eſt: nam omnia illa quæ & ante & poſt aſteriſcum ſunt, ita habentur prorſus in Editione Romana Scholiorum &, qua ipſe uſus eſt, in Veneta. Niſi forte ſupplere ſe putavit, cum ſcripſit ὁ Βοιωτὸς cum articulo; qui tamen rectius abeſt in Edd. Rom. & Ven. Ut hic Articulum non neceſſarium addidit, ita in Scholio ad ſeq. v. 508 neceſſarium omiſit; extantem in Edd. Rom. & Ven. ubi ita: ἐκ ταύτης ἦν Γλαῦκος ὁ θαλάσσιος· recte propter plures Glaucos. Sic paulo poſt ad v. 515 edidit ὁ δὲ, ἀντὶ γάρ· cum recte in iisdem Edd. habeatur ὁ δὲ, ἀντὶ τοῦ γάρ. Sic & ſuperius ad Il. β v. 204 dedit καὶ ἐν ἑτέρῳ δὲ πάλιν αὐτὸς ἀνὴρ &c. cum deberet ὁ αὐτὸς ἀνὴρ &c. ut eædem Edd. habent. Sic in Notis ad Il η v. 331 Euſtathii verba ſic adducit: τὸ δὲ κυκλήσομεν νεκροὺς, ἀντὶ τροχοῖς ἀγάγωμεν. licet utraque Editio Euſt. habeat ἀντὶ τοῦ τροχοῖς ἀγάγωμεν. Sic etiam ad Il. ε v. 586 in iis quæ ex Euſtathio dicuntur inſerta, ſed nullo indicio, a quo ſint inſerta: ἐπὶ τὸ βρέγμα τῆς κεφαλῆς· διὰ τὸ * οἷον βεβρέχθαι τοῦτο μέρος καὶ &c. quæ ita habentur apud Euſtathium: καλεῖται δὲ οὕτω διὰ τὸ οἷον βεβρέχθαι τοῦτο τὸ μέρος. Ex his aliisque, quæ poſterius afferentur, patet, verum uſum articulorum Viro Cl. non ſatis eſſe cognitum: id quod ei commune eſt cum aliis, quicunque Græcam Linguam ad Latinam exigunt, in qua nulli articuli: item qui Poeticæ dictioni, præſertim Homericæ, ſunt unice adſueti; nam Homerus ſæpiſſime non adhibet articulos, ubi alias locum habebant, quod notat Plut. in Platonicis Quæſt. p. 1010 D. ut hac in parte Homeri oratio ſimilis ſit Latinæ; quæ etiam inter cauſas eſſe videtur, quamobrem nos alienigenæ verſum Græce quidem adhuc facti temus alicujus ſaporis: proſa autem oratio nobis plerumque evadat inſulſa. Sed illuc redeamus. Quemadmodum ibi aſteriſcum adjecit, licet nihil præterea præſtiterit; ſic plane ad Il. β v. 662. Ut autem hic aſteriſcum

Digitized by Google

asteriscum frustra posuit; sic ad Il. γ v. 83 Annotationem de emendatione Scholii; in quo nihil emendatum, nec emendatione indigens: nunc porro. Tertium Scholion, quod ex Eustathio supplere se dicebat, est ad Il. β. v. 517 sic ab ipso editum: * τοὺς δὲ Φωκεῖς ἀπὸ Φώκου, ὃν οἱ μὲν τοῦ Ψαμάθης καὶ Αἰακοῦ· οἱ δὲ λέγουσιν υἱὸν τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Προνόης τῆς Ἀσωποῦ. Hic jam non omnino frustra posuit asteriscum; nam adidit aliquid, nempe verbum λέγουσιν, & præter necessitatem υἱόν cetera tantum interpolavit, & quidem infelicissime. Nam quæso quid illud ὃν οἱ μὲν τοῦ Ψαμάθης; sed hoc unde ortum sit, mox apparebit. Cur autem duos Phocos in unum conflavit, dicens eum ab aliis quidem Psamathes & Æaci filium dici ab aliis Neptuni & Pronoes? Nam Scholia incorrupta duos utique præ se ferunt Phocos, quorum alter Æaci & Psamathes, alter Neptuni & Pronoes sit filius: Phocensesque adeo secundum quosdam ab hoc, secundum alios ab illo denominari; ita enim Edd. Rom. & Ven. τοὺς δὲ Φωκεῖς οἱ μὲν ἀπὸ Φώκου τοῦ Ψαμάθης καὶ Αἰακοῦ· οἱ δὲ τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Προνόης τῆς Ἀσωποῦ· subaudi λέγουσιν aut simile. Vides jam, unde sit illud ὃν οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ Ψαμάθης· nempe putavit apud Scholiasten τοῦ esse articulum vocis Ψαμάθης· ac proinde sibi etiam licere articulum masculinum jungere voci fœmininæ; cum tamen ibi sub τοῦ intelligatur υἱοῦ, ut sæpissime solet in genealogiis; quod in interpolatis ab ipso non potest. Ceterum duos illos Phocos agnoscit & Pausanias, initio Libri X & alibi. Porro in Scholiis ad Il. β v. 546 ad hunc versum Οἳ δ᾽ ἄρ᾽ Ἀθήνας εἶχον, ἐϋκτίμενον πτολίεθρον, nihil monito Lectore retinuit additamentum Schrevelii ineptum & fallax: ἐάν τις ἀναγινώσκοι, Ἀθήνας πτολίεθρον, ἄτερ διαστιγμῆς, πτῶσις ἔσται γενικὴ τῆς Παλλάδος τῆς Ἀθήνης τῆς Ἀθηνᾶς. quam elegans est illud ἄτερ διαστιγμῆς· Poeticum ἄτερ in prosa, deinde διαστιγμὴ vox minus trita, pro usitatissima διαστολὴ vel ὑποδιαστολή· denique Ἀθήνας esse πτῶσιν γενικὴν τῆς Παλλάδος τῆς Ἀθήνης τῆς Ἀθηνᾶς quam diserte dictum! Quod autem additamentum sibi vult, si apud Hom. legatur Ἀθήνας πτολίεθρον sine intercisione, posse Ἀθήνας esse genitivum casum, id minime potest; non enim solet Homerus Ἀθήνας semidorice in genitivo

tivo dicere, nec alius facile; ſed ille ſemper Ἀθήνης vel Ἀθηναίης alii qui Dorice, Ἀθάνας ceteri Ἀθηνᾶς. Hoc cum tale ſit, tamen decipi ſe paſſus eſt Vir Cl. ut in Var. Lectionibus poneret: Ἀθήνας] γρ. Ἀθηνᾶς & Ἀθήνης *Br. Schol.* Hic fructus redundat ex Additamentis illis, ut decipiamur ſæpe deceptique alios decipiamus. Sic aliquem adhuc vehementer falli continget qui in Vett. Scholiis Harpocrationem laudari putabit, cum ad Il. β v. 697 hæc legerit: Ὄνος Ἀντρώνιος πληθυντικῶς, Ἀντρῶνες Δημοσθένει. Ἁρποκρατίων nec animadvertet hæc nunc primum in hac Editione inſerta eſſe; ſunt enim inſerta clam & ſine ullo indicio. Porro ad Il. γ v. 144, ubi de Famula Helenæ, Æthra dicta, per quam cum plerique Æthram Theſei matrem intelligant, Scholion illam ab hac diſtinguit: * ἑτέρα τῆς Θησέως μητρός ἐστιν αὕτη ἡ Αἴθρα &c. annotatur: *Scholii principium emendo ex Euſtathio; finem addo ex Plutarcho.* Ne unicam quidem literam, vel in principio, vel in toto Scholio emendavit, aut mutavit; nam ita omnino Editio Scholiorum Romana, & quam ipſe habuit, Veneta. In fine quidem addidit, licet nullo ſigno notaverit addita, cum tamen illis, quæ ſe emendaſſe dicit nec emendavit, aſteriſcum præmiſerit; addidit autem hæc: ἔνιοι δὲ τοῦτον τὸν στίχον ἀθετοῦσιν, ὡς Πλούταρχος ἐν Θησεῖ. Sed cur non in Notis potius hoc ſuis retulit? nam in Scholio nihil utique deſideratur. Aliud etiam hic commiſſum, dum Plutarchum dicit illum verſum rejicere; quod falſum. Niſi forte voluit dicere Plutarchum referre a quibusdam verſum hunc rejici (non enim potuit clare loqui): verum ſi vel hoc voluit, res aliter habet; Plutarchus enim in Theſeo circa finem, de hoc verſu ita: οἱ δὲ καὶ τοῦτο τὸ ἔπος διαβάλλουσι p. 16 B. i. e. *Aliqui autem & hunc verſum criminantur.* διαβάλλουσι non eſt ſtatim ἀθετοῦσιν· ſed ἐκβάλλουσιν eſſet potius ἀθετοῦσιν. Ad Il. γ v. 254 Μαχήσονται] μαχοῦνται· ἀγῶνι διακρινοῦσιν hic de additamento nihil quidem monuit verbis; aſteriſcum tamen adjecit, quod ſufficeret, ſi inde ſcire poſſemus, unde id ſit: eſt autem a Schrevelio, nec neceſſarium; quid enim attinebat verbum notiſſimæ ſignificationis, & quo nullum rei ipſi convenientius, explicare, idque per phraſin obſcuriorem, & vix Græcam; nam ἀγῶνι διακρινοῦσι Latiniſmum olet; dicimus enim *Prælio*

decer-

Digitized by Google

decernere, ſic abſolute; ſi ἀγῶνι, vel potius μάχῃ διακριθήσονται ſcripſiſſet, aut aliquem caſum accuſativum adjunxiſſet, adhuc tolerari poterat. Ad Il. γ v. 303 retinuit additamentum mendax Schrevelii nihil monito Lectore: τοῖσι δὲ] τοῖσδε Non ſignificat τοῖσδε illud τοῖσι δὲ ſed τοῖσδε δὲ, ſive τούτοις δέ. Scholion ad Il. δ v. 1, quod ita habet in Edd. Rom. & Ven. ΠΑΡ ΖΗΝΙ. παρὰ τῷ Διί παρεσχημάτισαι δὲ ἀπὸ τοῦ ζεὺς ὁ ζὴν· τὸ πάθος ἀποκοπή. Schrevelius hunc in medum refinxerat πὰρ ζηνὶ] παρὰ τῷ Διί. παρεσχημάτισαι δὲ ἀπὸ τοῦ ζεὺς ὁ ζὴν καὶ ὁ ζάν. Ἰωνικῶς καὶ Δωρικῶς, augmentis ſupervacaneis; Noſter quibusdam perperam retentis, aliis non bene omiſſis, ita: πὰρ ζηνὶ] παρὰ τῷ Διί. πάθος ἀποκοπή· παρεσχημάτισαι δὲ ἀπὸ τοῦ Ζεὺς καὶ ὁ ζὴν· Ἰωνικῶς καὶ Δωρικῶς· hic in πάθος ἀποκοπὴ articulus neceſſarius non debuit omitti, qui recte extat inferius, v. 109 deinde in καὶ ὁ ζὴν, non retineri καὶ Schrevelianum, poſtquam illius ζὰν deletum eſt: denique ob idem ζὰν deletum, non erat retinendum Δωρικῶς. Ad Il. δ v. 117 Μελαινέων] εἰς βάθος διοιχνουσῶν, ἤγουν δικνουμένων. δεινῶν. Illud ἤγουν δικνουμένων a Schrevelio profectum retinetur: & hic quidem, modo aliquid monitum fuiſſet, non male & ferme neceſſario; ad explicandum nempe illud διοιχνουσῶν, quod ab uſu populari paulo remotius, ac proinde ſubobſcurum. Quod ſi innotuiſſet Viro Cl. vera loci lectio, poterat & debuerat id omittere: eam nos hic indicabimus, allatis prius aliorum irritis conjecturis. Editio Aldina habet διοικουσῶν, voce huc non quadrante: margines duarum Hervagii Edd. referentibus Cantabrigienſibus, δικουσῶν, paulo melius; ſed hoc non dicitur, verum δικομένων. Schrevelius δικνουσῶν, quod itidem non recte in activa voce: denique Cantabrigienſes, quos Vir Cl. ſequitur, διοιχνουσῶν, quod a ſtylo Scholiorum alienius, ubi omnia uſu trita & notiſſima. Diſcimus autem cum hinc tum aliunde, pleroſque Scholiorum Editores, ſi quando primas Edd. conſuluerunt, tantum Aldinam habuiſſe, deſtitutos Romana, omnium prima; Cantabrigienſes in Præfatione fatentur, hanc diu fruſtra quæſitam, ſero tandem in manus ipſorum deveniſſe: Cl. Barneſius ea in totum caruit. At penes nos eſt, ex Bibliotheca doctiſſima Viri Pl. Rev. atque Cl. Chriſt. Frid. Bœrneri:

neri: illa ſola recte exhibet διηκυσῶν. Porro ad Il. δ v. 345 editum: φίλα]* προσφιλὲς, ἡδὺ, φίλον ἐστὶν Ἀττικῶς. & annotatur: *Ita pro corrupto, quod προσφιλῆ, ἤδη in omnibus olim erat.* Quod falſum; nam Cantabrigienſes contra teſtantur, omnes Edd. præter Hackianam & Oxonienſem habere προσφιλῶς ἡδέως· & nos certe non aliter invenimus in Romana & Veneta: deinde quod corruptum dicit, non eſt quidem genuinum, ſed a Schrevelio; ejusmodi tamen eſt, ut magis videatur facere ad illud φίλα explicandum pro Nomine id accipiendo, quam quod eſt in Edd. ubi adverbialiter accipitur: nihil in eo reprehenſione dignum, modo pro ἤδη ſcribatur ἡδέα. Quod autem hic ſubſtituitur, id incongruum eſt; utpote ſingulare ad plurale: totumque Scholion cum augmento nullius pretii. Ad Il. δ. v. 347 Νῦν δὲ φίλως χ᾽ ὁρόῳτε] νῦν δὲ ἡδέως ἂν καὶ ἀσμένως ἴδοιτε,* εἰ καὶ δέκα τάξιες Ἑλλήνων κ. λ. ſignum de additamento monet; unde autem id ſit, non item: nec de ea re vel verbulum additur. Qui propter Jonicum illud τάξιες, & κ. λ. Latiniſticum, (non enim Græcis in more ſic per unas literas abbreviare, qui nec καὶ λοιπὰ dicerent, ſed καὶ τὰ λοιπὰ, vel καὶ τὰ ἑξῆς) qui igitur propter hæc putabit a Schrevelio eſſe, vel a Cl. Editore; is indolem veteris & noſtrorum hominum Græciſmi perſpectam habet; aliunde tamen eſt additamentum, nempe ab excerptis MSS. quæ Cantabrigienſes ediderunt, de quibus paulo poſt neceſſaria monebimus: in iis τάξιες quidem habetur, ſed vitioſe pro τάξεις· loco κ. λ. autem ſunt verba Homeri ὑμείων προπάροιθε μάχοιντο. Porro ad Il. δ v. 539 retinuit additamentum fallax, nec monuit: ἔνθα] τότε. μᾶλλον δὲ ἐκεῖ ubi Edd. Rom. & Ven. tantum, ΕΝΘΑ τότε. bene, ut mox ad Il. ε v. 1 ἔνθ᾽ αὖ] τότε δή. ubi recte nihil tale additum. Clam itidem ad Il. ε v. 54 retinuit ex Schrevelio illepidum iſtud: ἐμπειρία τοῦ βάλλειν ἀπὸ μακράν. quid malum! ἀπὸ μακρὰν· quis unquam ita locutus eſt? ſaltem dixiſſent ἀπὸ μακρόθεν. Ad Il. ε v. 214 περιέλαβεν ἴδιον ἑὸν προσφιλῆ ἀγκάλαις, ὠλέναις, βραχίοσι, καὶ ἀπὸ μέρους χερσίν. Hæc etiam ex Schrevelio in hanc Editionem derivata ſunt ſine indicio: ineptiſſima & putidiſſima, propter omiſſionem articulorum neceſſariorum, & conjunctionum; nec non accumulationem

ſynony-

ſynonymorum puerilem. Ad Il. ε v. 330 *ἀλλ' ἴδε στίχον υκβ', ὧδε. In his Schrevelianis cum præter morem Scholiorum, citetur locus Homericus per numerum verſuum; tamen inter illa tolerantur: & adhuc elogio ornantur in Notis: *Illa ad* v. 330 *ut non incommoda reliquo.* Aſt inferius paulo ad Il. ζ v. 21 ſimile Schrevelii nugamentum ἡ Πήδασος ἡ πόλις ὧδε στίχῳ λέ Viro Cl. non eſt viſum ſatis commodum; itaque aliud ſubſtituit Scholion: Πήδασος μετ' ὀλίγον ῥηθησομένη, ex Euſtathio, ut ait. Id quod ſatis apparet, nam ipſe ſine dubio dixiſſet εἰρηθησομένη, ut fecit ad Il. ι v. 64 ἐὰν μὴ πείθηται τοῖς εἰρηθησομένοις· quæ ipſe ad Scholia ſe addidiſſe fatetur in Notis: quaſi, ut εἰρήσεται dicitur, itidem & illud dicatur. Quemadmodum autem ibi *tempus* augmenti minime capax auxit; ſic aliud augeri ſolitum, augmento privavit ad Il. θ v. 108 in his futilibus clam inſertis: Οὓς ἀπ' Αἰνείαν ἑλόμην] οὓς Αἰνείου. Αἰνείαν, Αἰνείᾳ, ἀφελόμην· nempe quaſi ipſe etiam verſum faceret ἀφελόμην dixit pro ἀφειλόμην· Edd. Rom. & Ven. recte; ubi hæc tantum ΕΛΟΜΗΝ. ἀφειλόμην. ἔλαβον. quod ſatis erat. Porro ad Il. ϑ v. 137 σιγαλόεντα] ἀνθηρὰ, λαμπρά. *εἴ τ' οὖν ἁπαλά· ἄγ' ἀφώμενα σιγᾷ ψόφον οὐδένα ἐνδιδόντα. quæ poſt aſteriſcum, ſunt ex Schrevelio, inficeta & illo digna; qui ut hic imperite & otioſe particulam γε poſuit: ita quoque ad Il. β v. 794, ubi inter alias hominis intemperias in hac Ed. nimis patienter retinetur: καὶ δὴ ἀμφότερόν γε κατὰ πολεμίους στόλους σκοποῦσιν &c. ſed nec illud ἀφώμενα offendere potuit Virum Cl. quod uſus communis reſpuit, pro ἀφᾷν frequentans ψηλαφᾷν· unde ψηλαφώμενα dicendum erat. Porro ad Il. θ 169 retinetur ſine ullo indicio Scholion Schrevelii longum, & falſiſſimum, in quo ſtatuitur ὅδε, τοῦδε, τῷδε, τόνδε per omnia genera & numeros ſcribendum eſſe paſſim apud Homerum, pro ὁ δὲ, τοῦ δὲ, τῷ δὲ, τὸν δὲ &c. Hoc autem poſito, videbimus contextum Homeri plerumque ita cohærere, ut arenam ſine calce. Apud Poetas, ut aliis etiam in locis diximus, ſæpiſſime articulus præpoſitivus loco pronominis οὗτος uſurpatur: & ita ſexcenties a Vett. Scholiis exponitur, præſertim ad priores aliquot Iliados libros, ubi illa copioſiora. Eadem de cauſa clam itidem recepit, quæ falſarius admiſcuerat Il. ϑ v. 261, ubi, cum Edd.

neri: illa ſola recte exhibet διηκυσῶν. Porro ad Il. δ v. 345 editum: φίλα] * προσφιλὲς, ἡδὺ, φίλον ἐςὶν Ἀτ]ικῶς. & annotatur: *Ita pro corrupto, quod* προσφιλῆ, ἡδῆ *in omnibus olim erat*. Quod falſum; nam Cantabrigienſes contra teſtantur, omnes Edd. præter Hackianam & Oxonienſem habere προσφιλῶς ἡδέως & nos certe non aliter invenimus in Romana & Veneta: deinde quod corruptum dicit, non eſt quidem genuinum, ſed a Schrevelio; ejusmodi tamen eſt, ut magis videatur facere ad illud φίλα explicandum pro Nomine id accipiendo, quam quod eſt in Edd. ubi adverbialiter accipitur: nihil in eo reprehenſione dignum, modo pro ἡδῆ ſcribatur ἡδέα. Quod autem hic ſubſtituitur, id incongruum eſt; utpote ſingulare ad plurale: totumque Scholion cum augmento nullius pretii. Ad Il. δ. v. 347 Νῦν δὲ φίλως χ᾽ ὁρόωτε] νῦν δὲ ἡδέως ἂν καὶ ἀσμένως ἴδοιτε, * εἰ καὶ δέκα τάξιες Ἑλλήνων κ. λ. ſignum de additamento monet; unde autem id ſit, non item: nec de ea re vel verbulum additur. Qui propter Jonicum illud τάξιες, & κ. λ. Latiniſticum, (non enim Græcis in more ſic per unas literas abbreviare, qui nec καὶ λοιπὰ dicerent, ſed καὶ τὰ λοιπὰ, vel καὶ τὰ ἑξῆς) qui igitur propter hæc putabit a Schrevelio eſſe, vel a Cl. Editore; is indolem veteris & noſtrorum hominum Græciſmi perſpectam habet; aliunde tamen eſt additamentum, nempe ab excerptis MSS. quæ Cantabrigienſes ediderunt, de quibus paulo poſt neceſſaria monebimus: in iis τάξιες quidem habetur, ſed vitioſe pro τάξεις loco κ. λ. autem ſunt verba Homeri ὑμείων προπάροιθε μάχοιντο. Porro ad Il. δ v. 539 retinuit additamentum fallax, nec monuit: ἔνθα] τότε. μᾶλλον δὲ ἐκεῖ ubi Edd. Rom. & Ven. tantum, ΕΝΘΑ τότε. bene, ut mox ad Il. ε v. 1 ἐνθ᾽ αὖ] τότε δή. ubi recte nihil tale additum. Clam itidem ad Il. ε v. 54 retinuit ex Schrevelio illepidum iſtud: ἐμπειρία τῦ βάλλειν ἀπὸ μακράν. quid malum! ἀπὸ μακράν quis unquam ita locutus eſt? ſaltem dixiſſent ἀπὸ μακρόθεν. Ad Il. ε v. 214 περιέλαβεν ἴδιον υἱὸν προσφιλῆ ἀγκάλαις, ὠλέναις, βραχίοσι, καὶ ἀπὸ μέρυς χερσίν. Hæc etiam ex Schrevelio in hanc Editionem derivata ſunt ſine indicio: ineptiſſima & putidiſſima, propter omiſſionem articulorum neceſſariorum, & conjunctionum; nec non accumulationem

ſynony-

Digitized by Google

ſynonymorum puerilem. Ad Il. ε v. 330 *ἀλλ' ἴδε ςίχον υκβ', ὧδε. In his Schrevelianis cum præter morem Scholiorum, citetur locus Homericus per numerum verſuum; tamen inter illa tolerantur: & adhuc elogio ornantur in Notis: *Illa ad* v. 330 *ut non incommoda relinquo.* Aſt inferius paulo ad Il. ζ v. 21 ſimile Schrevelii nugamentum ἡ Πήδασος ἡ πόλις ὧδε ςίχῳ λέ Viro Cl. non eſt viſum ſatis commodum; itaque aliud ſubſtituit Scholion: Πήδασος μετ' ὀλίγον ῥηθησομένη, ex Euſtathio, ut ait. Id quod ſatis apparet, nam ipſe ſine dubio dixiſſet εἰρηθησομένη, ut fecit ad Il. ι v. 64 ἐὰν μὴ πείθηται τοῖς εἰρηθησομένοις· quæ ipſe ad Scholia ſe addidiſſe fatetur in Notis: quaſi, ut εἰρήσεται dicitur, itidem & illud dicatur. Quemadmodum autem ibi *tempus* augmenti minime capax auxit; ſic aliud augeri ſolitum, augmento privavit ad Il. θ v. 108 in his futilibus clam inſertis: Οὓς ἀπ' Αἰνείαν ἑλόμην] ἃς Αἰνείς. Αἰνείαν, Αἰνεία, ἀφελόμην· nempe quaſi ipſe etiam verſum faceret ἀφελόμην dixit pro ἀφειλόμην· Edd. Rom. & Ven. recte; ubi hæc tantum ΕΛΟΜΗΝ. ἀφειλόμην. ἔλαβον. quod ſatis erat. Porro ad Il. θ v. 137 σιγαλόεντα] ἀνθηρά, λαμπρά. *εἴ τ' ἂν ἁπαλά· ἄγ' ἀφώμενα σιγᾷ ψόφον ἐδένα ἐκδιδόντα. quæ poſt aſteriſcum, ſunt ex Schrevelio, inficeta & illo digna; qui ut hic imperite & otioſe particulam γε poſuit: ita quoque ad Il. β v. 794, ubi inter alias hominis intemperias in hac Ed. nimis patienter retinetur: καὶ δὴ ἀμφότερόν γε κατὰ πολεμίες ςόλες σκοπεῦσιν &c. ſed nec illud ἀφώμενα offendere potuit Virum Cl. quod uſus communis reſpuit, pro ἀφᾶν frequentans ψηλαφᾶν· unde ψηλαφώμενα dicendum erat. Porro ad Il. θ 169 retinetur ſine ullo indicio Scholion Schrevelii longum, & falſiſſimum, in quo ſtatuitur ὅδε, τᾶδε, τῷδε, τόνδε per omnia genera & numeros ſcribendum eſſe paſſim apud Homerum, pro ὁ δὲ, τᾶ δὲ, τῷ δὲ, τὸν δέ &c. Hoc autem poſito, videbimus contextum Homeri plerumque ita cohærere, ut arenam ſine calce. Apud Poetas, ut aliis etiam in locis diximus, ſæpiſſime articulus præpoſitivus loco pronominis ἐτος uſurpatur: & ita ſexcenties a Vett. Scholiis exponitur, præſertim ad priores aliquot Iliados libros, ubi illa copioſiora. Eadem de cauſa clam itidem recepit, quæ falſarius admiſcuerat Il. θ v. 261, ubi, cum Edd.

Digitized by Google

Rom. & Ven. haberent ΤΟΝ ΔΕ ΜΕΤΑ. μετὰ δὲ τοῦτον recte ut alias solent in hac re; ille istis aperte pugnantia continua serie subjecit: Σύνταξις, οὐ Μετὰ δὲ τὸν, ἀλλὰ Μετὰ τόνδε. Δῆλον δὲ ὅτι οὐδεὶς σύνδεσμος δὲ ἐνταῦθα. ubi præterea si Græce voluit scribere, debebat: ἡ σύνταξις &c. deinde potius δῆλον δὲ ὅτι οὐκ ἔστι σύνδεσμος τὸ δὲ ἐνταῦθα. Eadem de causa proxime sequentis etiam versus Scholion Schreveliana moneta cusum, totum retinet; sed cum majore tamen Lectoris respectu, quia asteriscum adjecit, indicem adulterinorum; licet tantum in fine adjecerit, cum & in principio deberet: sic recte indicaretur nihil hic esse genuinum. Sed hæc hactenus de illo genere Additamentorum, quæ prorsus omittenda fuerant.

Augentur præterea in hac Editione Scholia Excerptis Aloysii Alemanni, quæ Cantabrigienses primi ediderunt, inserta Annotationibus suis: sed hi tantum in Iliadem, solam ab ipsis editam; Noster autem & in Odysseam. Hæc cum sine crimine omnia addi potuissent, modo quibusdam in locis emendatiora darentur, tamen id non factum. Quandoque in totum omittuntur, quandoque parte omissa afferuntur. Cumque de additis monendus fuisset Lector, id non semper factum: aliquando per asteriscum a ceteris Scholiis distinguuntur, simulque verbis in Notis admonetur: aliquando asteriscus quidem deest, sed monetur: aliquando nec asteriscus adest, nec monetur; denique, ut ceteram inconstantiam taceamus, nec Scholiis semper inseruntur sed sæpe in Notas rejiciuntur. Postremo loco commemoramus Additamentum optimum, nempe Scholia Antiqua præstantissima, in nonum Iliados librum, illa quæ Hornejus primus publicavit descripta a Caselio ex libro Petri Victorii: hæc in hac Editione suis locis inserta sunt, & diligenter a ceteris distincta. Primi hic monemus, Scholia illa extare in optimæ notæ Codice Homeri MS. Paulinæ nostræ Bibliothecæ; non in illum librum tantum, sed in totos sedecim inde a principio Iliados, uno filo deducta. Istis comparata Scholia vulgata plerumque sordere videntur. Verum de iis alia occasione fortasse plura.

Nunc commemoratis Additamentis, quibus Scholia in hac Edi-

Editione aucta sunt, animus erat Emendationes quasdam nostras in ipsa Scholia, subjungere, subnatas nobis in evolvendis prioribus aliquot libris hujus Editionis: præterea etiam de Græcismo Cl. Editoris constitueramus aliqua adhuc monere; verum cum & huc usque nimis longi fuisse videri possimus: & illa quæ diximus, grata brevitate proponi non possint; ea vel supprimere cogemur, vel, si operæ pretium videatur, in posterum cum Lectore communicabimus.

Interim ut aliquando istis imponamus finem, quæ restant, de hac Editione commemorabimus. Et de Variantibus quidem lectionibus, ob eam, quam diximus causam, etiam pauciora. Annotantur illæ ex Eustathio quidem & Scholiis minoribus satis diligenter: nec non ex Codd. MSS. quibus usus est Cl. Editor: additis iis etiam quas H. Stephanus collegit; ex aliis non æque. Certe Editionis Florentinæ & varietatum ejus rarior facta mentio, quam decuerat; licet jam pridem collectæ habeantur in Loniceri Editione Argentoratensi, collatis inter se Florentina & duabus Aldinis. Quemadmodum plurimas annotandas omisit; sic multas omittendas annotavit: ut conjecturas suas, dum posse sic vel sic legi dicit. V. g. Il. β v. 233 in contextu est Ἥν τ' αὐτὸς ἄπο· in Notis dicit: *Potest legi &*, Ἣν αὐτός τ' ἄπο· deinde inter Var. Lect. Ἥν τ' αὐτὸς ἄπο] γρ. ἣν αὐτός τ' ἄπο· mox continua serie in Notis, cum v. 239 in contextu ἕο edidisset, dicit: *Alias legi posset* ἕθεν deinde inter Var. Lect. Ἕο] γρ. ἕθεν. sæpe id factum. Aliquando, quod in contextum recepit, etiam inter Var. Lect. refert v. g. Il. ζ v. 62, cum alias in contextu legatur ἀπὸ ἕθεν. ipse ibi ἀπαὶ ἕθεν edidit, licet in Notis fateatur *Lectionem* τῦ ἀπαὶ *non esse necessariam:* & insuper in Var. Lect. habet Ἀπὸ ἕθεν] γρ. ἀπαὶ ἕθεν. non autem, ut par erat, Ἀπαὶ ἕθεν] γρ. ἀπὸ ἕθεν. Quod ad Notas attinet, illæ in singulis paginis Scholiis, contextum Homericum excipientibus, subjiciuntur, brevitate sua commendabiles. Tum etiam quia necessaria fere tantum attingunt; ubi nempe ratio constituendi contextus reddenda est: ubi versus dimensio juvanda: ubi res illustrandæ: denique ubi Poeta vindicandus a criminationibus. Has excipiunt aliæ Notæ in Scholia, plerumque adhuc breviores. Versionem, quæ e regione

one contextus arctius spatium occupat, quam ipsa Græca, Cl. Editor in Titulo Operis *emendatissimam* dicit: & in Præfatione, *accuratius paulo perpolitam.* Tyronibus hæc opera sine dubio utilis & grata erit; nostræ patientiæ non fuit eam examinare. Indices postremo geminos addidit, utrique nempe Volumini suum, idque methodo, quantum fieri potuit, Seberiana; sed magis, ut ait, materiales. Nostro judicio consultius erat omnia Homeri exhiberi uno indice, ut factum a Sebero. Alias minus commodum. Quæsiturus vocem aliquam, primum incertus fluctuabit, utrum ex duobus evolvat: deinde continget eum non illum elegisse, in quo vox illa extat; arripiet alterum, & devoranda nova quærendi molestia: quod si vocem quæsivit in Homero plane non extantem, geminas ærumnas frustra exantlavit. Si Seberianum Indicem huic Editioni accomodasset, & se, & alios labore levasset, effecissetque, ut par evaderet utriusque Voluminis moles, compacto cum Odyssea Indice, cui tantum fere deest, ut exæquet Iliadem.

HOMERI OPERA QUÆ EXTANT OMNIA Græce & Latine. Græca ad Henr. Stephani Editionem & Demetrii Chalcondylæ, atque insuper ad Codd. MSS. sunt excussa. Ex Latinis selecta sunt optima, verum ita interpolata, ut plurimis longe locis, præsertim totius Odyssea, nova versio videri possit; Curante JO. HENR. LEDERLINO Lingv. Or. in Acad. Argent. Prof. P. & post eum STEPHANO BERGLERO, Transylvano.

Amstelodami, apud Henricum Wetstenium, 1707, 12.
Alph. 2 pl. 6 & tab. æn. 1.

POst splendidam illam & operosam, & pretiosam, moleq; sua cæteras ejusdem formæ superantem Cl. Barnesii Editionem; hujus etiam, licet serius, mentionem hic facere placuit, haud paulo minoris & parabilioris. Quemadmodum Novi Testamenti Ed. Wetstenianam minorem mirum in modum commendat forma libri commodissima, & typorum elegantia, atque perspicuitas, ob literas ab intricatione in Græcis alias usitata, & a ductibus compendiosis, solutas; ita hanc Homeri Editionem Wetstenianam

Digitized by Google

nam illa omnia commendant, eſtque eadem illorum hic ratio. Contigerunt autem huic Editioni duo curatores hac ratione. Cl. Lederlinus, cui initio ſoli commiſſa fuerat hæc cura, eam deſerere coactus fuit, abſolutis tantum quindecim Iliados libris, avocatus Argentoratum ad munus Profeſſorium: ita altero Curatore opus fuit, qui cœptum continuaret & abſolveret.

Hunc poſteriorem Curatorem de ſua ipſius opera ita dictitare accepimus. Se tantam impendere non potuiſſe, quantam ipſemet optabat, & quantam optimi Bibliopolæ in ſe benignitas merebatur; quod eo maxime tempore admotus fuiſſet Editioni illi, cum occupatiſſimus eſſet in conficiendis Indicibus ad Julii Pollucis Onomaſticon, & nihil minus cogitaret quam talem provinciam. Interim tamen id ſaltem, qua potuit, diligentia executum fuiſſe, quod juſſus fuerat, ut contextus ad mentem Henrici Stephani ederetur, quo nemo melius adhuc de Homero fuerat meritus. Codices autem illos MSS. & Florentinam Ed. quorum Titulus meminit, ſibi non fuiſſe ſemper ad manus; verum ſi quid requirendum foret, percurrendum fuiſſe in Bibliopolium, a quo non parum remotus habitabat: ac proinde rarius auxilium ab iis petiiſſe, adhuc rarius inveniſſe, &, ſi quid inveniret, id adhibere non ſemper auſum, propter auctoritatem Henrici Stephani, *ὅν τε τρομέουσι καὶ ἄλλοι.* Nec tamen ob hanc cauſam plane ita ſe obſtupefactum fuiſſe, ut apertiſſima etiam Henr. Stephani *παρ-οράματα* omnia toleraret, ſi quando per alias curas liceret eſſe attentiori. Non amplius meminit, ubi quid correxerit, nec Editiones inter ſe conferendi nunc ſpatium eſt: interim tamen cum Cl. Barneſius aliquoties tangat illos Homeri Editores, qui ab Henrico Stephano diſcedere timuerunt; difficile non fuit illius Notas paſſim perluſtranti, deinde hanc Ed. cum iis conferenti, aliqua notare, quæ hæc non habet communia cum ceteris, quas reprehendit Vir Cl. ad Stephanianam expreſſis: quod ei non obſervatum, licet eam viderit, & alibi ſemel iterumque ejus mentionem fecerit. Quædam illorum hic ſubjiciemus. Cum Odyſſ. ϱ v. 88 recte edidiſſet Cl. Barneſius ἐπεὶ pro ἐπὶ, in Notis hæc ſcribit: *Mirum huc usque vocem ἐπὶ, quæ per errorem in Lovanienſem irrepſit, in H. Stephani Editione inemendatam haſiſſe;*

&

& hinc in alios hunc errorem profluxiſſe, Videlicet Caſtellionem, Spondanum, Elzevirium, Oxonienſem &c. Verum ex Florentina, Aldina, utraque Euſtathii, & Frobeniana veram Lectionem ἐπεὶ *reſtituo.* Sub illo *&c.* nemo non & Wetſtenianam intelliget, quaſi & illa ἐπὶ habeat; quia eam inter illas non enumerat, quæ ἐπεὶ habent. Atqui ἐπεὶ recte habere illam etiam inſpicienti patebit. Idem Cl. Barneſius Odyſſ. τ v. 261 edidit: Τὴν δ' ἀπαμειβόμενος· deinde annotat: *Cum forte fortuna in Henr. Stephani Editione* Τὸν δ' *ederetur, cetera Edd. ſubſecuta errori auctoritatem dare videbantur.* Poſtea enumerans Edd. quæ Τὴν δὲ habeant, de Wetſteniana tacet; quaſi non & illa in fœm. genere legat Τὴν δ' ἀπαμειβόμενος, & quidem adhuc melius, quatenus δὲ ſejungit a τὴν, quod in ejusmodi locis, qualis hic eſt, nempe in Tranſitionibus, perpetuo faciendum eſſe, jam ante aliquoties monuimus. Idem Vir Cl. Odyſſ. ω v. 307 Νῆυς δέ μοι ἧδ' ἕστηκε, & annotat: *Vocem* ἧδ' *quæ forte exciderat in Euſtathii binis Edd. ac proinde in Henr. Stephani, Caſtellionis, Spondani, Elzevirii &c. jam ex Florentina & Hervagiana reſtitui. Quibus Cantabrigienſis & Oxonienſis recte ſuffragantur.* Non ſolæ inquam iſtæ ſuffragantur, ſed & Wetſteniana. Idem Odyſſ. ι v. 353 edidit: ἔκπιεν pro ἔπιεν, deinde in Notis inter alia: *Licet Florentina, Aldina, Lov. Hervag. Stephaniana, Caſtell. Elzeviriana, Oxonienſis, & quæ naſcuntur ab illis,* ἔπιεν *legant omnes; Romanam & Baſ. Euſtathii omnibus præfero* ἔκπιεν *quæ aperte legunt, ut & Cantabrigienſis Anni 1664.* Imo & Wetſteniana ἔκπιεν legit, nec hic dependet ab illis. Idem Odyſſ. β v. 296 edidit: Ὡς φάτ' Ἀθηναίη, & annotat: *Ut mali exempli perniciem melius attendamus, ſciendum, ab uno fonte Florentinæ Ed. fluxiſſe & derivatum eſſe in omnes ſequentes Edd. errorem* ὡς ἔφατ' Ἀθηναίη. *Sola Cantabr. & Oxonienſis una recte legunt* φάτ'. Non in omnes omnino derivatus eſt ille error; nec ſolæ illæ duæ recte φάτ' legunt; verum ita planiſſime & Wetſteniana. Unum adhuc addemus brevitatis cauſa. Odyſſ. ο v 362 Vir Cl. recte edidit θρέψεν, deinde annotat: *Ut videas, quantum ad errorem conſpirat propagandum Magni alicujus Viri autoritas, ſcias, quum in Henr. Stephani exemplari* τρέψεν *pro* θρέψεν *fortuito ſcriptum eſſet; hinc in Caſtellio-*

Digitized by Google

Castellionis Editionem, & in Spondani &c. fluxisse. Si alios magni illius Viri autoritas aliquid movit; at non æque Curatorem Wetstenianæ Editionis posteriorem, qui ante Cl. Barnesium θρέψεν illud revocavit.

Non hinc tantum apparet, Virum hunc Doctiss. autoritati Stephani non esse addictissimum, saltem quod ad operam illius Homero præstitam attinet; verum etiam ex Præfatione, quam in hac Wetsteniana Ed. Iliadi præmisit, ubi palam ausus est illi *oculos attollere contra, primusque obsistere contra*, idque in primo illo tyrocinio. Refutavit ibi Conjecturas quasdam & Emendationes Henrici Stephani. Primum, Il. α v. 58 negavit τοῖσιδ' esse scribendum, & adhuc negat; licet apud Herodotum, & alibi alicubi, quamvis rarissime, extare non neget: Homero tamen temere inferendum negat; quicquid etiam Cl. Barnesio secus videatur, qui non dubitavit τοῖσιδ' edere, cum Henr. Stephanus paulo cautius tantum dicat, se scribere ita non dubitare. Deinde Il. α v. 468 Οὐδέ τι asserit contra Henr. Stephanum; qui Οὐδ' ἔτι malebat, nec Cl. Barnesio id persuasurus, ὐδέ τι potius retinenti. Porro Il. β v. 257 τὸ δὲ retinendum censet, missa H. Stephani conjectura τόδε· quod τόδε Cl. Barnesium arripuisse mirum non est; nam is alias sæpissime illud δε appendicem articuli facit, ubi multo clarius quam hic patet particulam separatam esse, ut aliquoties jam dictum. Il. υ v. 435 Henr. Stephanus proprio ausu ὄσσε φαεινὼ ediderat: inque errorem pertraxerat etiam priorem Curatorem Editionis Wetstenianæ; posterior Curator ὄσσε φαεινὰ defendit, quod postea & Cl. Barnesius recte retinuit. Il. π v. 690 pro ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνησι μάχεσθαι Henr. Stephanus malebat ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνει μαχέσασθαι, quod Noster oppugnat, nimia licet ambage. Cl. etiam Barnesius merito non auscultavit Henr. Stephano. Odyss. θ v. 396 cum omnes Edd. haberent Εὐρύαλος δὲ ἑαυτὸν perperam; Henr. Stephanus pro ἑαυτὸν ediderat δὲ αὐτὸν, non sine violatione metri; Noster autem δέ ἑ αὐτὸν conjicit, licet in contextum id recipere non ausus: quod tamen postea fecit Cl. Barnesius, eadem, ut videtur, conjectura usus. Odyss. σ v. 191 Henr. Stephanus pro πρόσωπά τε scribendum censet προσώπατα. Noster contradicit:

& Cl. Barnesius recte *πρόσωπά τε* retinet. Odyss. χ v. 445 -- *καὶ ἐκλελάθοιντ' Ἀφροδίτης Τὴν ἄρ' ὑπὸ μνηστῆρσιν ἔχον μίσγοντο τε λάθρη* in fine mavult Henr. Stephanus *μίσγονθ' ὅτε λάθρη* & sequacem habuit Editionem Oxoniensem anni 1705. Noster & tunc vulgatum recte se habere vidit, & nunc affirmat: nec eum offendit, ut H. Stephanum, illud *ἣν ἐμίσγοντο·* nam *ἔχον* construitur cum *ἣν* ut verbum activum, *ἐμίσγοντο* autem subaudita præp. *κατὰ*, quod fit sæpissime; ut sit: *ἣν εἶχον ὑπὸ μνηστῆρσιν, καθ' ἣν τε ἐμίσγοντο αὐτοῖς*, sive *αὐταῖς* nempe *οἱ μνηστῆρες*. Cl. autem Barnesius recte quidem vulgatum retinet; frustra tamen incommodis laborare putat. Denique Hymno in Merc. v. 74 *ἀπεπτάμνετο βοῦς* Henr. Stephanus dixerat, non videri aptum ibi *ἀπεπτάμνετο·* seque libenter repositurum *ἀπελαύνετο·* Noster illud contra defendit; sed juveniliter satis paratragœdiatur: optime rem conficit Cl. Barnesius, ad illum locum hæc tantum annotans: *Henricus Stephanus suspicatur mendum esse: non est.*

Ex his omnibus planum fit, quomodo se gesserit posterior ille Curator in hac Editione. Nempe illum & emendasse passim crassiora Henrici Stephani aliorumque errata: & emendaturum adhuc plura sine dubio fuisse, nisi jussus fuisset illum sequi; præterea que si ab alio graviore labore vacuus fuisset. Quod ad versionem attinet, verum est, quod Titulus a Bibliopola præfixus prædicat; sunt enim plurima in melius mutata, quod per longam inductionem hic ostendere non est animus. Forte erit ubi Curatori illi posteriori *αἱ δεύτεραι φροντίδες* nunc viderentur *σοφώτεραι·* sed is *vertendi* gloriam libenter aliis relicturus est, nec vel maximam cuiquam invidebit: sicut parum solicitus est, ecquis Autor Græcus bene vel secus Latine ab uno alterove sit conversus. Tam in Latinis autem quam in Græcis cura adhibita fuit, quam potuit, maxima, ut errata typographica diligentissime corrigerentur, primum ab illo, cui tantum cum typographicis colluctandum, deinde a Curatoribus, ad postremum ab ipso doctissimo Bibliopola. In Odyss. tamen Lib. α v. 41 in versione remansit Er. typ. *O Si* pro *Sic.* quemadmodum mox v. 47 pro *O si* legendum *Sic.* Nec illud omittendum, Chartam Geographicam

eam ad Odysseam in hac Editione exhiberi, in qua delineantur Ulyssis errores.

De Præfatione, quam præmisit posterior Curator longiusculam, divisam Iliadi & Odysseæ, nunc ipse ita judicat, licet interea non multo sapientiorem se factum sentiat. Exceptis iis, quæ contra Henrici Stephani Emendationes disputat: itemque iis, quæ contra Rapinum, Homero Virgilium anteferentem, in aliquot priores libri pagellas cœpit dicere, his certa ratione exceptis, cetera pleraque sibi *μειρακιωδέστερα* videri, *ἀπειροκαλίας φορτικῆς ἔτι ὄζοντα*. Id quod jam tum quodammodo sensisse videtur, ut ex iis quæ in fine Præfationis dicit, videre est.

JOANNIS PETRI LUDEWIG, JCTI, Differentiæ Juris Romani & Germanici.

Halæ Venedorum, 1712, 4.
Plag. 10.

ARdui ac magni operis primum hoc specimen est, continuandum a Consultissimo Autore inter conflictus Academicos. Gallorum se exemplo ad hoc institutum excitatum esse dicit, *Bucharelli, Bugnonii, Imberti, Autumni* aliorumque, qui discrimina scripserint inter Gallica jura & Romana. Principio igitur querelam movet, quod in tanto Jureconsultorum numero, qui Germanica jura commentis suis illustraverint, non unus sit, qui sibi utriusque juris discrimina proponat, cum omnes contra id agant, ut patria & Romana jura in unam cogant harmoniam. Unde tanta jurisprudentiæ hodiernæ in scholis ac curiis incertitudo ac perturbatio, quod ex diversis principiis nequeat esse firma & sibi constans conclusio. Recitat tum nomina omnium interpretum juris Germanici & statutorum in omnibus provinciis sigillatim. Deinde ipse contendit, non aliter jurisprudentiam restitui posse integritati suæ, quam si, Romanis legibus remotis, illa explicetur potius ex ratione ac indole Germanicæ Reipublicæ, quam ex legibus Romanis. Quapropter in votis ponit, ut alant Germani in unaquaque Academia Juris Germa-

nici Profeſſorem, exemplo Anglorum, Danorum, Suecorum. Præterea de Romani juris in *Regnis Europæ*, ſi *Germaniam* ſolam exceperis, exigua auctoritate diſputat adverſus *Dukium*. Nunc ad ipſa utriusq; juris diſcrimina, quorum I eſt: *leges Romanas proœmiis ac epilogis gaudere; utraque abeſſe in legibus Germanicis*. Idque conſultius longe, quod proœmium & cauſa legis non ſit lex, ſed ſcribæ legis corruptum ſæpius judicium. II *Jurisprudentiam Rom. ſyſtematicam eſſe, non Germanicam*. Hanc certe in eo feliciorem, quod ſyſtematis autorem non habeat legislatorem. Peſſime enim feciſſe credit Tribonianum, quod ſacratiſſimum Cæſaris nomen catecheſi juridicæ præſcripſerit, in qua tot nævi, ſolœcismi ac deſideria virorum literatorum. Quæ ſingula in Juſtinianeis Inſtitutionibus recenſet notatque ſummatim. III *Jurisprudentiam Romanam negare fidem inſtrumentis, ubi formula abſit, in nomine Dei*: contra eandem improbitatis ideo argui a Germanis, quod nefas ſit, Dei numine uti in rebus nauci & nullius religionis. Illud præterea ſingulare eſt, quod hic curſim obſervat, recentiora plerumq; Germaniæ *provinciarum ſtatuta* non ex indole ac moribus Reipubl. petita ſed ex LL. Rom. exſcripta eſſe, inſtar puerilium in ſcholis exercitiorum. Exempli loco confert *ordin. de notar.* 1512 *cum novella* 47 §. 1. IV *Romano jure nomina impoſita eſſe poſt pubertatem* ex ingenio pueri denominandi: contra *apud nos infantibus nomina dari* a fortitudine, qui poſt animos probant molles & fœmineos. Inde vota quorundam, ut a ſacro fonte, baptismate, nominum abeſſet impoſitio. V *Romanos nomina mutaſſe*, ex levi cauſa aut nulla, *non Germanos*. VI Romanos *peregrina nomina* quandoque habuiſſe in deliciis: contra anno demum 1224 ſuperſtitionem in Germanis cœpiſſe, infantes *Germanicos* cognominari a Græco aut Latino ſermone petitis nominibus & agricolarum filios audire *Auguſtos*. VII Romanos *plura nomina* habuiſſe: Germanos quondam *ſimplex & unum*. Hodie inconcinnum eſſe, ruricolas circumferre gentilitia cognomina; Principum filios ſalutari viginti nominibus; imo *viros fœminas dici* in gratiam ſanctorum & patrinorum. VIII *Cæſaris* olim nomen tributum eſſe *Regi Romanorum*: quod hodie non fiat. IX Romanos ex *levi* hoſtium ſtrage ſe a populis de-

victis

Digitized by Google

victis scripsisse *Suevicos*, *Alemannicos*: a qua insolentia Germani abfuerint semper, qui titulos ex regionibus augeant, ne idolum illis obsit præscriptionis. X *Triumphos* Romanorum nostris Principibus solennes non esse: nostro tamen ævo triumphalia de Suecis egisse Russos. XI Non suo se arbitratu *felices* & *magnos* cognominare Principes nostros; quod tamen fecerint Romani. XII *Augusti* vocem Germanis rectius ab *augendo* derivari, quam Romanis *ab avium gestu*. XIII Capitale olim fuisse Romanis & inter læsæ majestatis crimina, *ligulas solvere* aut de loculis deponere *numos*, Cæsaris imagine haud signatos: cujus superstitionis contemtrix sit Germania. Quamvis id hodie inconcinnum, quod Principum vultus inter forpiculas niteant sartorum & patulas balneatorum pelves. XIV Perpetuo Romanos Principes *diademate* fuisse conspicuos: Germanos, semel coronatos, diademata porro non gerere. XV Romanos ad jura discenda admisisse nonnisi *adolescentes*: contra Germanorum subsellia patere pueris & *viris*. Inde exempla *Baldi*, *Zasii*, *Siebardi* aliorumque, qui jura demum didicerint fere quadragenarii. XVI Romanos jura in *scholis* didicisse ab anno V. C. 450: contra Germanos in *curiis* profecisse tantummodo. Ubi admodum singularia, quomodo leges Romanæ invaserint Germaniam cum Christianismo & arte Cæsarum a scholis post iverint in curias. Additur demonstratio: leges Romanas anno 1441 damnatas & proscriptas esse ex universa Germania. Olim etiam illas non aliter quam ob *vim rationis* in Germania locum habuisse. XVII Germanos olim judices alios non tolerasse, quam *viros*: contra LL. Romanas ferre judicem *adolescentem*. XIIX Quod apud Romanos *leges academicæ* fuerint adversus Minervam invitam & infelicem: contra inter nostri ævi morbos etiam hunc esse, quod Germania adeo *fertilis sit virorum literatorum*. Homines enim hinc deesse militiæ, commerciis aliisque negotiis, Reipublicæ longe utilioribus, quam tot otia literatorum & quæ sunt generis ejusdem. Eodem instituto Doctissimus Autor sub prelo habet *juris feudalis Longobardici & Germanici differentias*, tum a nobis recensendas, si prodierint, ut vovemus, in lucem.

JOHANNIS MARIÆ LANCISII, INTIMI Cubicularii & Archiatri Pontificii, Dissertatio de nativis & adventitiis Romani cœli Qualitatibus; cui accedit Historia Epidemiæ Rheumaticæ, quæ per hyemem Anni MDCCIX vagata est.

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1711, 4, ch. aug. Alph. $1\frac{1}{2}$.

QUanquam de Romano aere *Alexander Petronius*, *Marsilius Cognatus* & *Johannes Baptista Donus* copiose ac diserte scripserint; turpissimum tamen reputavit Clariss. Lancisius, non civis modo, sed Romanus ipse natus, ea per incuriam neglexisse, quæ illi alienigenæ præcipuum suorum laborum argumentum selegerant. Cum enim *de noxiis paludum Effluviis* quædam conscribere suscepisset, quod opus adhuc sub manibus fervet, haud incongrue Romanus ager ipsi succurrit, qui juxta temporum vicissitudines a stagnantibus aquis nunc vindicatus, nunc obrutus, varias itidem salubritatis & insalubritatis vices experitur. Quæcunque igitur Medica 40 fere annorum exercitatione apud cives suos in hoc argumento animadversa fuerunt, scripto commendare, idque primum omnium demonstrare annisus est, cœlum Romanæ urbis suapte natura salubre esse, quanquam ob adventitias causas nunc stagnantium aquarum, nunc pertinacium nivium, ac furentium septentrionalium ventorum, & olim fuerit, & esse possit insalubre.

In Dissertationis igitur hujus Parte priore nativam Romani
P. I. Cap. I. cœli salubritatem commendaturus, Hippocratem sequitur, ejusque quatuor causas allegatas, quæ salubritate locum aliquem donare queant, in agro Romano oppido inveniri docet; situm scilicet urbis, ventos, quibus libere perflatur, bonitatem aquarum dulcium, ac terram, quæ fertilis est, ac simplicibus theriacalibus referta. Quibus totidem argumenta adjungit ab ipsius aeris effectibus deducenda; optimum videlicet Romanorum colorem, acre eorundem ingenium & suaves temperatosque mores, morbos vernaculos apud cives caute viventes per se fere
2. nullos, tandem multitudinem senum. Quemadmodum itaque duo potissimum a Medicis de urbium situ judicaturis attendi solent

lent, primum an illæ in monte, an in plano, an in mixto loco sint positæ, deinde quomodo eædem ad cœli aspectus, ac præcipue ad Solis ortum & occasum se habeant; ita Roma laudatur, quod inter nitidissimos colles, amplas convalles, latamque planitiem exstructa fuerit, ut ex tot inter se non diversis modo, sed quasi contrariis locis mixta quædam ex omnibus consurgeret atmosphæra', cui postmodum non diversæ solum sed quasi sibi contrariæ ad eam confluxuræ nationes facile breviq; assuescere possent. Itaque Roma in medio latissimi agri fuit ædificata, inde liberum habet Solis tum ortum, tum occasum, collibus interim nimium ipsius æstum moderantibus; nec arenoso maris litori, nec præruptis altisque montibus adjacet. Ex ventis, quibus urbs perflatur, salubres sunt Orientales, Aquilonares, & Occidentales, Cap. 3.
quia moventur per loca temperata, &, quod magis refert, obstacula prope urbem, quibus divertantur, aut magnas paludes, quibus inquinentur, non inveniunt. Auster equidem liberius adhuc, quam cæteri, Romam perflat, sed non proinde regionem hanc morbosam reddit, nisi ubi hærentes aquas offendat. Lenis enim ac sereno cœlo flans Romæ plerumque 4.
utilis ac salutaris observatur; siquidem hic in frugibus arboribusque non solum florum eruptionem aut austerorum fructuum maturitatem citissime promovet, sed & corporibus humanis liberiori transpiratione mire blanditur. Nubilus vero ac vehemens insalubris est, quatenus hic impuros inveniens humores eadem facilitate eos agitare solet, qua vinum aliaque mixta liquida, non satis defecata confundit ac turbat; quæ tamen mala non peculiarem perniciem incolis afferunt, damnatumque præ alio reddunt aerem Romanum, nisi cum alibi turbidas aquas vel solum cadaveribus aliisque corruptis veneficisque corporibus inquinatum non procul ab urbe inveniant agitentque venti. Incon- 5.
stantia vero aeris, quæ Romæ a facili contrariorum ventorum aditu proficiscitur, & eapropter quibusdam male audit, nec tanta est, nec tam diuturna, ut damnari queat, neque incolis infesta, sed potius firmandis eorundem corporibus animisque summopere utilis. Ad aquas dum pergit Autor, duo certissima salu- 6,7.
brium aquarum argumenta constituit, longum nimirum innoxiumque

xiumque

xiumque earum uſum, & chymicam analyſin, per quam nihil exotici ipſam aquæ compoſitionem ingredi edocemur; pro potu tamen ſalubris deprædicatur illa, quæ quam minimum alcalicæ
Cap.8. terræ & innoxii ſalis imbibit. In urbe Roma quatuor ſunt genera aquarum dulcium, primum ſponte naſcentium, ſecundum influentium per aquæductus,tertium fluvialium,poſtremum pluvialium. Atque hæ lymphæ lectiſſimæ fere omnes a Romanis ſalubriter bibuntur. Quæ ſponte intra urbem ſcaturiunt, ſunt vel fontanæ, vel pluteales. Inter illas nominatur 1 Aqua Grilli, 2 Aqua B. Felicis, 3 Aqua ad ripam Tiberis, 4 Aqua S. Da-
9. maſi ad Vaticanum. Puteales cum a Tiberi puriſſimam aquam ducente majori ex parte transcolentur, non niſi tenues atque in-
10. noxias eſſe, ſponte patet. Inter aquas, quæ per aquæductus Romam advehuntur, aqua Salonia ſeu Trivii reliquis, aquæ ſcilicet Felici ad Diocletiani thermas & Aquæ Sabbatinæ in ſummo Ja-
11. niculo, præfertnr. Aqua Tiberis in ciſternis per ſex menſes pro-
12. be purgata,tanquam puriſſima ſalubriter potatur. Ciſternarum pluviales aquæ Romæ non admodum in uſu ſunt, quia magna lectiſſimorum fontium puteorumque copia ubique ſuppetit, & aſſiduo ſtudio vindicandæ ſunt illæ ab iis ſordibus, quæ non occurrunt duntaxat ſub forma peregrinorum ſalium & impuri ſulphuris, ſed ſunt quoque ovula inſectorum & vegetabilium ſemina, a tectis terraque imbribus abrepta, tunc demum animanda,
13. cum humido leniuntur. Sed ne deſit Lectoribus nova utilitatis aut curioſitatis materia, addita ſunt nonnulla experimenta, quæ ad ſingularum urbis aquarum tum craſes tum pondera depre-
14. hendenda tentavit Autor. Solum deniq; Romanum Simplicibus theriacalibus refertum omniumque rerum ferax cœli ſalubritatem abunde confirmat, ita ut non deſit panis, quo nusquam melior, carnes animalium optimæ, vina laudatiſſima, & quavis anni
15. tempeſtate victus ſalubris abundet. Ex aeris effectibus, qui ejus indolem ſequuntur,& ſalubritatem evincunt, color primum laudandus eſt Romanorum, qui nec nimium rubicundus, Celſo ſuſpectus, nec admodum pallidus, flavus aut terreus, qui cunctis damnatur, ſed ſuavis & ad viſum dulcis eſt, quem Hippocrates
16. inter hominum colores præ omnibus commendavit. Accedit huic

huic magna ingeniorum vis cum prudentia, quod non passim invenitur, conjuncta. Exulare etiam dicuntur Romæ morbi ver- Cap. 17.
naculi; cum enim hi non sint alii, quam familiares multis in una regione viventibus morbi, ob aeris vel aquæ vitium ei regioni familiare; febres certe continuæ cum catalepsi seu lethargi specie, item semitertianæ, aliique morbi vernaculi dicendi non sunt, cum non cœli vitio, sed crapula, desidia, studiis, curisque
incolarum oriantur. Denique Romanorum longævitas salu- 18.
britatis aeris testimonium est uberrimum, quam Autor Clariss. Pontificum, Cardinalium, Præsulum, Religiosorum, Monia-
lium, privatorumque exemplis probat; plerosque vero juvenes 19.
adhuc, multos etiam post sexagesimum annum vitæ potius nondum mutatæ culpa decedere putat, quoniam sc. hi a laudabilibus nimiumque intensis exercitationibus, puta pomeridianis atque ad multam noctem productis studiis, nec non frequenti usu noxiorum ciborum, aliisque operibus, quibus in primo senio corpus animumque impune adhuc macerabant, abstinere in secundo nesciverant. De parte secunda uberius dicemus proximo Mense.

CONTINUATIO SCHEDIASMATIS de Angulorum arcuumque sectione indefinita; Autore JOH. BERNOULLI.

QUod si seriem adhibere lubeat, poterit nulla facta distinctione inter numerum parem & imparem, generaliter exprimi tangens arcus multipli indefiniti *n*, incipiendo a termino postremo binomii $x+1$ ad potestatem *n* elevati, eamque pro primo habendo: formata namque fractio ex terminis secundo, quarto, sexto &c. pro numeratore, & ex primo, tertio, quinto &c. pro denominatore alternantibus semper signis, exhibebit valorem tangentis arcus multipli, indiscriminatim in omni casu, sive par sit sive impar numerus *n*, imo etsi fractus vel surdus esset; in literis algebraicis rem ita explico:

Quia constat $\overline{x+1}^{n} = 1 + \frac{n}{1}x + \frac{n.n-1}{1.2}xx + \frac{n.n-1.n-2}{1.2.3}x^3 + \frac{n.n-1.n-2.n-3}{1.2.3.4}x^4 + \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4}{1.2.3.4.5}x^5$ + &c. Di-

co sumta ut supra x pro tangente arcus simpli A, & n pro numero multiplo quo multiplicandus est, fore tangentem arcus multipli

$$B = \frac{nx - \frac{n.n-1.n-2}{1.2.3}x^3 + \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4}{1.2.3.4.5}x^5 - \&c.}{1 - \frac{n.n-1}{1.2}x^2 + \frac{n.n-1.n-2.n-3}{1.2.3.4}x^4 - \&c.}$$

Ex qua formula universali hoc praeterea utilitatis fluit, quod latera polygonorum circumscriptorum, adeoque & inscriptorum compendiose determinentur; aequando nempe ipsi zero numeratorem fractionis divisum per x, erit enim radix aequationis = semilateri polygoni circumscripti, cujus numerus laterum est n, & radius circuli 1, demonstrationem ejus utpote attendenti facile obviam ex praecedentibus lubens omitto.

D. THOMAE ITTIGII, P. P. ET SUPERINtend. Lips. Historia Concilii Niceni, observationibus maxime recentiorum Scriptorum illustrata. L. CHRISTIANUS LUDOVICI P. P. recensuit: cujus cura Praefatio, adnotationes & reliqua accesserunt.

Lipsiae, apud haeredes Tarnovianos, 1712, 4.
Plag. 20.

REm pergratam eruditis fecit Cl. Editor, qui in recensendis B. Ittigii tractatibus posthumis summa cum diligentia versatur, quos partim jam edidit, hactenus a nobis recensitos, partim adhuc editurum se promittit, quos inter primum locum sibi vindicabunt *Tractatus de Collectionibus Conciliorum & Scriptis ad notitiam Canonum & Conciliorum spectantibus*, & *Historiae Ecclesiasticae selecta capita seculi III*; quod hanc quoque Nicaeni Concilii Historiam adnotationibus illustratam cum Orbe erudito communicare voluerit. Nos pro nostro instituto summam hujus libri breviter dicemus.

In prioribus VI paragraphis eos, qui magnae molis Acta vel etiammum quaerunt, vel saltim olim exstitisse putant, nominatim arguit

Digitized by Google

arguit B. Autor, cum Valeſio & Pagio ſtatuens, nil niſi fidei formulam & canones & epiſtolam ſynodicam in Concilio Nicæno fuiſſe ſcriptum: de cetero Euſebium, Athanaſium & alios, qui concilio interfuerint, præcipua acta in ſcriptis ſuis retuliſſe ex iisque nnonullos longe poſt, admiſtis falſis rumoribus, Acta Concilii Nicæni concinnaſſe, de quibus ipſis autoribus ordine deinceps agit, tandemque etiam noſtros homines, qui de eo ſcripſerunt, adducit. His præmiſſis rem ipſam aggreditur, & §. VII de loco concilii, Nicæa, agit, cumque Euſebius alias dicat in templo, alias in palatio illud fuiſſe celebratum, Noſter, rejecta prius Valeſii conciliatione, in palatio utique habitum cenſet, neque tamen negat etiam in templo interdum fuiſſe conventum, non tamen adeo ad conſultandum, quam precandum. *§. IIX* & IX de tempore inchoati concilii diſputat, annoque CCCXXV, qui fuerit partim XIX, partim XX imperii Conſtantini, id factum adſerit, aliosque refellit. §. X anno eodem, quo fuerit cœptum, finitum quoque fuiſſe hoc Concilium, contra aliter judicantes defendit. § XI de eo, qui concilium indixerit ac convocaverit, diligenter disquirit, quem Conſtantinum ſtatuit, idque contra Pontificios, vel Sylveſtrum ſubſtituentes, vel Conſtantinum cum Sylveſtro jungentes, evincit. Paragraphis ſequentibus usque ad XXII de occaſione Concilii, hæreſi nempe Ariana, diſſerit: ubi de ipſius Arii, poſt deſertas ab eo Meletii hæretici partes, Diaconatu, a Petro Alexandrino ipſi collato, de ejusdem expulſione, eodem Petro autore facta, de impetrata ab Achilla Petri ſucceſſore venia, & presbyteri munere ab eodem Achilla accepto, proponit; quo mortuo, Alexandrum in Epiſcopatu ſibi anteferri, ægre tuliſſe Arium, eundemque publice Sabellianiſmi inſimulaſſe, oſtendit; hoc ipſo autem in opinionem cum Sabellii doctrina e diametro pugnantem prolapſum eſſe, & peſtilentiſſimam ſuam hæreſin ſpargere incepiſſe: itaque in Synodo Alexandrina Arium presbyterii gradu dejectum & excommunicatum eſſe ab Alexandro, cumq; ille ſe nihilominus per epiſtolas, legationes & concilia defenderet, magnasque adeo turbas excitaret, quas nec altera Alexandrina ſynodus ſedare potuerit, miſiſſe Imp. Hoſium Cordubenſem Epiſcopum ob eam rem Alexandriam, huncque, cum nec

Digitized by Google

in tertio concilio Alexandrino, ipſo præſente atque inſpectante habito, res poſſent componi, ad univerſale concilium Nicææ habendum omnium provinciarum Epiſcopos invitaſſe. Atque has res dum copioſe atque erudite tractat Noſter, alia quoque admiſcet lectu omnino digniſſima, v. g. de hæreſi Meletianorum, de Alexandro Baucali, quem omnium turbarum in Arii cauſſa motarum ducem & autorem exſtitiſſe Philoſtorgius falſo aſſerit, deque aliis rebus in dictis III conciliis Alexandrinis expeditis. Progreſſus deinde de iis, qui Concilio Nicæno interfuerunt, agit, tum in genere de numero eorum §. XXIII, tum in ſpecie primo loco de Hoſio, quem concilio quidem interfuiſſe, non tamen ut Pontificis legatum, demonſtrat, deinde de legatis Pontificis, porro de Alexandro Byzantino, de Alexandro Alexandrino, & reliquis usque ad §. XXXI. His pertractatis de Præſide concilii diverſisque circa eam rem ſententiis diſſerit, rejectisque ceteris, cum Brentio Conſtantinum præſediſſe contra Bellarmini ſtrophas defendit, usque ad §. XXXIV. Poſt hæc mentione facta orationis, tum ad Imperatorem habitæ, tum Imperatoris reſponſoriæ, ad ipſas conſultationes pervenit, easque accuratas plane fuiſſe defendit contra Sabinum Macedonium, Calvinum, Epiſcopium, Zwickerum & alios, usque ad §. XXXIX. Sequentibus paragraphis, dum reliqua perſequitur, quæ ad Arianam cauſſam pertinent, exempli gratia, quod ipſe Arius non fuerit inaudita cauſſa damnatus, contra Zwickerum, §. XL, de formula fidei ab Arianis oblata §. XLII, de voce homouſii §. XLVI, de ceteris Arii erroribus §. L ſeqq. de iis qui cum Ario fuerint damnati §. LV, de perjurio Arii & morte §. LVI &c. alias quoque res notandas identidem inſpergit, v. c. quod Patres Concilii hujus non duplicem admiſerint regulam controverſiarum, ſcilicet Scripturam S. & traditiones, contra anonymum Gallum, §. XLI, quod ſymbolum noſtrum Apoſtolicum a Patribus C. N. fabricatum eſſe, non probabile ſit, contra Vallam & Eraſmum, multo minus ab ipſis Arianis, contra Sandium, §. XLIII, quod ſymbolum noſtrum Nicænum potius ſit Nicæno-Conſtantinopolitanum, §. XLIV, quod D. Lutherus vocem homouſii non oderit, nec Origenes filium Dei Patri homouſium negaverit, §. XLVII. Tractat

præterea

præterea quæstiones, quando fides Nicæna in Gallia innotuerit? §. XLIV, cur Ariani dicti sint Exucontii? cur Exocionitæ? cur Diatomitæ? §. XLIIX & IL &c. Finita illa tractationis parte, quæ ad Arianos spectat, reliqua etiam Concilii hujus acta B. Autor recenset: & quidem §. LVII, LIIX, LIX, de decreto C. N. circa pascha celebrandum disputat, §. LX de eo primum agit, quod in C. N. de Meletio ejusque sectatoribus fuit definitum; deinde, quæ de Acesio Novatianorum Episcopo narrat Socrates, de Photino damnato Præteolus, de Donatistis itidem damnatis Rivius, de Philosophorum gentilium in concilio præsentia & cum Episcopis conflictu Gelasius, Noster penitus cum aliis rejicit & pro figmentis habet. Ultimis paragraphis B. Autor de canonibus C. N. disquirit, tum de eorum numero & diversis circa eum sententiis §. LXI, tum de dubia quorundam sententia, deque iis qui in canones sunt commentati, usque ad §. LXVI, tum etiam de canonibus perperam vulgo pro perditis habitis, usque ad §. LXIIX, in quo ipso tandem paragrapho, confirmationem actorum suorum a Sylvestro Pontifice postulasse patres Nicænos, pernegat, atque ita totum tractatum finit.

De adnotationibus Cl. Editoris id breviter adhuc monemus, scilicet illud ipsum magnopere contendisse, ut dicta ab Autore pluribus explicaret atque illustraret, tum haud satis ab illo probata ulterius probaret, testimonia autorum citatorum maxime necessaria adjiceret, breviter dicta, ubi opus videretur, amplificaret, pluraque subinde lectu dignissima atque ad propositum apprime facientia tum de suo, tum ex aliis Autoris scriptis collecta adderet. In Præfatione argumenta potissimum sibi idem Vir doctissimus sumsit refutanda, quibus Josephus Saenz de Aguirre probare fuit conatus, plures quam XX canones in Synodo Nicæna sancitos fuisse.

JO. ANDREÆ SCHMIDII, D. P. P. ABBAtis Mariævallensis, Lexicon Ecclesiasticum Minus.

Helmstadii, sumtibus Sustermannianis, 1712, 8.
Alph. 3.

Cum non lateret Celeb. Autorem, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia minime carere poſſe, qui ſacris literis operantur, inſimul autem eundem nec fugeret, multis illorum vel rem anguſtam eſſe domi, ut magna volumina, quibus res eccleſiaſticæ exponuntur, ſibi comparare nequeant, vel animum non eſſe, ut per vaſta illa ſpatia vagentur; his ut conſuleret, Lexicon Eccleſiaſticum minus concinnare & luce publica donare voluit. Quod ipſum cum in compendio præcipuas eccleſiaſticas voces, phraſes, antiquitates, ceremonias & ritus liturgicos, hæreſes, feſta, ordines religioſorum, dignitates & officia, nec non varios Chriſtianorum mores, &c. additis ubique in ſubjectis notis harum rerum fontibus, autoribusque aliis, qui plenius de iisdem agunt, grata admodum brevitate exhibeat, nulli prorſus dubitamus, inſigne admodum commodum in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cultores inde redundaturum eſſe. Magnopere autem vovemus, ut propediem ſe offerat Bibliopola, qui *Lexicon Eccleſiaſticum majus*, cujus ſumme Venerabilis Autor in Præfatione Lexico huic minori præmiſſa nobis ſpem facit, ſuis ſumtibus excudi curet.

LEXICON PARTICULARUM EBRÆARUM, a CHRISTIANO KOERBERO, Eccleſiaſte Lobenſteinienſi, compoſitum.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielckium, 1712, 8.
Plag. 8.

Qui non ignorant, quantum præſidium Exegeſeos Sacræ in accuratiori particularum cognitione repoſitum ſit, non mirabuntur, Cl. Autorem ad hoc argumentum nova quadam, vel ſaltem vulgo non cognita, ratione tractandum animum convertiſſe. Conſilium ipſi eſt, ad liquidum deducere, voces illas, quas particulas vulgo appellant, easque potiſſimum ſeparatas, nominum & verborum Hebraicorum naturam referre. Quæ quidem res quamvis nonnullis Hebræarum literarum aſſertoribus, atque inter eos inprimis Cl. Danzio, cui ſua maximam partem debere ſe profitetur Autor, & ante eum ex parte Buxtorfio quoque perſpecta fuerit, negari tamen non poteſt, idem argumentum nunc

nunc in ea luce esse collocatum, ut Lectori non nimius pertinaci assensum facile extorquere possit. Negotium itaque hoc confecturus Cl. Autor, omnium particularum radices genuinas, hucdum fere ignoratas, ex Hebraismo, Arabismo, vel cognatis aliis linguis eruit, significationes proprias, locis Biblicis confirmatas, iisdem vindicat, ac denique ad certam formam, genio & analogiæ linguæ S. respondentem, rite revocat. Quod dum agebatur, fieri non poterat, quin hac occasione loci quidam Biblici obscuriores, & quorum sensus ex particularum vera notione pendebat, illustrarentur. Ut res exemplo constet, de particula אֵת Nominativi & Accusativi nota ita statuit, ut a radice אָתָה i. e. *venit*, *obvenit*, *obtulit*, derivandam censeat, cujus proinde ea sit significatio, ut *objectum* sive *subjectum* denotet, v. c. 1 Reg. XXII, 24. qui locus vulgo ita vertitur, ut cum אֵת cujus notionem Latini per *cum* exprimunt, confundatur. Forma ejus comparatur cum forma vocis בֵּן. Meminimus vero, Forsterum in Lexico Hebraico fere idem pronuntiare. Eandem enim particulæ huic radicem vindicat, ac eodem in loco *personam* sive *rem* quæ venit, aut præsens est, denotare contendit. In calce hujus tractationis exstat versio genuina Ecclesiastæ III, 16-22, quæ hic in compendio repeti non potest.

NOVA LITERARIA.

Nupero 10 die Junii obiit beatam mortem in urbe Isenaco, celeberrimus Vir, Christianus Franciscus Paullini, qui, dum viveret, famam sui nominis per totam Germaniam, atque extra quoque illam, circumtulit, nec nobis ignotus, sed sæpe in his Actis nostris ex merito commemoratus, & longiore omnino vita dignus, quam scriptis eruditissimis sibi fecit inter eruditos perpetuam. Dum vero non dubitamus, fore, ut integer Commentarius de vita ipsius ab Amico concinnetur, pauca interim, in gratiam eorum, qui plura de Viro isto *Philosopho*, *Medico*, *Poeta*, *Historico*, *Theologo*, variarumque *linguarum* notitia excellenti, scire cupiunt, quam ipsemet de se retulit in libri de *Nuce Moschata* præfatione, adjiciemus de morbo & morte. Ante hos septem

ſeptem annos in dextro latere graviter læſus apoplexia, ab illo tempore continuit ſe domi ſuæ vivens ſibi Muſisque, corpore quidem admodum imbecillis, ſed animo vegetus, & ſtudiis literarum ſine intermiſſione incumbens. Ante vero dies non multos in vitæ periculum incidit ex tumore pedis, tandemq; eam placide finivit, vix ingreſſus annum ætatis ſeptuageſimum. Placentiæ jam tum ſuperiore A. d. 29 Maji deceſſit hiſtoricus inſignis, Alexander Ronconeri, qui ibidem natus d. 17 Nov. 1643, a pueris bonas literas amavit, & cum Galliam, Angliam, Belgium & Germaniam peragraſſet, Cardinali Eſtenſi commendatus, ejus auſpiciis Hiſtoriam Ludovici XIII (*Storia del Regno di Luigi XIII*) ſcribere cœpit, cujus Partem I, quæ ad A. 1624 pertingit, Lugduni in Gallia A. 1691 in 4 vulgavit, qua hiſtorici fide digni laudem ſibi comparavit, Davilam ſermonis perſpicuitate ſententiisq; & acri judicio, quo politicas rerum rationes ponderavit, feliciter imitatus. Francof. ad Mœnum occupat nunc typos Continuatio Theatri Hiſt. Ludolfiani a Celeb. Junckero elaborata. Lipſiæ ſolertiſſimus Fritſchius in eo totus occupatur, ut grandioris Lexici Hiſt. Supplementum, quod tertium operis volumen complebit, propediem prelo ſubjiciat. Cl. *Turretinus*, Theologus apud Genevenſes inſignis, Vir cui res metaphyſicas ſcrutari inprimis datum, poſitiones Theologicas edidit, quibus *Leibnitiana* Theodicææ dogmata & principia, in Actis anni ſuperioris a nobis commendata, valde probat. De novis literariis, quæ in Diarii Veneti Tomo VII & IIX continentur, proximo Menſe dicemus.

LECTORI.

PRodit cum hoc Menſe Supplementorum Tomi V Sectio VI, in qua præter libros pretioſiores & rariores, qui paulo ſerius quidem, quam optavimus, ad nos pervenerunt, novos quoque nonnullos & imprimis Cl. Grandi de quadratura circuli & hyperbolæ per infinitas hyperbolas &c. opus ingenioſum & Ill. Leibnitii Epiſtolam, quæ Grandi hujus meditationes concernit, ad Celeb. Wolfium nuperrime datam exhibemus; id quod Mattheſeos cupidis indicandum hoc loco duximus.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno M DCC XII.

THE WORKS OF D. EDWARD STILLINGFLEET.

i. e.

D. EDUARDI STILLINGFLEETI, Episcopi Wigorniensis Opera omnia.

Volumen IV, V & VI.

Londini, apud H. & G. Mortlock, 1710, fol.

Alph. $25\frac{1}{2}$.

Cum nuper in Actis hujus Anni p. 7 & 106 ex Eduardi Stillingfleeti Tomis prioribus diversissimos Tractatus de rebus diversissimis scriptos exhibuerimus, nunc facilius pergemus ad ea, quæ nihil aliud nisi controversias ejus cum Pontificiis comprehendunt. Ac Tomo IV quidem non nisi unum opus Autoris sistitur, scriptum ab eo An. 1664 sub titulo: *A rational Account of the Grounds of Protestant Religion*, sive: *Vera Expositio Fundamentorum Fidei Protestantium.* Suscepit vero hanc in se tractationem Stillingfleetus, ut vindicaret memoriam Cantuariensis Archi-Episcopi Laudi, qui, cum adversus Fischerum Pontificium, edita Narratione colloquii habiti circa Romanæ & Anglicanæ Ecclesiæ differentiam, causam Protestantium egregie def[illegible]isset, eo tempore, quamvis jam pridem mortuus, edito ab Anonymo, sub literis T. C. latente, libro *Labyrinthus Laudianus*, fuerat impetitus. Hujus itaque Præsulis vindicias & libri modo dicti examen Noster integro ferme hoc Volumine IV suscepit, tam presse objectiones istius Anonymi secutus, ut liber vix admittere videatur recensionem. Paucis itaque memorabimus, totam istam tractationem in tres Partes ab Autore distribui. Prima Parte disquirit, num Romana Ecclesia

rectius pleniusque fundamenta fidei ſuæ poſſit vindicare, quam Eccleſia Proteſtantium. Ea itaque occaſione omnem de Eccleſiæ Romanæ infallibilitate controverſiam perſequitur, & quam lubrica ſit certitudo illa fidei ejusque in Eccleſiæ vel traditionis falli neſciæ autoritatem analyſis, quamque abſurda, & periculoſa, prolixe docet, vindicias ſimul Eccleſiæ Græcæ ab Hæreſeos nota, de articulis fidei fundamentalibus tractationem, nec non integram de traditionibus *διάσκεψιν* immiſcens. Inde quam firma, quamque non modo ſibi ipſi, ſed & Patrum antiquorum ſenſui conſtans ſit Proteſtantium fidei in revelationem Scripturæ ultima analyſis, & qua certitudine divinitas Scripturæ ſe ipſa probet, luculenter exponit. Altera Parte de Schiſmate agitur, & num Romana, aut potius Proteſtantium Eccleſia ſchismatis ſit accuſanda, diſquiritur. Itaque ante omnia rite declarata Eccleſiæ Catholicæ appellatione, eaque prorſus Eccleſiæ Romanæ abjudicata, Proteſtantes, imprimis in Eccleſia Anglicana, a Schiſmatis reatu liberos eſſe, Romanam vero Eccleſiam, cujus rigor adverſus diſſentientes in doctrina & praxi noti Canonis, fidem Hæreticis non eſſe ſervandam, prolixe monſtratur, uſurpatione autoritatis ſupra omnes Eccleſias reliquas, titulique Epiſcopi Univerſalis, ac injuſtiſſimis Concilii Tridentini auſis decretisque ſchiſma & feciſſe & factum exacerbaſſe demonſtratur. Tertia Pars de controverſiis magis ſpecialibus diſquirit, ubi ante omnia autoritas generalium Conciliorum falli neſcia exploditur, eorum vero uſu & legitima autoritate in lucem producta. Inde errores graviſſimi Eccleſiæ Romanæ in doctrina de intentione Miniſtri ad efficaciam Sacramentorum neceſſaria, in calicis benedicti ſubreptione, in invocatione Sanctorum, in Purgatorii fabula, aliisque monſtrantur, & quousque admittenda ſit Proteſtantium conceſſio, poſſe aliquem ſalvari in Eccleſia Romana, oſtenditur. Adjuncta vero eſt ſub finem hujus Tomi breviſſima hujus libri adverſus exceptiones J. Sergeantii Defenſio Epiſtolica ad Joh. Tillotſonum, unice fere quæſtionem de infallibilitate Eccleſiæ concernens.

Tomo V ſiſtitur Autoris noſtri *Diſſertatio de Idololatria, qua in Eccleſia Romana obtinet, deque periculo ſalutis in ejus communione*

Digitized by Google

munione, nec non Fanaticismo & divisionibus ejusdem Ecclesiæ
Occasionem huic Tractatui scribendo dedit Quæstio a nonnemine Stillingfleeto proposita: num Protestantium quicunque iisdem rationibus ad amplectendam Religionem Pontificiam commotus, quibus commovetur alius in Ecclesia Romana natus, ut in ea permaneat, non possit simili modo, ut hic, in ea communione salvari? Hac itaque occasione data Noster, ut periculum salutis in Ecclesia Romana luculenter monstraret, ante omnia idololatriam in ea Ecclesia publice committi, probat. Eam docetur obtinere in cultu imaginum, severa Dei lege prohibito, gravissimisq; pœnis apud Israelitas cum in cultu vituli aurei, tum in cultu Danitico & Bethelitico, quorum cum iconolatria Papistica convenientiam monstrat, a Deo vindicato. Inde ἀρτολατρεία Ecclesiæ Romanæ pani eucharistico exhiberi solita producitur, & non meliori jure eam ab idololatriæ reatu excusari posse, quam crassissimam Paganorum idololatriam, docetur, tandemque invocatio Sanctorum quoque urgetur, & quam vana sint ad eam palliandam quæsita a Papæis κρησφύγετα, ex ipsorum praxi, publicisque officiis, nec non re ipsa, declaratur. His ita demonstratis, porro periculum salutis in Ecclesia Romana ex eo docetur, quod publice ea doceantur atque exerceantur in ea, quæ pietatem atque devotionem vel impediant vel prorsus tollant; eoque refertur doctrina de Sacramento Pœnitentiæ, uti quidem illa apud Pontificios solet proponi, cultus publici lingua peregrina administratio, error de efficacia Sacramentorum sine bono motu interno accipientis, imprimis vero Scripturæ S. ex manibus Laicorum ereptæ contemtus & prohibitio. Denique, quod sit in Ecclesia ista salutis periculum, docetur Fanaticismo Pontificio declarato partim in doctrina, partim in praxi. In doctrina monstratur Ecclesiæ Romanæ, cum articulos fidei multos pendere a privatis fictisque revelationibus, & ritus, imo Ordines quoque præcipuos enthusiasmo simili inniti, quod de S. Benedicti, S. Dominici, S. Francisci, & Jesuitarum Ordine prolixius deducitur, imprimis vero Franciscanorum mendicantium circa Evangelium æternum Sec. XIII enthusiasmus, ortique ex ordine eodem, Petri Johannis de Oliva principia sequentes, Seculi ejusdem

 fine,

ſine, Beguini, Fratricelli eorumque ſimiles Dulciniſtæ & Pſeudo-Apoſtolici, nec non circa A. 1623 demum in Hiſpania detecti Illuminati, ſive *Alumbrados*, curioſiſſime memorantur & deducuntur, Jeſuiticique Ordinis fundator fanaticus & arcana vivis coloribus depinguntur. Diviſiones denique in Eccleſia Romana infinitæ ad eundem fanaticiſmum probandum adducuntur, inter quas cumprimis curioſa ſunt, quæ de Jeſuitarum in Anglia quoque contra reliquos, qui ibi ſunt, Pontificios, ſub Regno Eliſabethæ ac poſtea circa annum 1625 contra deſignatum ab Urbano IIX Epiſcopum Angliæ, Richardum Smith, inſurrectionibus, & moliminibus eorundem contra Epiſcopum Angelopolitanum in America circa A. 1645, a Noſtro deducuntur. Appendicis loco abſurditas indulgentiarum, prohibiti Sacerdotibus matrimonii, ac denique incertitudinis ſalutis monſtratur. Huic libro defendendo ſervit, qui in hoc Volumine ſequitur, Tractatus, ſub titulo: *An Anſwer to Several late Treatiſes*, &c. h. e. *Reſponſio ad aliquot Tractatus recens editos occaſione Diſſertationis de Idololatria Eccleſiæ Romanæ.* In hujus Præfatione ſatis ampla id agit Autor, ut probet, occaſionem idololatriæ Pontificiis tributæ non eſſe novam in Eccleſia Anglicana, ſed jam pridem fuiſſe a Theologis Reformatis pro certa habitam. Ipſum opus duos Tractatus ſeparatos continet. Prior eſt *Examen libelli ſub titulo: Stillingfleetus contra Stillingfleetum*, quo quidem libro quæſitus, quomodo accuſatio idololatriæ cum conceſſis Proteſtantium, Eccleſiam Romanam eſſe partem veræ Eccleſiæ, & poſſe aliquem in ea ſalvari, id quod objectum ipſi fuerat, ſtare poſſit. Poſterior eſt *Reſponſio ad librum ſub titulo: Stillingfleeti principiorum conſideratio.* Quæ Reſponſio omnis occupatur circa Quæſtionem de neceſſitate Eccleſiæ vel Judicis controverſiarum infallibilis, & de ſenſus veri Scripturæ poſſibili inveſtigatione, & num hæc, an illa principii vim ad fidem noſtram poſſit obtinere? Succedit huic operi aliud vindicando illi, quod Volumen IV conſtituit, deſtinatum: *A ſecond Diſcourſe* &c. h. e. Iteratæ Vindiciæ fundamentorum fidei Proteſtantium, contra fictam Eccleſiæ Romanæ infallibilitatem. Occaſionem præbuere Stillingfleeto ad has Vindicias ſcribendas tres Tractatus Pontificii ſequentes:

quentes: *R. Holdeni Hodegus in Controverſiis*, *E. Warneri Proteſtantium fides principiis carens*, ejusdemque *Ratio & fides, ſive certa regula Fidei.* Hi itaque libri Capitibus duobus a Stillingfleeto examinantur, at Cap. III, quod Tractatus imprimis nomen merebatur, cum Warnerus ad miracula Eccleſiæ Romanæ provocaſſet, omnis miraculorum horum prætextus operoſe curioſiſſimeq; excutitur & exploditur. Sequitur opus magis adhuc elaboratum: *A Defence of the Diſcourſe* &c. ſive *Defenſio Diſſertationis de Idololatria Eccleſiæ Romanæ adverſus librum*, *cujus titulus: Catholici neutiquam Idololatræ.* Scripta vero eſt illa A. 1676, poſtquam T. Godden libro modo indicato Stillingfleeti Diſſertationem impetierat; conſtatque Partibus duabus. Prior eſt generalis, & occupatur in vera ratione Idololatriæ conſtituenda, eaque a T. Goddeni objectionibus vindicanda. Duæ itaque hic proponuntur & examinantur Quæſtiones, prior: *Annon Idololatria poſſit conſiſtere cum agnitione unius ſupremi Entis?* Id affirmatur, operoſiſſimeque cum ex ipſis Scriptoribus Ethnicis, tum ex Patrum teſtimoniis demonſtratur, ipſos paganos, quantumvis maxime idololatras, non tamen negaſſe unum Ens ſupremum, a quo omnia dirigantur, imo id quoque nationes, quæ hodienum adhuc Idololatria ſunt infectæ, omnino agnoſcere, Sinenſes, Indosque. Poſterior eſt: *Qua in re conſiſtat natura illius cultus divini, qui creaturæ tributus idololatria ſit?* Eum docetur non tantum conſiſtere in interno mentis affectu, ſed & actibus externis a Deo ſoli ſibi ſervatis, quorum enumerantur ſex: Sacrificii oblatio, religioſa adoratio, Templorum altariumve dedicatio, ſuffimenti & thuris conſecratio, ſolennis invocatio, votorum nuncupatio. Eos omnes creaturæ tributos, ut fieri a Pontificiis prolixe docetur, ex mente Patrum & ſenſu Scripturæ idololatriam conſtituere demonſtratur. Pars poſterior eſt ſpecialis, idololatriæ reatum Eccleſiæ Romanæ diſerte demonſtrans in iconolatria. Circa hanc iconolatriam ante omnia diſquirit Stillingfleetus, quo modo & quo ſenſu de ea fuerit diſputatum inter Chriſtianos & Paganos. Cumque eam longe aliam a Pontificio cultu imaginum eſſe contendant Romanenſes, docet, primo Paganos non credidiſſe, imagines, quas colebant, vere Deos ſuos repræſentare,

 idque

idque demonſtrat ex natura & indole imaginum ipſarum, & ex notionibus Deorum ſuorum, quas habebant, ſummo eruditionis apparatu. Neque ſecundo docet id in iconolatria Ethnicorum potiſſimum reprehenſum fuiſſe a Chriſtianis, quod vel per has imagines colerent tantum falſos Deos, vel quod imagines ipſas pro Diis haberent, a quorum abſurdorum utroque eos abſolvit, & ſapientiores ſaltim eodem modo, quo nunc Romana Eccleſia id facit, imagines coluiſſe docet. Inde ſtatus controverſiæ circa imaginum cultum, quomodo in ipſa Eccleſia Chriſtiana fuit agitata, exponitur quatuor Periodis, quarum prima eſt ea, qua nullæ erant apud Chriſtianos imagines, ſecunda, qua introductæ fuere apud eos imagines ſed ſine omni cultu, cujus rei prima veſtigia monſtrantur in pictis calicibus ſacris, de quibus *Tertullianus* de Pudicitia Cap. 7 & 10, tertia, qua certa ſpecies cultus ipſis fuit conceſſa ſeculo iconoclaſticis controverſiis famoſo, quarta, qua doctrina & praxis iconolatriæ conſtituta fuit ſecundum principia hodie adhuc in Eccleſia Romana obtinentia, ubi monſtratur, decretis Synodi Nicenæ II fuiſſe ab Eccleſia Romana novas adhuc corruptiones additas, nempe invehendo imagines Dei Patris & SS. Trinitatis, ab ea Synodo prorſus damnatas, deinde ipſis imaginibus, quibus Patres Niceni tribuerant cultum majorem quidem ſimplici reverentia, at minorem tamen latria, veram latriam omnimode tribuendo. Inde iconolatriam omnem diſerte prohibitam eſſe lege decalogi, nec vano ex voce εἰδώλȣ effugio, neque cultus divini coram arca ſimilitudine *ullo* modo poſſe vindicari docetur, & præceptum illud Decalogi luculentiſſime declaratur. De Miſcellaneis quibusdam, quæ appendicis veluti loco Capite ultimo de Synodo Nicena II diſputantur, dicere ſuperſedemus, ne prolixiores ſimus, neve penitus taceamus ultimum, qui hoc Vol. ſiſtitur, Tract. Epiſtolicum A. 1674 ſcriptum, qui eſt: *An Answer to Mr Creſſy's Apologetical Epiſtle*, h. e. *Reſponſum ad Epiſtolam Apologeticam Creſſii.* Eo vero Tractatu primario defenduntur ea, quæ de Fanaticiſmo Eccleſiæ Romanæ aſſeruerat Autor in libro primo hujus Voluminis. Eum myſticæ Theologiæ Pontificiorum merito tribui, prolixe docetur, ac cumprimis Benedictini Ordinis Regulæ, cujus ipſe profeſſus erat ſocietatem

Creſſius,

Digitized by Google

Cressius, examinantur. Cumque Cressius jactasset, omnem in Anglia Christianismum Benedictino Ordini, tam fœde a Stillingfleeto proscisso, deberi, integro Capite in id inquiritur, & discrimen inter Britannos & Saxonas Christianos monstratur. Postremo vero legum in Anglia adversus Pontificios constitutarum pœnalium justitia, deducta per omnia Secula Paparum adversus Regni Angliæ libertatem insultus faciendi licentia, ipsorumque Pontificiorum in servanda fide, quam Regibus Angliæ promisere, lubricitate, operose confirmatur.

Denique in Volumine VI primum locum obtinent: *Several Conferences*, h. e. *Collationes aliquot inter Sacerdotem Pontificium, Doctorem Fanaticum, & Theologum Ecclesiæ Anglicanæ de idololatria Ecclesiæ Romanæ.* Defenditur his IV Dialogis liber loco penultimo in antecedenti Volumine V exhibitus, adversus Goddeni Dialogos, quibus ejus refutationem is fuerat molitus. Prima collatio est de sensu Ecclesiæ Anglicanæ circa idololatriam Ecclesiæ Romanæ. Altera de consequentibus ex accusatione idololatriæ adversus Ecclesiam Romanam, quorum duo potissimum urgebat Goddenus, primo, Idololatras non potuisse habere vel aliis dare sacros Ordines, quippe qui excommunicationis judicio essent obnoxii, adeoque ipsos Protestantes iis quoq; destitui, secundo, tot Seculis omnem Ecclesiam Christianam fuisse idololatricam, i. e. abominando scelere a Deo separatam. Tertia est de natura idololatriæ, antea tradita a Stillingfleeto de hac re vindicans. Quarta de facta a Sillingfleeto comparatione Ethnicæ & Romanæ idololatriæ. Sequuntur *Epistolæ duæ ad Goddenum de Collatione habita inter Goddenum & Stillingfleetum* in ædibus hujus Mense Jan. A. 1687, quibus potissimum traditionis infallibilis autoritas discutitur, & quomodo in ea probanda prorsus defecerit Goddenus, cum in Collatione, tum in scriptis inde publicatis, monstratur. Cum vero illa ipsa Collatio ea occasione esset suscepta, quod Sergeantius, supra nobis memoratus, nisi a Stillingfleeto sibi monstraretur fundamentum absolutæ certitudinis fidei apud Protestantes, professus esset, se statim Ecclesia Anglicana cessurum esse, hinc, ubi Sergeantius Goddeni Vindicias in se suscepisset, natus est Stillingfleeto Tractatus, qui succedit, *de*

natura & fundamentis certitudinis fidei. Quem excipit *Concilium Tridentinum examinatum*, de quo diximus in Actis A. 1689 p. 5. Huic ſubjungitur *The Doctrine* &c. h.e. *Comparatio Doctrinæ de Trinitate & de Transſubſtantiatione ſecundum Scripturam, rationem, & traditionem, per modum Dialogi inter Pontificium & Proteſtantem.* Parte priori refutatur ficta antiquitas Transſubſtantiationis, & conſenſus Patrum cum eo dogmate, poſteriori monſtratur, dogma de Trinitate convenire & Scripturæ & Rationi, utrique contrariari Transſubſtantiationem. Finem imponit Volumini *Reſponſio ad Schedas quasdam recens* (regio Jacobi II nomine,) *editas de autoritate Eccleſia*, ejusque *Reſponſionis prolixior Defenſio*, tribus Partibus, prima de unitate Eccleſiæ Romanæ, altera de ejusdem autoritate, tertia de Eccleſiæ Anglicanæ reformatione agens. His denique ſubjicitur Index rerum præcipuarum, quæ omnibus VI Voluminibus, quæ paucis hactenus percenſuimus, continentur.

ACADEMIÆ CÆSAREO-LEOPOLDINÆ Naturæ Curioſorum Ephemerides, ſive Obſervationum Medico-Phyſicarum a celeberrimis Viris tum Medicis, tum aliis eruditis in Germania & extra eam communicatarum Centuria I & II, cum Appendice.

Francofurti & Lipſiæ, apud Chriſtophorum Rigelium, 1712, 4.
Conſtat 4 Alph. 13 plag. & Tabb. æn. pl. 6.

QUantum ad perficiendam Medicinam afferre poſſit hiſtoria naturalis, morborum præſertim, in Actis anni ſuperioris p. 222 monuimus. Hiſtoriæ autem naturalis perfectio ab attentione ac candore obſervatorum pendet. Attentioni ſatisfactum eſſe conſtat, ſi nihil eorum deſideratur, quæ obſervari ac ullo modo inter ſe diſcerni potuerunt, totaque rerum obſervatarum ſeries integra comparet. Candor ex amore veritatis naſcitur nec fert, ut in obſervatione quicquam immutetur, aut inobſervata pro obſervatis venditentur, e. gr. ſupplendo circumſtantias ex incuria non obſervatas, aut fictas obſervationi ſuperaddendo, quo hypotheſibus conformis fiat. Laudandum itaque eſt Illuſtris Academiæ Cæſareo Leopoldinæ Naturæ curioſorum


Fig. 8.
Fig. 10.
Fig. 6.
Fig. 7.
Fig. 9.
Fig. 3.
Fig. 4.
Fig. 2.
Fig. 1.

rioſorum ſtudium, quo tribus integris obſervationum Phyſico-
Medicarum decuriis nunc denuo duas alias ſuperaddit. Omni-
um argumenta indicare prolixum foret: ſufficiet nobis qua-
rundam mentionem injeciſſe, quæ non modo Medicorum, ſed
aliorum quoque curioſitati ſatisfactura eſſe confidimus.

Miramur itaque fracturam ſpinæ dorſi, quam Fig. 1 in A **TAB. IV. Fig. 1.**
ſatis clare exprimit, & vir quinquagenarius nocte vehementiſſi-
me tuſſiens paſſus eſt octo ante obitum annis, poſt fata ab affine
ipſius *Guſtavo Caſimiro Gabrliep* von der Müllen/ Regis Bo-
ruſſiæ Archiatro, detectam. Quamvis enim ſpina dorſi dex-
trorſum ac ſiniſtrorſum obliquata & aliquatenus incurvata ſta-
turam corporis tres pene digitos transverſos breviorem quam
ante fecerat; quid tamen eidem acciderit, ignorabatur. Ap-
plaudimus *Joh. Jac. Franc. Vicario,* Medicinæ Profeſſori in Aca-
demia Friburgenſi, qui hydropem pectoris ex nimio vini & liquo-
rum aduſtorum uſu contractam feliciter curavit: ſed prolixior
eſt medendi methodus, quam ut eam hic repræſentare liceat.
Nil vero obſtat, quo minus hic commemoremus experimentum
Collegæ ipſius *Matthæi Blaw*, petroleum contra napelli virulenti-
am antidotum certum eſſe probantis. Scilicet ſi ſuccus napelli
ſanguini calenti commiſcetur, eundem mox coagulat & con-
denſat. Ubi vero petroleum affunditur, coagulatio ſtatim re-
ſolvitur. Memoratu digna ſunt, quæ *Sylv. Samuel Anhornius
de Hartwiss*, Archiater Sangallenſis, de abſciſſa coli portione
non lethali narrat. Juvenis 26 annorum anno 1694 annonæ cari-
tate compulſus in clibanum piſtoris clam irrepſit, paniculum ibi
relictum petiturus. Inde extractus ſemimortuus & frigida per-
fuſus, motus convulſivos expertus eſt per totum corpus, ſingulis
poſtea diebus vel ſemel, vel bis redeuntes. Tandem in fatuitatem
& die 16 Maji anni 1700 prorſus in furorem incidit: quo ſævien-
te cultrum arripiens ventrem perfodit & portionem inteſtini tri-
um circiter unciarum abſcindit. Chirurgus inteſtinum inferius
in ventrem intrudit, exterioris vero extremum cum vulneris ori-
ficio coaleſcere patitur: per quod excrementa reddit miſellus ho-
mo, nullis per anum egredientibus. Idem nucis juglandis parti-
culam accenſam & dum flagrat, alveolo dentis extracti inditam,

præſentiſſimum contra hæmorrhagiam remedium prædicat, iterandum tamen ſecunda & tertia vice, ni ſtatim voto effectus reſpondeat. Expertus quoque eſt hauſtum ſeri lactis calentis mane & veſperi ſumtum raucedinem extemplo fugare. *Joh. David Mauchartus*, Phyſicus Marbacenſis, dolium ingens accenſo intus ſpiritu vini negatoque exitu diſruptum & fundos vitrorum ob fractas intra aquam in iis contentam lachrymas vitreas diſſilientes, ſuperiori margine integro, in ſcenam producit. Sed cum & illuſtris Præſes Academiæ Dn. *Schræckius*, & nosmetipſi experti ſimus, lachrymas vitreas nec tenuiori vitro damnum inferre, ſive prope fundum, ſive prope orificium vel latum, vel anguſtum frangantur; caſu facta videtur fractura vitri in experimento *Maucharti*. Forte fundus a famulo aquam apportante contra durum aliquod corpus alliſus jam rimas egerat, experimentaturo non obſervatas. Rogandus adeo, ut eam in rem accuratius inquirat. Boves admodum pingues fieri intra 6 hebdomadum ſpatium, ſi, facto in utroque latere juxta ſcapulam parvo foramine ope cultelli, calamus anſerinus immittatur & fortiſſime inſuffletur, tumor inde ortus ad alias ſub cute partes manibus ſedulo protrudatur, donec repetita inſufflatione bos totus tumidus evadat, tandemque foramina cera & lana obturentur, idem autor eſt. Sed merito de eo dubitatur, cum eodem remedio ad emtores decipiendos utantur equitiarii malitioſi. *Gottlob Schoberus*, practicus Lipſienſis, refert, *B. Himpſelii*, Phyſici Revalienſis, filiam unicam 15 circiter annorum a paroxyſmis epilepticis, inito cum paſtore quodam paganomatrimonio, fruſtra tentatis aliis remediis, liberatam eſſe. Ea erant hujus epilepſiæ ſymptomata, ut a dæmone obſeſſa crederetur. Totum ſæpius corpus in arcum contorquebatur; virgo hymnos aliaque carmina ſacra non inconcinna componebat; magna cum facundia ad adſtantes verba faciebat, non modo lingua vernacula, ſed aliis etiam ſibi alias incognitis, Hebraica, Græca, Latina, Gallica; helluoni mortem ſubitam prædicebat, qui nocte inſequente ebrius de ſcala delapſus animam efflavit; nec minus civi Revalienſi pio beatam analyſin præſagiebat, ſtatuto tempore ſubſecutam. Idem viſos noſtris temporibus in Eſthonia & Olandia Satyros & ruſticum

ſolo

ſolo viſu hæmorrhagiam curantem memorat. Teſticulum tornatoris ſiniſtrum in os duriſſimum abiiſſe obſervat *Reinboldus Wagnerus*, Practicus Hafnienſis. Pondus urinæ examinandum in praxiMedica commendat *Samuel Steurlinus*, Phyſicus Saxo-Numburg. Hennebergicus & Schleuſingenſis: de quo argumento publica luce digna premere celeberrimum Halenſium Medicum *Hoffmannum* novimus. Puellus 4 annorum deglutitam aciculam per vias urinæ ſine ulla noxa ſecundo a deglutitione die dimiſit, referente *Joſepho Lanzono*, Profeſſore Ferrarienſi. Viduæ 30 annorum ultra 6 menſes guttulis ſanguineis ſtillaſſe labia, ordinario fluxu menſtruo intermittente, fide *Samuelis Ledelii*, Phyſici Grunbergenſis in Sileſia, narratur. Fœtus Molhuſæ menſe Auguſto A. 1689 in utero matris plorans, ſi *Joh. Georgio Hoyero*, Medico Molhuſino, credimus, urbi incendium præſagivit, quo die 10 Septembris cum 80 ædibus aliis ipſa puerperæ domus conflagravit. Idem *Hoyerus* allium probatiſſimum a calculo præſervatorium probat. Recipiuntur 3, 4 vel 5 allii particulæ a corticibus exterioribus liberatæ, & conſciſſæ in ſpiritu vini vulgari, ad digitum transverſum ſuperexſtante, per 24 horas macerantur. Infuſum in ipſo novilunii momento totum ſemel ebibitur & per integrum annum ſingulis noviluniis repetitur. In cyſtide fellea celſiſſimi Principis ab *Averſperg* apoplexia extincti, poſt febrim tertianam intermittentem, quatuor lapillos marmoris ad inſtar ex fuſco & albo variegatos & mole ſua caſtaneos mediocres adæquantes ſine ulla bile reperit *Marcus Gerbezius*, Practicus Labacenſis. Similiter in veſicula fellis Præſulis cujuſdam Benedictini 57 calculos magnitudinis piſorum majorum, figuræ triangularis ac quadrangularis invenit, *Joh. Adamus Lospichlerus*, Archiepiſcopi Salisburgenſis Archiater. Idem per 6 integros annos duo ova cygnea in loco, ubi nec a frigore hiemali, nec a calore æſtivo tuta fuerunt, conſervavit, & veſpertino quodam tempore ingenti ſonitu, qualis ſclopeti minoris eſſe ſolet, unum eorum diſſiliit, & cygnus tunica ſua naturali contectus & undique plumis veſtitus excluſus eſt: quem curioſitatis gratia adhuc conſervat. Maniam in puero ſeptenni caſtratione curatam narrat *Lazonus* ſupra laudatus. Lapidem in veſica demortui

TAB. IV. Fig. 2.

Xx 2 plurimis

Digitized by Google

plurimis baccis juniperinis repletum invenit *Laſpichlerus* ſupra itidem laudatus. Citius in vacuo quam in aere bullire Martis limaturam, ſpiritui vitrioli aqua temperato immiſſam, ope antliæ *Guerickianæ* expertus eſt *Joh. Conr. Brunnerus*, Electoris Palatini Archiater. In utero fœminæ pleuritide extinctæ 32 lapides reperit *Mich. Angelus Morus*, Medicus Senenſis, quorum maximi amygdalæ magnitudinem æquabant, minimi fabis ſimiles erant. Febres malignas intermittentes defendit *Chriſtianus de Helvich*, Medicus Vratislavienſis. *Blaw* A. 1707 in proprio horto ſemina cucumerum melones dulces ac ſapidos producere miratus eſt: quod & aliis eodem anno accidiſſe notat, qui ipſimet ſemina ſtudioſe collecta aſſervaverant. Hœdum Islandicum hermaphroditum cultro anatomico ſubjicit *Wagnerus*. Febrim tertianam periculoſam per ſympathiam curavit *Hoyerus*. Carnem nempe bubulam urina febricitantis elixavit & cani devorandam dedit: qui febri correptus in eos paroxysmos incidit, quibus antea æger affligebatur. *Godofr. David Mayerus*, Practicus Vratislavienſis, de ſono in pariete dubio inviſibilis automati mortem præſagiente varia narrat. Enimvero dudum *Benjaminus Allen* in Transact. Anglicanis n. 245 p. 376 & *Wilhelmus Derham* ibidem n. 271 p. 831 & n. 291 p. 1586 iſtud inſectorum genus accuratiſſime deſcripſerunt, quod ſonum illum edit, cumque pediculo fere ſimile deprehendatur, a *Derhamo* pediculi pulſatorii nomine inſignitur. Tale autem per microſcopium apparet, quale monſtrat Figura 3, nudo oculo videtur, quale exhibet Fig. 4.

TAB. IV. Fig. 3, 4.

Quodſi quis circumſpectas virorum doctiſſimorum obſervationes cum *Mayeriana* contulerit; is facile deprehendet, ſuperſtitionem multas *Mayero* circumſtantias ſuggeſſiſſe, quæ cum rei veritate non conſiſtunt & candori ſupra commendato adverſantur. Majorem vero fidem merentur, quæ collega ipſius *Helwichius* de peſte Roſenbergenſi narrat, a nobis huc tranſcribenda, niſi prolixitas obſtaret. *Joh. Frid. Khern* autor eſt, in inteſtinis Turcæ ad chriſtianam religionem converſi 48 numos aureos tartaro fæcali involutos offendiſſe uxorem, cum a moribundo monita ventrem defuncti aperiret, quos in obſidione Budæ deglutiverat, dolorum colicorum cum vomitu excrementorum non ſimplici vice

cau-

cauſam. Idem exemplum appulſus naturaliter intermittentis in homine ſano. Virgini religioſæ raucedinem, qua bis terve in anno corripitur, ſola venæ ſectione extemplo ſanari, teſtatur *Helwichius*. Monſtroſam magnitudinem penis militis cujusdam delineat *Joh. Frid. Blaw*, Phyſicus Friburgenſis. Propendebat ſcilicet ad genua usque, & veretrum equi turgidum ſuperabat: teſticuli ſcroto incluſi duplicis pugni magnitudinem æquabant. Non alium ſenſit dolorem, niſi gravantem ratione ponderis circa inguina appenſi; veneris ſtimulum nocturnasque pollutiones nullas. Hiſtoriam fulminis mirabilem recenſet *Scheuchzerus*, cujus non ignotum in his Actis nomen. Patrem monorchin generaſſe filium anorchin annotat *Mich. Frid. Lochnerus*, Medicus Noribergenſis, & *Godofr. Thomaſius*, Medicus itidem Noribergenſis, aquilæ in medicina uſum novis experimentis comprobat. Fel euphraſiæ ſtagmate dilutum oculis octuagenarii inſtillavit, qui mox acutius videre cœpit. Pinguedo aquilæ candore inſignis, brachio luxato adhibita, dolorem cum tumore ſedavit nervisque robur intulit: in alio tali pernionibus illita moleſtum ſuſtulit ardoris ſenſum & fiſſuras conglutinavit.

Appendix dimidiam fere operis partem abſolvit. In ea continentur: 1 conſtitutiones epidemicæ variorum Germaniæ locorum: 2 *Bajeri* diſſertatio & *Ramazzini* oratio de frigore hiemali: 3 ejusdem *Ramazzini* epiſtola de cauſa aſcenſus & deſcenſus Mercurii in fiſtula *Torricelliana* & 4 notata *Schelhammeri* ad eandem: 5 ejusdem *Schelhammeri* anatome xyphiæ piſcis, item lumbi & ophidii: 6 J. B. de *Wengh* diſcurſus de tempore, quo anima rationalis humano corpori infundatur: 7 *Pachionii* diſſertatio de glandulis duræ meningis: 8 *Vallisnerii* diſſertatio de ovario anguillarum & 9 diſſertatio alia de arcano lenticulæ paluſtris ſemine ac admiranda vegetatione: 10 *Delhardingii* continuatio parallelismi ad Miſcellanea curioſorum Germaniæ: 11 *Lentilii* parallelismus ad Annum IIX Dec. 1 Ephem. Cur. 12 *Petri Pauli a Sangallo* experimenta circa culicum generationem, anno 1679 Italico ſermone Florentiæ edita, nunc Latinitate donata: 13 *Kergeri* epiſtola de ſurdo-mutorum cura: 14 *Realis de Vienna* ſeu (quod verum Autori nomen eſt) *Wagneri* meditatio de

gravitatis & cohæſionis cauſa: 15 *Lochneri* ſchediaſma de Parreira brava: 16 Memoria *Wurfbeiniana:* 17 Elogium *Georgii Franci de Franckenau:* 18 J. B. de *Wengh* Memoria *Griendeliana.* Dum *Rudolphus Jac. Camerarius* conſtitutionem epidemicam Tubingenſem anni 1701 & 1702 deſcribit; obſervationes plurium annorum meteorologicas ſubnectit, quas inter notatur, eclipſi Solis totali anni 1706 mercurium ne pili latitudine vel depreſſum, vel elevatum fuiſſe, utut thermometri fide aer bene refrigeraretur. *Bajerus*, ante Mathematum, nunc Theologiæ in Academia Altorfina Profeſſor, cauſam hiemis extraordinariæ, quæ anno 1709 ſæviit, petit a vento orientali, hunc vero ab impedito aeris noſtri per priorum dierum turbulentam tempeſtatem elatere. Ventos enim tepidos tenuiorem feciſſe aerem noſtrum illo, qui montibus Bohemicis Carpathiiſque imminet, atque adeo hunc in iſtum irruiſſe ſpiculaſque glaciales ſecum advexiſſe. *Ramazzinus* arbitratur, in regione boreali Solis radiis ad plures menſes inacceſſa ex ſubito & præcipiti montis alicujus in magnas cavernas lapſu portam ingentem algidiſſimis ventis & nitroſæ exhalationi apertam fuiſſe. Diverſæ ab his rationes frigoris illius inſoliti redduntur in diſſertatione, quæ in Academia Halenſi A. 1709 ſub præſidio Cl. *Wolfii* noſtri publice defenſa nec indigna viſa illuſtri Societati Regiæ Britannicæ, ut ejus epitome Actis ipſius insereretur. De *Ramazzini* epiſtola dictum jam eſt in Actis anni ſuperioris p. 10 & ſeqq. *Wenghius* de tempore, qua anima corpori infunditur, varias tantum aliorum ſententias recenſet. Glandulas conglobatas, quas in dura meninge detexit *Pachionius*, in Actis anni 1706 p. 117 & ſeqq. jam deſcripſimus. *Vallisnerius*, Medicinæ in Academia Patavina Profeſſor, per plurima luſtra anguillam gravidam fruſtra quæſivit; tandem miſſu *Sancaſſani*, Medici Comaclenſis, non ſine lætitia inſigni obtinuit. Burſa ſeminibus plena inſtar ſacci ex valida, delicata tamen membrana efformata erat, in angulos acutos utrinque deſinens, inque lumbis juxta medullam ſpinalem ſita ſub inteſtinis, non procul ab eorum origine per dorſi longitudinem uſque ad cloacam fere extendebatur. Ovarium totum inſigni vaſorum adipſorum multitudine circumdatum erat, quæ in anguillis etiam non gravidis obſervantur.

Digitized by Google

ſervantur. Ovula minimarum & lucidiſſimarum margaritarum inſtar videbantur & minuto pediculo adhærebant, per quem ipſis affluit nutrimentum. Ceterum diſſertatio ex Italico idiomate Latina verſa exhibetur. Lenticulam paluſtrem inter ſponte naſcentia vulgo referunt; ſed docet *Vallisnerius*, latere ſemen ſub folio in folliculo lateralibus quibusdam in areolis genito, donec matureſcat. Obſervari præcipue in ſuis utriculis menſe Julii aut Auguſti, quandoque Septembris, ſi anni tempeſtas non adeo torreſcat, vel lenticula ſub umbraculis deliteat. Qua methodo plane mutos loqui & nulla non vocabula diſtincte proferre docuerint primum in Anglia *Walliſius*, poſtea in Batavia *Ammannus;* ex illius tractatu de ſonorum formatione A. 1653 primum edito, dein Grammaticæ ipſius Anglicanæ præmiſſo, tandem Operum Mathematicorum Volumini tertio inſerto, & hujus diſſertatione de loquela Amſtelodami 1700 in 8 in lucem edita abunde conſtat. Horum exemplo excitatus *Kergerus*, Medicus Lignicenſis, eandem ſurdo-mutorum curam non minus felici ſucceſſu ſuſcepit, quam adeo in epiſtola ad Cl. *Ettmüllerum* noſtrum data exponit. *Wagnerus* hanc gravitatis cauſam aſſignat. Terra, inquit, tanquam ſuffocatus (olim verus) Sol debilitatos adhuc vibrat radios; æther neceſſario cum impetu ſuccedit, protruſæ ſubtilis materiæ locum repleturus. Ætheris hic lapſus ſpecioſa ratione gravitatem: colliſio delabentis ætheris & aſcendentis e terra luminaris materiæ compreſſione cohæſionem & duritiem efficit. *Parreira brava*, quam *Lochnerus* deſcribit, eſt planta, quæ in Braſilia potiſſimum naſcitur & ejus regionis incolis *Caapeba* dicitur. Eam certiſſimum contra calculum remedium expertus eſt *Lochnerus*, ubi radicem foliis Acinellæ maritatam, vel ſpeciebus decocti Nephritici *Foreſti* a *Zwölfero* correctis immixtam exhibuit, in aqua calida, inſtar potus *Thee*. Recenſet quoque varia medicamenta ex hac radice partim ab aliis, partim ab ipſo parata, & eorum effectus propriis obſervationibus confirmat.

CONSIDERATIONI ED ESPERIENCE DI ANTONIO VALLISNIERI &c.

i. e.

I. 2.

ANTONII VALLISNERII COGITATA ET Experimenta circa opinatum cerebrum petrefactum, vermiumque ordinariorum in corpore humano generationem.

Patavii, apud Johannem Manfré, 1710, 4.
Alph. 1 pl. 6, Fig. Tab. 14.

NObiliſſimi Autoris non niſi paulo ante & Supplementorum Tom. III Sect. IV fecimus mentionem, cum Expetientiſſimi *Ludovici Teſti* Rationes phyſicas de aeris Veneti ſalubritate p. 165 recenſeremus: alia namque ſcripta ab eodem edita & Diario, quod *la Galleria di Minerva* inſcriptum Venetiis prodit, inſerta (quæ & inde decerpta edi ibidem nuperrime cœpere ſub tit. *Prima Raccolta di Oſſervazioni, Eſperienze ec. del Sig. Ant. Valliſnieri*) nondum ad noſtras, præter duas epiſtolas præſentes, pervenerunt manus. In harum priori, ad ſumme reverendum Abbatem Antonium Conti conſcripta, Noſter ſententiam ſuam libere de Obſervatione pronunciat, quam *du Verney* junior de cerebro bovino petrefacto *Commentariis phyſico mathematicis* cum Hiſtoria Academiæ Regiæ ſcientiarum a *Fontenellio* A. 1703 emiſſis, atque a nobis A. 1706 menſe Auguſto excerptis, inſeri tribusque Figuris illuſtrari curavit. Figuras equidem tales, externam faciem opinati cerebri petrefacti repræſentantes, deprædicat elegantiſſimas, duasque earum, licet ſculptoris culpa inverſas, in Tab. 8 transſcribit, deſiderat tamen, alias magis neceſſarias, quæ ejusdem cerebri, tum perpendiculariter, tum transverſim diſſecti, ſtructuram pariter internam exhiberent, penitus fuiſſe neglectas. Idcirco ipſe Autor, quo certior fieret, num ejusmodi concretiones vera exiſterent cerebra petrefacta, an materia potius oſſeo-lapidea, aliquam ex ſuis collectionibus, extrinſecus cerebrum exactius referentem, quam memorata *du Verney*, ſerra diviſit. In ſegmentis autem, figura adumbratis, nec ullum ventriculum, nec configurationem cerebri ratione anfractuum, fiſſurarum, foraminum & canalium ad glandulam pituitariam tendentium, nec ſubſtantiæ glanduloſæ ac fibroſæ diverſitatem, nec plexus choro-

idei

idei veſtigium deprehendens, ante omnia de cerebro vere petrefacto tanto rectius dubitat, quanto verius ex cancris marinis, hyſtricibus, corallio, tubulario purpureo, ſtella marina & dentibus lamiæ novit, quod corpus vere petrefactum integram veluti omnem retinere ſoleat figuram. Neque concretiones tales intra boum calvarias aliquando repertas pro cerebro habere poteſt, quia animalium cerebrum & reliqua viſcera cum carne & ſanguine nunquam lapidis characterem æque recipere obſervaverit, ac oſſa, dentes, cornua aliave concreta dura. Provocat ad omnis generis teſtudines, hyſtrices, oſtreas aliasque ſimiles productiones, quæ ſtudio a ſe diſruptæ nullius partis mollis in lapidem mutatæ oſtenderint veſtigium, ſed vel vacuæ fuerint, vel terra, aqua limoſa, luto, arena, lapillis &c. repletæ. Provocat ad oſſa quæcunque & crania lapidefacta, in quibus haud medullam vel cerebrum induratum, ſed aut modo dictas materias, aut tartarum ſaltem viderit; prout Autores in omnibus corporis noſtri partibus calculos annotaverint, nondum vero ullus totam partem in calculum mutatam detexerit. Potiori hinc jure opinatum bovis gallici cerebrum cum ſimilibus ex ſucco albo, oſſa formante & ferruminante, productum, naturæ luſibus accenſet, certus a Dn. du Verney præter & ſubter concretionem cerebriformem ipſum cerebrum fuiſſe repertum, modo eidem cranium aperire licuiſſet, nec lanius incautus baſin hujus frequentibus mallei ictibus comminuiſſet. Circumſpectior Noſtro audit lanio quidam Mutinenſis, qui ſimile productum in cranio bovis inveniens, hoc autem in parte ſuperiori dividere haud potens, illud non modo invertit ac ſubtus patienter diſpeſcuit, ſed & Autorem in tempore invitavit ad ſpectandum caput, quod cum materia iſta indurata cerebrum una recondebat, dimidiam partem ordinario minus. Materiam talem unciarum quatuor, lævem, lucidam, duriſſimam & ruditer ovalem cum vaſorum ſanguiferorum ſulcis ſuperficiei inſculptis, poſtquam Autor perpendiculariter & horizontaliter ſecari curavit, interna æqualiter plena ſine ventriculis, ſine duplicis ſubſtantiæ diſcrepantia, ſine plexu choroideo, apparuere, figuris itidem cum illa expreſſa. Quæ eminentiæ interim ſub glandulæ pinealis ac proceſſus vermifor-

Digitized by Google

mis petrefactorum nomine in figuris *du Verney* repræſentantur, ex Noſtro non minus naturæ luſus reputantur, a vera glandula pineali, veroque proceſſu vermiformi, haud in ſuperficie, ſed profundius locatis, omnino differentes. Variis vero experimentis, cum ejusmodi materia, oſſibus, calculis & lapidibus inſtitutis, evincit, eandem non tam vere tartaream ſive lapideam, ſed oſſeam vel oſſeo-petroſam haberi, dum ſub carbonibus vivis aliquantum inflammatur, ac inſtar oſſis calcinati levis, poroſa & candida remanet, cumque ſpiritu nitri more oſſis lenius ebullit, quam aliquis calculus. Tum in cranio bovino ſpeciatim fontem harum concretionum eo aptiorem quærit, quo magis illud magnitudine cerebrum parvum excedat, quoque magis etiam cornua in eo radices agant, quemadmodum concretiones tales duriores ab oſſibus in genere ideo proficiſci aſſerit, quod minus organicæ ſint, quam oſſa ipſa, nec medulla, cellulis, vaſisque omnis generis indigeant. Lubens adhuc concedit, materias iſtas colore candido, figura & ſuperficie inæquali cerebrum quodammodo referre, negat nihilominus, easdem pro vero cerebro petrefacto poſſe venditari, cum talis ſuperficiei inæqualitas ſine lege ac ordine videatur inducta, in omnibus variet, ac in nonnullis concretionibus marinis lapidefactis, ex quibus Coralliodem cerebriformem potiſſimum nominat & in Tab. 10 repræſentat, major adhuc ſuperficiei cum naturalibus cerebri gyris occurrat conformitas. Suſpicatur autem fortuitas tales concretiones in boum calvariis paulatim fuiſſe generatas inſtar lapidum, in mirabilium ſpeluncarum pavimentis ſub extraordinaria & curioſa quandoque figura efformatorum, vel inſtar excreſcentiarum gummoſarum circa arbores ſubinde provenientium, ex ſuo theſauro utrinque productum indigitans, quod externam pariter cerebri humani faciem æmularetur. Succum nempe oſſeum ſucceſſive deſtillaſſe, quo natura peregrino hoſpiti adſueſceret, eundemque primo fluidum ſenſim in figuras iſtas irregulares ſimili ratione fuiſſe induratum, ac in naturali alias, tum ipſorum oſſium, tum oſſium fractorum calli, productione fieri ſoleat. Ipſe inter duas concretiones ſuas, ſuperius memoratas, alteram recentiorem nondumque extreme compactam & majori poroſitate con-

conjicit, novum argumentum materiæ oſſeæ in lapidem converſæ ex ipſius *du Verney* deſcriptione adjiciens, ceu in qua hic a cerebro petrefacto nonnullas partes oſſeas ſpectandas ſiſti expreſſis fateretur verbis. Nec videt, quomodo ſuccus, ſive oſſeus, ſive gypſeus, a meninge dura valeat impediri, quo minus ad piam membranam cerebrumque deflueret, quoniam ille, qui cranium durius perrupit, haud difficulter per annexam quoque meningem duram ſibi paraturus ſit viam, potiſſimum quando in bobus radices cornuum aliamve partem calvariæ fortaſſis lædi prius contingeret occaſione vel percuſſi eorum capitis, vel impetus ipſorum cornibus in aliquod corpus durum facti. De cætero caſum non adeo rarum eſſe, ut, ex *du Verney* ſententia in Gallia unice, ac in Suecia, a *Bartholino* deſcriptus, acciderit, Autor quinque exemplis, partim a ſe, partim ab aliis in Italia obſervatis, evidentiſſime demonſtrat: primum ſiquidem Mutinæ contigiſſe, in Tab. 1 delineatum; alterum vero Ferraria dono ſibi fuiſſe transmiſſum, in Tab. 2 exhibitum; tertium Venetiis in muſæo nobilisſimi *Teta* ſe vidiſſe, in Tab. 4 & 5 deſignatum; quartum Bononiæ in muſæo *Aldrovandi* aſſervatum & in Tab. 6 ac 7 expreſſum, doctisſimum *Donelli* indicaſſe; quintum denique Patavii in divæ Juſtinæ cœnobio annotatum atque tum a *Schenckio* & *Sachſio*, nec non a *Pobrzenski* in M. A. N. C. Dec. I A. I Obſ. 26 & 130, tum a *Scarubicio*, Prof. Publ. Patavino, in peculiari libello deſcriptum haberi. Quod boves autem, quorum cerebrum, & in Italica, & in Suecia, in lapidem mutatum crediderunt, ſtupidiores extiterint ac macilenti, capitibusque ſemper pendulis ac pronis inceſſerint, naturæ legibus longe conformius perhibetur, promtiusque exponitur, quam quod bovem gallicum fortisſimum, feracem & pinguem *du Verney*, a lanione haud dubie deceptus, retulerit. Tandem ipſa hiſtorica deſcriptio, a laudato *Scarubicio* Patavii A. 1678 Latine edita, una cum nonnullis animadverſionibus atque rerum Indice, ſubjungitur, eo gratior omnino futura, quo rarior adhuc fuit. Epiſtolam poſteriorem, vermium ordinariorum in corpore noſtro generationem prolixius excutientem, Menſi proximo cogimur reſervare.

Digitized by Google

VULNERUM ALIARUMQUE LÆSIONUM violentarum & externarum lethalium vel minus talium Sciagraphia brevissima; Autore MAXIMILIANO PREUSS, *Philos. & Medic. Doctore, & Academico Naturæ Curioso Leopoldino-Imperiali.*

Vratislaviæ, impensis Baumannianis, 1711, fol. chart. aug. Plag. 2.

POstquam Autor Clarissimus in Epistola dedicatoria ad Senatum Vratislaviensem necessitatem corpora hominum occisorum Medico-Anatomicæ lustrationi committendi evicerat, in Præfatione docet, qua methodo usus fuerit, quoties occasio casus ratione lethalitatis vulnerum vel soli vel mutua collegarum opera decidendi suppetebat, dum ante hos 30 annos primum Fraustadii in Polonia, tandem & Vratislaviæ Silesiorum Physici officio, ut & ante Medici nosocomii & pestilentiarii functionibus hic admotus erat; læsionemque violentam vel vulnerationem ab externo lædente illatam per se lethalem dicit illam, cujus causa sola sine alius causæ culpæve interventu homo necessario ordinariove moritur, paucis ut plurimum ab inflictione momentis, horis, aut diebus, vel etiam tardius longe, e. g. quadragesimo die, ita ut nullis artis regulis aut instrumentis medicamentisque aut non tam cito, antequam mors obvenerit, curari possit, ob impossibilitatem potissimum deligationis debitæ, & applicationis remediorum, sanguinem imprimis sistentium, &c. propter denegatum ad læsionis profunditatem accessum necessarium; monet insimul, vulnus per se lethale esse iterum tale vel simpliciter seu absolute, i. e. semper ac necessario, vel utplurimum seu frequentius ordinariove. In Sciagraphia ipsa primum in genere sistitur læsio violenta vel vulneratio quorumcunque hominum, quæ per se lethalis est 1) ex partium læsarum gravius & profundius, hincque indeligabilium aut insanabilium, usu ad vitam simpliciter necessario, earumque fluxu sanguineo, sensu, & individuali constitutione, sive a natura, sive ab ætate contracta; 2) ex læsionis gravitate, seu magnitudine aut pluralitate; 3) ex curationis impossibilitate. Dein in specie infantum recens natorum

torum læsiones lethales exhibentur. Denique vulnera per accidens lethalia delineantur, quæ sunt leviora, & partium vasorumque minus principalium intervenientibus causis accidentalibus e. g. morbo præcedente & conjuncto cacochymico, vel errato quodam gravi sive commissionis sive omissionis, tam ex parte ægri, quam medentis, ut & adstantium. Ex quo memoriæ sublevamini & publicæ utilitati hanc sciagraphiam inservire, L. B. haud inique judicabit.

BREVIS IN VIM CENTRIFUGAM MAteriæ ætheree, nullatenus idoneam ad centripetos gravium motus imprimendos, Observatio Physico-Mathematica.

Parisiis transmissa, Aut. F. D. C. Abb. Vall.

QUis sit gravitatis effectus norunt omnes; quænam detur ejus causa, nemo hactenus indubitatis argumentis demonstravit; rem in Physicis adeo abstrusam dilucidare non mihi est animus. Hocce phænomenon ex rapida ætheris Terræ circumvoluti vertigine nequaquam oriri, paucis ac evidenter hic ostendendum suscipio.

Sunto itaque

1) t, datus numerus minutorum secundorum horariorum, ex quibus constat tempus, quo Planetæ circa suum centrum a stella fixa tanquam conspicuo cœli puncto ad eandem revolvitur;

2) $\frac{t}{n}$, pars hujusce horariorum secundorum numeri quantumlibet parva;

3) c, quantitas hexapedarum gallicarum, quæ circumferentiam illius planetæ in æquatore suo dimetiuntur;

4) $2r$, cognita parium hexapedarum summa, quas diameter ejusdem planetæ vel præcisa vel intra ætheris ambientis sphæram ad corpus aliquod grave sublatum producta continet;

5) $\frac{r}{nn} \times \frac{s}{2}$, quantitas numerica exprimens in particulis hexapedæ spatiolum ad planetæ horizontem verticale, per quod tempore brevissimo sive instanti physico $\frac{t}{n}''$ æther circumfusus com-

 munique

munique vorticis planetarii impetu abreptus non modo urget quoquoversus, ut a centro motus sui recedat; sed etiam si quas sursum emissas sibiq; obvias corporum terrestrium moles offendit, his vi centrifuga lentius vibratis antevertere, deturbatasque de loco retundere deorsum, hic concipitur. Cujus spatioli expressio sic ad hexapedalem mensuram refertur, ut descensus gravium secundum hypothesin Galileanam accelerari supponat; quemadmodum ex ratione spatiorum ad quadrata temporum in quantitate $\frac{t}{nn}$, & hexapedarum ad quindecim pedes in numero $\frac{5}{2}$ posita innotescit.

Intelligatur nunc figura *GBDA*, cujusdam planetæ centralis in *A* cœlum repræsentari sectum plano per æquatorem *IP* ducto; ubi descripta centro *A* & radio ad libitum sumpto *AB* peripheria *GBD* designat ætheris huic planetæ circumfusi revolutionem centrali vertigini *PI* concentricam. Actis per punctum *A* altero radio *AD* & per punctum *B* recta contingente *Be*, supponatur angulus in centro *BAD* omni dato minor; adeo ut triangulum *DBE*, quod tres lineolæ nempe arculi *BeD* chorda *DB*, particula *BE* radii *BA* & recta tangenti parallela *ED* constituunt, sit indefinite parvum tribus punctis *B*, *E* & *D* inter se quam proximis. Liquet, quantumvis parvus detur angulus *BAD*, parvum triangulum *DBE* semper esse rectangulum in *E*, propter latus *EB* super radio positum, quod sinus versus dicitur, ac propter latus tangenti parallelum, quod sinus rectus vocatur.



At ex triangulo rectangulo isto fit $\overline{ED}^2 = \overline{DB}^2$.

$\overline{DB}^2. - \overline{EB}^2.$, & ex circulo *GBDG* diametrum suam $= 2AB$ habente datur $\overline{ED}^2. = 2ABEB - \overline{EB}^2.$: Ergo substitutis æqualibus reperitur $\overline{DB}^2. - \overline{EB}^2. = 2ABEB - \overline{EB}^2.$ & addito utrinque $\overline{EB}^2.$ resultat $\overline{DB}^2. = 2ABEB$, unde concluditur $\frac{\overline{DB}^2.}{2AB} = EB$, id est, in terminis analyticis $\frac{uu}{2r} = f$, positis videlicet $AB = r$, $DB = u$, $EB = f$.

Jam vero quod ad vim centrifugam attinet; advertendum est, auræ ethereæ, secundum circumferentiam *GBD* globo planetario *IPA* concentricam diffusæ, particulas quasvis *B* concepto rotationis circa centrum *A* impetu statim per circuli tangentem *Be* in fugam niti; quandoquidem motus omnis ex se recta tendit. Verum in vortice undequaque compresso istud necessarie fit diversorum motuum, quo sibi quam minimum obstent, æquipondium, ut nisus mobilium per circulationis tangentem cogatur renixu perpetuo deflectere in motum circularem. Punctis porro *A* in centro circuli & *e* in ejus tangente junctis, liquet brevissimum puncti *e* a circumferentia intervallum esse lineolam normalem *eD*; sicut lineola ipsi diametro *BA* parallela ducta per punctum *D* donec occurrat tangenti *Be*, esset brevissima hujus puncti *D* ab hac tangente distantia, quæ propter duas æquidistantes rectas *eB* & *DE* æqualis fieret particulæ *EB* ejusdem diametri *BA*. Liquet etiam, quo acutior est angulus *eAB*, eo magis ad parallelismum cum lineola *EB* disponi lineolam *eD*; ita ut continuata in infinitum appropinquatione, qua arcus *D2B* indefinite parvus evadit, hæc *eD* illi *EB* parallela & æqualis censenda sit, tuncque præcisum inter particulas circumferentiæ ac tangentis infinitissime exiguas *B2D* & *Be* intervallum dari constet æquale ipsi *EB* seu $f = \frac{uu}{2r}$ sicuti supra ostendimus. Evidenter igitur quo momento $\left(\frac{1''}{n}\right)$ elementum æthereum *B* decurrere circulationis suæ tangentem *Be* conatur, eodem consequenter a peripheria *B2D* recedere intervallo perexiguo *EB* nititur: Quumq; hoc ipso momento conficere arculum *B2D* cogatur, necesse quoque

eſt, ut ab illius tangentis directione hoc ipſo intervallo removeatur. Hinc eidem ætheris circa centrum *A* gyrantis elemento ſimul ineſſe concipiuntur actio centrifuga & reactio centripeta inſtantaneæ, quarum menſura ſit pars ſemidiametri infinite parva *EB*.

Quod ſi vera deſcenſus corporum gravium in vortice planetario cauſa non alia eſſet quam ætheris actio centrifuga, quæ moles illas ad fugiendum centrum inertes deorſum deprimeret eodem motu accelerato, quem circa Terram obſervamus; certe per quod ſpatium verticale quantumvis breve *EB* particulæ æthereæ actione centrifuga aſcenderent, per hoc corpora gravia reactione centripeta deſcenderent. Palam fit autem ex ſuperius dictis, parvum intervallum ſive ſpatiolum *EB*, quatenus breviſſima quacunque ſcrupuli ſecundi horarii parte $\frac{1}{n}$ ad receptam apud Mechanicos de deſcenſu gravium hypotheſin refertur, denominari poſſe $\frac{1}{nn} \times \frac{ſ}{2}$, at quatenus ad vim centrifugam vel centripetam pertinet, exprimi per $\frac{uu}{2r}$. Ergo tunc foret $\frac{ſ}{2nn} = \frac{uu}{2r}$, & $\frac{\sqrt{ſr}}{n} = u$, qui chordæ *BD* valor ipſi arculo *D2B*, cui illa ſubtenditur, ſine ullo ſenſibili errore tribui poteſt; quandoquidem earum linearum differentia omni data minor evadit, quum angulus ad centrum *DAB* pro momento $\frac{1''}{n}$ indefinite acutus eſt.

His poſitis ſi planetæ centralis *PAI* hoc ipſo inſtanti $\frac{n}{1}$ circa ſuum centrum *A* motu vertiginis rapi intelligatur; punctum æquatoris ſui quodlibet *I* arculum deſcribet toti circumferentiæ *c* ad hexapedas redactæ proportionalem in ratione hujusce inſtantis ad circumvolutionis integræ tempus *t* per minuta ſecunda horaria computatum: hoc eſt algebraice (ſecundum denominationes ſuperius factas) Qualis in ſecundis horariis datur *t* ad $\frac{1}{n}$, talis in hexapedis Gallicis ſeſe habet *c* ad arculum æquatoris planetarii quæſitum, ſcilicet $\frac{c}{nt}$. Atqui manifeſte habetur

habetur $\frac{c}{nt}$ ad $\frac{\sqrt{sr}}{n}$ ut t ad $\frac{t\sqrt{sr}}{c}$; quæ ratio eſſet iſochronarum revolutionum, quas planeta centralis ac æther circumfuſus peragere deberent, proindeque velocitatum æquabilium, cum quibus eos in orbem moveri neceſſe foret, ut auræ æthereæ vis centrifuga caſum ad planetarum centra perpendicularem gravibus ſurſum emiſſis imprimere poſſet. Hinc propoſitionis, quam impugnandam hic nobis propoſuimus, evidentiſſima eſt falſitas. Quicunque animo paululum attento rem perpenderit, facile aſſentietur, effici non poſſe, ut fluida materia, qualis eſt æther, vorticem planetarium implens, multo citius quam ipſum planetæ corpus in centro volubile circumferatur, quin prominentia quæque in ejus ſuperficie, veluti in terra noſtra arbores, ædes & turres, ſubruat ſecumque abripiat: tantum abeſt ut, quod experientia quotidiana compertum eſt, gravia in ſublime jacta tam recta tenderent deorſum ac in loco quieſcente, idemque ſoli terreni punctum, unde ad perpendiculum projecta attolluntur, relapſa attingerent. Nec aliquis dicat ſubtiliſſimum ætherem, dum ab occaſu in ortum gyrat, corporum craſſiorum poros rotationi ſuæ objectos permeare, ſicque perpendiculari eorum caſui non obſiſtere. Quonam enim modo centrum verſus communis vorticis illa depelleret, quum eorundem gravium poros ſecundum vis centrifugæ directionem patefactos nihil ipſi intercludat? Nonne, his poris minime obſtantibus, maſſa, ex qua omne grave conſtat, ſatis quaquaverſus ætheri impervia eſt, ut ab eo percuti & propelli undequaque poſſit? Attamen diurna ſphæræ æthereæ globum terreſtrem circumcingentis revolutio nullas ædificiorum moles ſubvertit: velocitas profecto, quam habet, cum vertigine centrali concordat. Intervallis itaque a centro vorticis *A* ad quodlibet æquatoris planetarii punctum *I* & ad quodcunque reſpondens ſphærae æthereæ punctum *B*, velut *AI* & *AB* in ſchemate, denominatis $\frac{1}{2}d$ & r, ratio velocitatum concentricarum, quam ſuperius demonſtravimus pro effectu propoſito requiri, t ad $\frac{t\sqrt{sr}}{c}$ eadem neceſſario eſſet quæ $\frac{1}{2}d$ ad r; unde $\frac{dt\sqrt{sr}}{4c} = r$, & conſequenter $t \times \frac{\sqrt{s}}{2} \times \frac{d}{c} = \sqrt{r}$ manifeſtiſſimo

abſurdum; quantitas ſiquidem conſtans ſeu ſemper in ſe determinata t (numerus ſecundorum horariorum, quibus planeta revolutionem integram circa centrum ſuum perficit) ducta in immutabilem diametri d ad peripheriam c rationem ſumptam ſecundum numerum $\frac{1}{2}\sqrt{5}$, nullatenus diſcreparet a quantitate mutabili ſive indeterminata $\sqrt{r}$ (radice quadrata varii numeri r hexapedarum quas ſemidiameter diverſa cujuscunque circulationis æthereæ in eodem vortice continet) quæ abſurda conſequentia propoſitionis, ex qua deducitur, falſitatem evincit.

Porro quid in ſingulis quibusdam præcipuorum planetarum vorticibus ex hac hypotheſi eveniret, paulo magis curioſe exquirere non ab re eſt. Ac primum quidem in Terra domicilio noſtro notandum venit, diurnam ejus revolutionem ſecundorum horariorum *86400* numero (t) abſolvi, circumferentiam æquatoris hexapedarum Pariſinarum *20542320* numerum (c) adæquare, & ſemidiametrum ejusdem æquatoris ſex tantum Gallicis pedibus auctam continere ſimilium hexapedarum *3269298* numerum (r) cujus quintuplus *16346490* radicem quadratam habet majorem quam *4043* ac minorem quam *4044*. Itaque $\frac{86400}{20542320} = \frac{120}{28531} = \frac{t}{c}$ multiplicetur duntaxat per $4043 =$ prope $\sqrt{5r}$; fiet $\frac{485160}{28531} = 17\frac{133}{28531} = \frac{t\sqrt{5r}}{c}$ quam proxime. Unde apparet, non ab ætheris, nec cui admiſcetur aeris, orbem terrarum perſtringentis, vi centrifuga produci poſſe ſuperficiei terreſtris *gravitationem* ſeu in centrum terræ niſum, quin decies & ſepties velocius quam ipſa terra impetu rotationis moveatur tam æther quam aer. Supponamus jam, corpus aliquod graviſſimum ad ſuperam usque atmoſphæræ ſuperficiem leucis minimis fere ſex a terra diſtantem attolli, ut inde illud vis centrifuga aeris commiſtique ætheris deorſum retundere queat: neceſſariam in hac cœli regione ad talem effectum vertiginis celeritatem ſic eodem calculo expedite reperiemus. Leuca minima æquivalet Gallicis hexapedis *2000*. Addantur ſex ejusmodi leucæ terreſtri ſemidiametro; ſumma erit $3269297 + 12000 = 3281297$ pro r; Unde pro $\sqrt{5r}$ datur $\sqrt{16406485}$ major quam *4050* & minor quam *4051*:

Sufficit

Digitized by Google

Sufficit ducere 4050 in $\frac{120}{28531}=\frac{t}{c}$, oriturque $\frac{486000}{28531}=17\frac{973}{28531}=\frac{t\sqrt{sr}}{c}$ pro velocitatis quæſitæ ad datam terreſtris globi concentricam $=t$ ratione. At tanta revolutionum circa idem centrum inter ſe proximarum inæqualitate ſuppoſita, quis, quæſo, hominum erectus ſtare ſuper terra vel ad punctum temporis poſſet, capite citius pedibus orientalem verſus plagam tranſlato? Omne ponderoſum corpus, quo altius in atmoſphæra tranſlatum foret, eo remotius in ortum recideret. Nulla tamen vel in ſtatu recto vel in lapſu verticali corporum terreſtrium differentia deprehenditur, ac ſi terra quam inhabitamus plane quieſceret.

Nunc animi cauſa calculum noſtrum ad Planetam Martis transferamus. Hunc ſpatio horarum 24 & minutorum 40 circa ſuum axem revolvi, diametrumque habere terreſtri proportionalem in ratione 3 ad 5, ex obſervationibus aſtronomicis comperimus. Fiunt autem ibi $24^{h}.\,40.' =$ ſecund. hor. $88800 = t$; 20542320 hexap. $\frac{3}{5}\,X =$ hexap. $12325392 = c$; 3269297 hexap. $X\,\frac{3}{5} =$ hexap. 1961578, & hexap. $1961579 = r$ pro diſtantia alicujus gravis a centro planetæ quæ ſemidiametrum ipſius ſex pedibus tantum exſuperet. Hinc ſequuntur $\frac{t}{c}=\frac{88800}{12325392}=\frac{3700}{513558}$ & $\sqrt{sr}=\sqrt{9807895}$ major quam 3131 ac minor quam 3132: quæ præſtant $\frac{t}{c}\sqrt{sr}=\frac{11584700}{513558}=22\frac{143212}{256779}$. Vertiginis ergo motus vicies & bis circiter in ætherea materia Marti circumfuſa requiritur celerior, quam in ipſo planetæ globo, ut vis centrifuga hujus ætheris cauſa fieret ejusdem, quæ circa terram noſtram deprehenditur, accelerationis gravium ad centrum iſtius planetæ tendentium. Stella enim Martis globus eſt ex craſſa materia conſtans, qui ſuo vortice non caret. Macula una aut altera in ejus diſco per magnum teleſcopium conſpicua, identidem ſeſe occultans rurſusque ſpi copiam faciens, non modo molem ſupra ſuum axem circumactam ſed etiam ſuperficiem ſalebroſam & aſperam indicat. An veriſimile eſt, ſi ab origine rerum tam inæqualibus turbineis motibus illa moles & fluidum circumquaq;

diffuſum concentrice raperentur, ſuperficiem ipſius colliſione vehementi & continua perſtrictam non adhuc factam eſſe ex omni parte æquam & levigatam.

Ultimum eſto aſſertionis noſtræ argumentum Lunaris vortex aura ſua ætherea centralem globum ambiente, non ſecus ac ceteri, plenus. Luna unicus in hoc vortice minore planeta & in terreſtri majore ſatelles, revolutionem integram circa centrum ſuum diebus $27\frac{1}{3}$ perficit. Semidiameter ejus ſe habet ad ſemidiametrum telluris & ideo maxima illius pheripheria ad maximam hujus peripheriam ſicut $1\frac{1}{15}$ ad 4. Æquivalent autem $27\frac{1}{3}$ dies numero ſecundorum horariorum $2361600 = t$: Ratio 4 ad $1\frac{1}{15}$ ſive 1 ad $\frac{4}{15}$ eſt eadem quæ numeri hexap. in maximo terræ circulo contentarum 20541320 ad quartum nempe hexap. numerum $5477952 = c$; & eadem quæ numeri hexapedarum in ſemidiametro terreſtri contentarum 3269297 ad alium videlicet $871812\frac{8}{15}$ qui, auctus additamento $1\frac{7}{15}$ evadit $871814 = r$ paulo major ſemidiametri lunaris menſura, propter ſuppoſitam gravis cujusdam altitudinem; unde fit $\sqrt{5r} = \sqrt{4359070}$ major quam 2087 & minor quam 2088. Atqui 2087 ductus in $\frac{2361600}{5477952}$ ſive in æqualem fractionem $\frac{12300}{28531}$ producit $\frac{25670100}{28531} = 899\frac{20731}{28531}$ pro $\frac{t}{c}\sqrt{5r}$: Liquet igitur, fieri non poſſe ut in vortice Lune proprio vis centrifuga ætheris ipſi proxime circumfuſi deſcenſum gravium motu uniformiter accelerato centripetum generet, quin rotatione prope nongenties velociore quam globus Lunæ circumferatur. Num credibile eſt tot montes præcelſos, quibus ſuperficies hujusce planetæ aſpera teleſcopiorum ope conſpicitur, non adhuc potuiſſe tanto ætheris circumvadentis colliſu in planum deduci? Alia penitus via produci a natura in univerſo mundo planetario lapſus gravium ad vorticum centra cum uniformi acceleratione verticaliter directos concludamus. Veram autem ac genuinam illius phænomeni cauſam doctis Phyſices ſtudioſis, ut quisque ſagaciori pollebit ingenio, detegendam atque demonſtrandam relinquamus.

Erſte

Erste Fortsetzung und Vermehrung des Tractats von der Lufft-Pumpe,

i. e.

ANTLIÆ PNEUMATICÆ ILLUSTRATÆ Continuatio prima; Autore JACOBO LEUPOLDO, Mechanico Lipsiensi.

Lipsiæ, apud C. Zunckelium, 1712, 4.
Constat pl. 5 Tabb. æn. 4.

CUm ingeniosus *Leupoldus* multum studii in machinis ac instrumentis ab aliis inventis corrigendis ac perficiendis atque in novis inveniendis non invita Minerva ponat; mirum non est, quod ab eo tempore, ex quo ejus de Antlia pneumatica tractatus, in Actis Anni 1708 p. 354 non sine laude commemoratus, prodiit, apparatum antliæ pneumaticæ multum immutaverit. Nostrum vero esse censemus, ut mutationes præcipuas ex continuatione (quam vocat) prima antliæ pneumaticæ illustratæ hic loci indicemus, cum eas rerum naturalium curiosis experimentatoribus non ingratas fore certo persuasi simus. Primum itaque industriæ ac ingenio Autoris debetur, quod motus in vacuo facilius, quam ante producere liceat. Virgæ enim orichalceæ *aa*, superiore sui parte cylindricæ, inferiore prismaticæ, ope cochleæ *b* brachia varii generis affigit pro diversitate rerum in vacuo movendarum. Quomodo motus producatur, nudus Figuræ 6 adspectus docet. Invenit instrumenta, quibus liquores in vacuo facillime commiscentur: quod denuo ex nudo Figuræ 7 adspectu manifestum est. Instrumento, quod ad aerem comprimendum ab ipso ex cogitatum in Actis Anni 1708 p. 354 descripsimus, lumen sufficiens deesse expertus est ob vitrorum basibus affixorum molem exiguam. Planis itaque vitris exiguis & nimium crassis substituit majora concavo-convexa, convexitatibus intus sibi mutuo obversis. Hemisphæria evacuata majora ope stateræ *ab* facilius separat, exiguo nempe pondere *b* sufficiente. Instrumenti *ab il k cd*, ad frangendos orbes vitreos pressione aeris commodi & in Actis l. c. p. 355 delineati, structuram accuratius

TAB. IV. Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

TAB. IV. Fig. 9. quam ibi exhibet orthographia ejus in Figura 9. Brevitatis gratia præterimus artificia, quibus pulveres liquoribus in vacuo commiſcet, ſyphones clauſos aperit, campanas agit, embolum antliæ nunc attolit, nunc deprimit, lachrymas vitreas frangit, inflammabilia in vacuo accendit, gradum expanſionis aeris incluſi externo remoto æſtimat & alia hujusmodi efficit. Deſcribit vero etiam alias quasdam machinas ad apparatum antliæ propric non ſpectantes. Ita commodiorem formam conciliavit machinæ in Actis A. 1709 p. 237 deſcriptæ, qua Mechanicus inſignis Anglus *Hauksbee* lumen in tenebris producit. Simplicem quoq; ſtructuram exhibet machinæ Papinianæ ad emollienda oſſa. Cylindro Fig. 10. ſcil. orichalceo vel, quod melius cenſet, ferreo *ab* duorum minimum, ad ſummum 18 digitorum alto, 6 vero vel 9 lato, afferruminantur duo fundi: quorum ſuperior foramine ovali inſtruitur. Foramen iſtud obturatur operculo *c* paulo latiore & firmatur ope cochleæ & laminæ ferreæ transverſæ *ee*. Quodſi hanc machinam *Leupoldianam* cum *Papiniana*, in Actis Annorum 1682 p. 306 & 1687 p. 276 deſcripta, conferre libuerit; ſimplicitas illius admirationi erit. Excogitavit quoque machinam ad examinandam vim, quam piſa vel fabæ humore imbibito intumeſcentes adverſus vaſa exercent. Cylindrus *abcd* ex orichalco vel cupro paratur: embolus non nimis arcte internam ejus ſuperficiem contingere debet. Fulcri lignei *im* & aſſeris *nq*, cui embolus affixus, Fig. 11. figuram nudus Fig. 11 adſpectus docet. Perfecit quoque machinam, qua ad preſſionem aquæ examinandam uſus eſt *de Volder*, a celeberrimo *Valentino* in Armamentario Naturæ pag. 59 delineatam.

Ceterum docet Autor noſter tum in Præfatione, tum peculiari Scheda edita (quæ apud *Thomam Fritſchium* Bibliopolam noſtratem haberi poteſt) ſe parare editionem *Theatri Machinarum & Inſtrumentorum abſolutiſſimi*, cum ea, quæ nunc proſtant, admodum imperfecta ſint multisque nævis laborent. Deſcribentur in ea præter machinas ſimplices, ex quibus reliquæ componuntur, non modo omnis generis molendina & machinæ hydraulicæ; ſed & inſtrumenta pneumatica, optica, arithmetica, geometrica, aſtronomica, pyrotechnica, architectonica, œconomica,

anato-

Digitized by Google

anatomica, aliaque artificum. Deſcribentur etiam omnis generis horologia. Rogat vero Autor, ut, ſiquis ipſum in re tam ardua tamque utili juvare poſſit, ipſum mature ea de re moneat. Quoniam vero Autor non modo a prima juventute ſtudiis operam dedit, ſed & a multis annis inſtrumentis variis parandis ipſemet manum admovit, atque in his ipſis Actis ingenii ac induſtriæ ipſius monumenta varia extant; nulli dubitamus fore, ut labore, quem in ſe ſuſcepit, cum laude defungatur.

MACHINA ANAMORPHOTICA AD DEformandas imagines, a ſpeculo conico reformandas, inventa a JACOBO LEUPOLDO, Mechanico Lipſienſi.

ETſi imagines magis deformentur, quæ a ſpeculo conico, quam quæ a cylindrico reformantur; machina tamen, quæ illorum delineationi inſervit, ſimplicior eſt altera Menſe Junio exhibita, quæ his delineandis deſtinatur. Structuram ſatis clare ac diſtincte ſchematiſmi referunt. Nempe Fig. 12 veram machinæ ac partium altitudinem in orthographia illius exhibet: Fig. 13 internam ſtructuram monſtrat: Fig. 14 operculum repræſentat cum lamina elaſtica ad motum regularum dirigendum neceſſaria: Fig. 15 & 16 oſtendunt, quomodo chordæ circa rotas circumducantur: denique Fig. 17 uſum machinæ adumbrat. Proderit tamen, ut de ſingulis partibus ſigillatim pauca dicam. *abcd* eſt capſula lignea vel orichalcea, cui incluſa rota major *e* cum minore *f* ipſi affixa & alia adhuc minore *g* peculiari axi *h* infixa. *I* & *k* ſunt duæ regulæ per capſulam huc illucve trahendæ ac retrudendæ. *pq* eſt lamina orichalcea cum cuſpide chalybea, qua mediante machina in centro prototypi defigitur & circumcirca movetur. Regulæ *i* & *k* inſtruuntur ſtylis orichalceis *n* & *o*: lamina vero elaſtica *pq* mediante cochlea *z* nunc deprimitur, nunc laxatur, prout uſus poſtulat. Denique *rs* ſunt chordæ, quarum ope obtinetur, ut, regula una mota, moveatur debite & altera. Diameter rotæ *e* eſt ad diametrum rotæ *f* ut ſemidiameter ſpeculi ad latitudinem craticulæ methodo vulgari pro conficiendis anamorphoſibus parandæ. Diameter autem ſpeculi, uti notum, æquatur lateri craticulæ

TAB. IV Fig. 12, 13, 14, 15, 16.

craticulæ, cui prototypon includitur. Regulæ ita ordinandæ, ut styli *n* & *o* concurrentes intervallo semidiametri speculi conici *a m* distent. Funes & rotarum peripheriæ resina caliphonia illinuntur pro facilitando motu.

Usus machinæ talis est. Prototypon in tabula plana expanditur & in ejus centro machina defigitur. Manu sinistra movetur machina; dextra vero regula *k* ita attrahitur, vel retruditur, ut stylus *n* singula prototypi puncta permeet. Ita enim stylo *o* puncta ectypo respondentia designari possunt, cerussa in lineas connectenda.

ELEMENTA GEOGRAPHIÆ GENERALIS; Autore JO. GEORGIO LIEBKNECHT, in Acad. Ludov. Mathem. Prof. Publ. Ordin.

Francofurti ad Mœnum, apud Dominic. a Sande, 1712, 8.
Alph. 1 pl. 10 & fig. æn. pl. 3$\frac{1}{8}$.

CUm Cl. Autor in Geographia Mathematica (generalem vulgo vocant) *multa egregia, proficua, amœna, necessaria* adhuc desiderari intelligeret, *operaque divina aliis exponenda & commendanda esse* secum perpenderet; ad elementa hæc conscribenda animum appulit, de quibus in Præfatione asseverat, *plura iis inesse, immo magis commoda usuique humano convenientia, quam quæ permagna de hisce rebus conscripta volumina exhibere deberent, & non exhibent.* Breviter se scripsisse in eadem fatetur, partim ex necessitate, quia nundinæ instabant, partim ex commoditate, quia juventuti Academicæ nimium diffusa minus commoda & nimis pretiosa displicent. Ipsam tractationem triplici Sectione absolvit. Primam præliminarem vocat & in hac potissimum aliorum Geographorum industriam se superasse confidit. Agit autem de natura & constitutione studii Geographici. Tradita Geographiæ definitione de ejus objecto & hujus affectionibus disserit. Illud globum terraquaereum constituit; has in cœlestes, terrestres & humanas distinguit. Cœlestes ipsi sunt stellarum phænomena, quatenus e terra observantur. Ad terrestres refert terræ figuram, magnitudinem, motum, distantiam ab aliis corporibus mundanis, limites marium, locorum situs &c.

Digitized by Google

ſitus &c. Pro humanis denique habet incolarum originem, eorum vitæ genera, mores, linguas, religionem, corporum habitus, ingeniorum culturam, rerumpublicarum formas, hominum celebrium memoriam &c. Geographiam dividit in mixtam & puram, quarum hæc ipſi eſt, quæ Mathematica alias dicitur; illa vero, quam Hiſtorico-phyſicam vocant. Principia ejus duo commemorat; Matheſin & experientiam. Poſtquam in originem Geographiæ inquiſivit; multus eſt in recenſendis augmentis ejus, quæ ad Aſtronomiam, artem navalem & bellicam, Aſtronomiæ cum Geographia combinationem, Matheſeos incrementa, Europæorum itinera ac bella, Germanorum ſtudia ac cultum, præclara conamina varia, e. gr. *Chriſtophori Columbi* orbem novum detegentis, Geographorum recentiorum multitudinem, novas regiones detectas, circumnavigationes Orbis terrarum, Aſtronomiæ reſtaurationem, hiſtorico-politicas & phyſicas obſervationes, Societates Scientiarum Regias, integra navigationum collegia, inſtrumenta, mapparum Geographicarum officinas refert. Defectus quoque notat, quos tamen non obſtare arbitratur, quo minus ſcientia dici poſſit: Medicinam enim ſcientiam appellari, etiamſi hodienum ægrotent homines. Defectuum præſentium cauſas commemorat neglectum ſtudii Mathematici, topographiarum raram copiam, quodque ſoli ſculptores mappas delineent & ſumptibus parcatur, quos itineribus, variis hominibus, inſtrumentis, literis hinc inde mittendis impendi oporteat. Ubi & machinæ *Mellianæ* in Actis A. 1709 p. 281 repræſentatæ mentionem injicit & Autorem rogat, ut ob uſus varios in vita communi eosque egregios pleniorem ejus deſcriptionem edat. Colophonem tandem ſectioni primæ imponit tractatio de diverſis menſuris in diverſis Terræ locis. Sectionem alteram doctrinalem appellat, in qua terræ diviſionem Mathematicam per circulos, ejus figuram, magnitudinem & diviſionem per zonas & climata conſiderat quatuor diſtinctis capitibus. Docet nimirum primo præter circulorum definitiones invenire diſtantiam, quam viſus in ſuperficie Telluris attingit, lineam meridianam, ſtellarum tranſitum per meridiem & altitudines, elevationem poli, plagas mundi, acus magneticæ declinationem, tempus ex

Digitized by Google

obſervatis altitudinibus ſiderum (ubi de horologiorum ac penduli ſtructura & uſu), longitudineſque locorum (ubi calculum eclipſium ſatellitis ♃ primi ex Whiſtoni prælectionibus Aſtronomicis repetit & de machina *Melliana*, quam ſupra commendaverat, judicium in Actis A. 1709 p. 284 latum probat). Addit ex *Ricciolo*, *Philippo de la Hire* aliiſque tabulas Aſtronomicas primi præſertim mobilis & ex *Whiſtono* tabulas motuum Satellitis primi Jovialis. Cap. 2 figuram terræ rotundam conſuetis argumentis adſtruit. Sub initium cum *Sandvoortio* in paradoxa diſſertatione de cauſa motus (de qua vide Acta A. 1704 p. 509) tranſelementationem aquæ in aerem & aeris in aquam, a Philoſophis recentioribus deſertam, poſtliminio in Philoſophiam revocat. Dum de ortu & occaſu Solis in diverſis terræ locis agit, ex Cl. *Hambergeri*, Matheſeos apud Jenenſes Profeſſoris, qui varii argumenti diſſertationibus Academicis, in unum faſciculum collectis & in Actis A. 1708 p. 272 commemoratis, non contemnendam induſtriam probavit, diſſertatione de baſi computi eccleſiaſtici multa de tempore celebrandi Paſchatis adducit. An terræ figura ſit ſphæroidica, uti Viri ſummi *Newtonus* & *Hugenius* ingenioſe oſtenderunt, in dubio relinquit ob rationes ſequentes: *Non immerito*, inquit, *quis cum* Snellio & Ricciolo *dubitabit*, *an veterum æque ac recentiorum obſervationes æquali inſtitutæ ſint diligentia, quemadmodum etiam non eadem iſtis adhibita ſunt inſtrumenta. -- -- Certum porro eſt, quod turbare videatur hæc ſententia Aſtronomorum placita, nec ȝ videtur corpus iſtud tam diverſimode poſita centra ex rationibus Phyſicis admittere.* Sapientiam Dei elucere arbitratur ex figura Terræ, quod ſine fulcro ſuſpenſa moveatur, aqua non effluat & in perpetuo ſuo motu ipſa conſervetur. Ob æqualitatem preſſionis materiæ terreſtris verſus centrum fieri non poſſe ait, ut *Archimedes* moveat Tellurem, etiamſi ipſi extra eam locus detur. Cap. 3 Varias methodos inveniendi ſemidiametrum Telluris ex *Keplero*, *Ricciolo* & *Varenio* repræſentat & una de arte libellandi prolixe diſſerit. Ubi in ſuperficiem & ſoliditatem terræ inquirit; quæſtioni una ſatisfacit, num in extremo judicio terra ſufficere poſſit tot hominibus capiendis, quot unquam vixerunt, cujus affirmativam calculus

Riccioli

Digitized by Google

Riccioli in Geogr. Reform. lib. 12 p. 681 tuetur. Reperies quoque ſub finem ejusdem capitis methodos tam veteres, quam recentiores inveniendi altitudinem aeris crepuſculini, Cap. 4 cum doctrina zonarum & climatum alteram de locorum diſtantiis inveniendis conjungit. Sectionem denique tertiam ſive ultimam artificialem appellat, quoniam in ea c. 1 de topographiis per communes proceſſus Geometricos conficiendis, c. 2 de globorum artificialium fabrica & uſu, c. 3 de mappis generalibus & c. 4 de mappis particularibus agit.

Anleitung zu der Geographie der mittleren Zeiten:

i. e.

MANUDUCTIO AD GEOGRAPHIAM MEDII ævi, præſertim vero Germaniæ; Autore CHRISTIANO JUNCKERO, Dresdenſe, Hiſtoriographo Ducali Saxonico, Ill. Gymnaſii Iſenacenſis Rectore & Bibliothecario, & Regiæ Boruſſicæ Societatis Scientiarum Socio.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielkium, 1712, 4.
Alph. 4 pl. 6.

Difficile opus & a nemine omnino tentatum hactenus aggreſſus eſt Celeb. Autor, ſæpe licet expetitum multorum votis, & plane neceſſarium ad intelligendos tum medii tum recentioris ætatis ſcriptores. Ipſi adeo debetur ex merito, quod primus juſtum ordinem, velut in ſyſtemate invenit tractandæ iſtius partis Geographiæ, ſatis commode, & ita ut ſua ſponte fluat, expoſitum; quæ res, ſi quid recte iudicamus, a propoſito eodem abſterrere pleroſque viſa eſt, cum non caperent, qua ratione usque adeo extentus rerum fere innumerabilium complexus poſſet apto modo componi. Etſi vero ipſemet Autor doctiſſimus pro ſua modeſtia, libens confiteatur, ſe non niſi rudimenta hujus diſciplinæ jam tradere, ac velut materiam ædificii ſplendidioris, cui, tanquam fundamento, queant in poſterum ii ſuperſtruere, quibus vel otium majus, vel ſubſidia meditamentorum adſint;

tantum abeſt, ut neget, a ſe in quibusdam potuiſſe errari: tamen induſtriam ejus haud infelicem juſta gloria non fraudabimus, nunc paucis imaginem totius operis, quemadmodum fieri ſolet in brevi tabella, delineaturi. Abſolvitur autem illud *duabus* omnino *Partibus*, & harum quidem *prior* tribus, *poſterior* autem XIX Capitibus. *Illa* complectitur in ſe *Obſervationes generales ſpecialesque*, cum regulis quibusdam ad intelligendam medii ævi Geographiam plane neceſſariis. *Hæc* vero ſpeciatim Geographiam *Germaniæ*, qualis media ætate fuit, conſiderat.

Igitur primum adſerit Cl. Autor, Hiſtoriam & Geographiam medii ævi non eo, quo decuit, ſtudio hactenus tractatam fuiſſe, cujus negligentiæ cauſſa ſit non una, inprimis tamen partim *Præjudicia* aliqua, partim aliqua etiam *Impedimenta*. Præjudicium I eſt, *quod* Romanæ Leges poſſint ad controverſias illuſtres Principum Statuumque Imperii Germanici accommodari, ex iisdemque dijudicari ſatis ſcite. II *quod* Archiva usque adeo religioſe debeant cuſtodiri, ut nihil ex illis fiat commune. III *quod* ſtudium Hiſtoriæ & Geographiæ medii ævi, ſi minus inutile, at ſaltim ſterile admodum ſit. IV *quod* in Latina lingua Græcaque, & in explicandis Antiquitatibus majori cum fructu ſuam eruditi collocare operam queant. V *quod* magis neceſſe ſit, Hiſtoriam & Geographiam duorum proxime abhinc elapſorum Seculorum excoli. VI *quod*, cum ſanctiones Imperii Germanici pragmaticæ, & quæ ſunt leges fundamentales, abunde ſufficiant ad dijudicandas illuſtres controverſias, ideoque ſuperfluum ſit, regredi velle ad notitiam ævi vetuſtioris. *Impedimenta* hujus ſtudii ſunt: I ejus prolixitas, & ad tractandum illud pro dignitate, neceſſitas ſumtuum magnorum. II defectus compendii commodi, ex quo hauriri poſſint prima ſcientiæ hujus initia & fundamenta. III ruditas ſtyli in Scriptoribus ævi medii. IV obſcuritas eorundem in verbis pariter ac in rebus. V difficultas obtinendorum iſtiusmodi Scriptorum ex Archivis & Bibliothecis. VI moroſitas bibliopolarum in erogandis pro editione impenſis.

p. 1-30. Quæ dum recenſet Cl. Autor, Cap. I ſimul etiam ſtatim docet, quam *illa* ſint inania, & quam facile *hæc* removeri ſe patiantur, & quam

Digitized by Google

quam magni momenti ſit, eſſe inſtructum Geographiæ & Hiſtoriæ medii ævi notitia. Qua occaſione mentem ſuam de vero Archivorum uſu aperit Autor, & quatenus in iis vel nimis ſollicite claudendis, vel temere publicandis peccetur; nec non de *Gloſſario* linguæ Germanicæ *diplomatico* & de *Hiſtoria Germaniæ plenio-ri*, quam ipſe perſuadetur ſperandam prius non eſſe, quam ſi ſingularum in ea provinciarum deſcriptiones, ſeu Chronica, ex Archivorum documentis potiſſimum illuſtrata, in lucem fuerint edita; quale exemplum nuper J. C. *Becmannus*, Vir celeberrimus, dedit in Hiſtoria ſua Principatus Anhaltini. p. 4-10. 22, 23, 26.

Ne vero quis in poſterum conquerendi cauſſam haberet, quaſi manuductio ad ſtudium Geographiæ medii ævi deeſſet, nunc quidem Autor hoc ſuo libro mederi quodam modo voluit his deſideriis. Quod dum agere incipit, *Cap.* II inſtruit Lectorem certis *Principiis*, ſcitu maxime neceſſariis, ſine quibus Geographia medii ævi prorſus non queat intelligi. Hæc vero, quorum ſunt omnino XXIII, cum ſingulis totius terrarum orbis partibus, tum imprimis etiam Germaniæ noſtræ conveniunt. Non arbitramur tædio Lectoribus fore, ſiquidem iſta Principia ſeu Regulas Geographicas ipſis tradamus, ut exteri, talium curioſi, ad quos Acta noſtra perveniunt, de ſententia Autoris totoque tractationis ordine judicare poſſint. *Principium* I eſt, *quod* terminus *a quo* Geographiæ medii ævi ſtatuendus ſit in diviſionem Imperii Romani factam a Theodoſio Magno, exeunte Seculo quarto: terminus autem *ad quem*, ut Philoſophorum Scholæ loqui amant, in tempora Maximiliani primi, Imperatoris, quippe qui Imperii Romani ambitum in circulos certos compeſcuit, ineunte Seculo XVI. II *quod* incurſiones gentium barbarorum in provincias Imperii Romani primam dederint occaſionem mutandæ Geographiæ. III *quod* fieri non poſſit, quin variæ exſtent *periodi* Geographiæ medii ævi, dum illa conceptum ſimplicem recuſat, ex eo, quia gentes iſtæ mox victrices mox victæ ab aliis fuerint. VI *quod* eædem periodi in quovis regno & quavis provincia omnium accuratiſſime notandæ ſint, niſi errare etiam in Geographia velimus. V *quod* is, qui tales *migrationes manſionesq;* gentium alienarum vel indigenarum non ſollicite diſtinguat, ſe

Digitized by Google

ipſum procul dubio in errorem non unum præcipitet. VI *quod* eædem gentes in occupatis jure belli, aut per colonias ſuas, provinciis vel mutarint penitus nomina illarum, ſuæ linguæ introducendo nomina, vel novas urbes villasq; condiderint a ſe ſignatas nomine; vel Romanas leges, conſuetudinesque & formas judiciorum plane abrogarint; vel ſuas cum illis miſcuerint. VII *quod* in regionibus imperii Romani ad orientem ſitis reſpici debeat potiſſimum ad migrationes *gentium Thracicarum*, in occidentalibus vero ad *populorum ſeptentrionalium* excurſiones. VIII *quod* diviſio Imperii Romani, a filiis & nepotibus Caroli M. facta, magnam quoque effecerit Geographiæ mutationem. IX *quod* eadem contigerit ex translatione dignitatis Imperatoriæ a Carolinis ad alios Germaniæ Proceres. X *quod* erectio Ducatuum variorumque Comitatuum in Germania, *tum* & XI Epiſcopatuum Abbatiarumque, maximum momentum ſit in Geographia ævi medii. XII *quod* urbes, villæ, fluvii, montes &c. plerique retineant quidem ſitum antiquum, non tamen nomen priſtinum, cujus mutationis origo ex variis incolarum linguis, harumque dialectis, petenda eſt. XIII *quod* in antiquo eloquendi iſta nomina modo, & ſcribendi eadem Latine, maxima differentia, & moleſtiſſima inde exorta ſit difficultas. XIV *quod* pauciſſimæ gentes, quarum fieri mentio conſuevit in Seculo V usque IX, quoad nomen ſuum amplius ſuperſint. XV *quod* etiam diviſio provinciarum in *Pagos* nunc paſſim deſierit. XVI *quod* non pauci Comitatus, olim celeberrimi, recentiori ævo finem acceperint ſuum, illati Principatibus, nomine illorum abolito. XVII *quod* Comitatus nomen ſuum ſortiti fuerint ab arcibus, in quibus potiſſimum habitarunt Comites, cum addicerentur ipſis Comitatus jure hæreditario, ſublata Pagorum appellatione. XVIII *quod* variæ oblationes Comitatuum & minorum provinciarum ad Ducatus, Principatusque & Eccleſias majores, in feudum, effecerint inſignem in Geographia medii ævi mutationem. XIX *quod* Germania, & quæ ad ejus imperium pertinuerunt, olim longe majore ambitu, quam nunc quidem, patuerint. XX *quod* conturbationes noxiæ in Republica Germaniæ permoverint tandem Imperatorem Maximilianum primum, ut totum illud in Circulos

certos

Digitized by Google

certos diſtingueret; quod inſtitutum ſalutare *finem* attulit *Geographiæ medii* ævi, & *initium* dedit *recentiori*. XXI *quod* adeo commodiſſima omnium via ſit tractandi hanc Geographiæ univerſæ partem, *ſi* addiſcantur nomina habitationesque gentium, a Seculo primo poſt natum Chriſtum ad quintum usque celebriorum; *ſi* & nomina gentium illarum obſerventur, quæ provincias Rom. paſſim fuerunt ingreſſæ ſeculo quarto & ſequentibus, cum fatis earundem. Quæ obſervatio genuinam *veteris cum media Geographia & Hiſtoria connexionem* ponat ob oculos. *Si* nomina montium, fluviorum, ſylvarumque Germaniæ exhibeantur Latino ſermone Germanicoque, qualis media & noſtra ætate in uſu fuit. *Si* index fiat omnium ad Germaniam pertinentium Regnorum, Ducatuum, Comitatuum, Pagorum, &c. &, *ſi* quæ occurrunt voces obſcuriores, perſpicue explicentur. Quod dum fiat, ſimul docet Autor, conſiderari omnino debere terminos ſtatumque internum Germaniæ ante tempora *Theodoſii* Magni Imp. ejusque ætate; tum qualis fuit tempore *Caroli* Magni nepotumque ejus; inde a tempore Carolinorum usque ad *Rudolphum Habsburgicum* Imp. & hinc usque ad ævum *Maximiliani primi* Imp. prætereaque habendam eſſe rationem accuratam in quovis regno & qualibet provincia, ejus initiorum, incrementorum, decrementorumque. XXII *quod* neceſſe ſit doceri, quinam Ducatus, Comitatus, Pagique ad Electorum, Ducumque, Comitum, & Eccleſiarum poſſeſſiones pertineant. Ac denique XXIII *quod* multo judicio diſcernendi ſint ævi medii Scriptores. Hæc omnia Capite III *Partis primæ* prolixius explicantur & erudite, additis ubique Principiorum iſtorum fundamentis ex Hiſtoria & Scriptoribus probis, ſic tamen, ut non raro inſerat Autor ex ſe meditamenta ſingularia lectuque digna. p. 30-73.

Pars altera hujus Operis complectitur manuductionem ad *Geographiam medii ævi*, ſpeciatim *Germaniæ*, Capitibus XIX, quorum cuivis, ut eo rectius faciliusque poſſent tradita intelligi, præmiſſa ſunt *Principia ſpecialia*. Atque adeo dum Cap. I omnes illæ gentes, quæ Germaniam olim incoluerunt, & ad Geographiam *antiquam* referendæ ſunt, percenſentur ex ordine alphabetico, ſimul notatur, quod verba hæc duo: *Germania*, & 74-124.

Imperium

Imperium Germanicum, omnino inter ſe differant, neque unquam debeant confundi; moneturque porro, quod varie quon-
p. 92-97. dam diviſa fuerit tota Germania; & quod nomen hoc, *Germani* & *Germania*, nihil aliud indicet, quam viros circa fluvium *Ger*, ſeu *Gera*, qui Thuringiam fere mediam ſecat, Erfurtumque, urbem hujus provinciæ primariam, transcurrit, habitantes; quorum hinc regio *Germania* fuerit appellata, quaſi diceres *regionem circa fluvium Gera.* Hac ratione putat Autor parum aut nihil ſuperfore difficultatis in loco *Taciti*, qui multos vexavit interpretes, de Moribus German. cap. 2, cum in promtu ſit, quod *Tungri* non alii haberi poſſint, quam qui poſtea appellati fuerunt
108. *Turingi.* Tum ſibi perſuadet Autor, urbem *Norібergam* minus recte dici ſuam a *Noricis* habere originem, cum ea referenda ſit
124-153. potius ad *Nariſcos*. Cap. II fit recenſio *fluviorum, montium ſylvarumque* in Garmania celebriorum, quorum nomina ſtylo Romano Germanicoque medii & noſtri ævi ordine alphabeti-
126-128. co ſignantur: ubi ſingularis & ſat probabilis ſententia Autoris prætereunda non eſt, quod *Alemanni* populi & *Alemannia* regio nomen ſuum acceperint a fluvio *Almona* nunc *Altmühl* dicto, ad fines Franconiæ Bavariæque & Sueviæ aquas ſuas in Danubium
137 ſq. evolvente. A *Sala* Franconiæ ſuperioris fluvio, & ſita ad eam arce regia *Salesburg*, hodie *Salzburg*, prope urbem *Neoſtadium ad Salam*, quod dictæ fuerint & *leges Salicæ* & Conradus *Salicus* (non *Saliquus*) Rex Germaniæ, docetur perſpicue rejectis aliorum opinionibus, qui ſibi non ſatis aptas vocabuli *Salicus* fingunt
144. origines. Tum error refutatur vulgaris, quo ducuntur quidam, quaſi Germania olim prope tota *ſylveſtris* atque inculta adeo fere
153-177. fuerit. Cap III recenſentur nomina gentium variarum, quæ Seculo IV & ſq. in provincias Romanorum armis ingreſſæ variis quoque fatis fuerunt obnoxiæ, & a populis Seculorum priorum
177-186. nomine ac re tenus ſeparari merentur. Cap. IV conſideratio fit Geographica & curioſa omnium regionum, ab Imp. *Carolo Magno* hæreditate acceptarum, ſuis armis acquiſitarum, & relictarum ſuis filiis nepotibusque, quæ poſtea per hos varie fuerunt diviſæ.
157-298. Cap. V traditur notitia *Pagorum* Germaniæ plenior, quam ab ullo alio factum eſt huc usque, ita ut non exponatur ſolum omnes

Pagorum,

Digitized by Google

Pagorum, quos Germani vocare conſueverunt Gow/ratio, ſed & iidem ordine alphabetico enumerentur prolixe; quoniam non parum intereſt, eos ſibi habere cognitos. Quo vero modo optet Autor, notitiam Pagorum a quibusvis Chorographis explicari, id apparet ex ſpecimine Pagi Grabfeld in Franconia ſuperiori, qui maximam partem *Principatus Hennebergici* com- p. 224-241.
plectitur, cujus villæ ſingulari induſtria ex Diplomatibus collectæ exhibentur, ſimul autem *Tabula* Germaniæ *hydrographica*, a Vi- 280.
ro Cl. Philippo Henrico Zollmann inventa, & a Joh. Paptiſta Homann/ celebri apud Norimbergenſes Geographo, exſculpta, ex merito laudatur; ejus tamen adhuc melius formandæ datur conſilium. Cap. VI agit in genere de *Regnis Germaniæ* variis, 298-302.
quæ ab Autore diſpeſcuntur in Regna *non proprie*, & *proprie* ita dicta. *Illa* ſunt, quod Caput VII docet, Regnum *Bavaricum*, 302-315.
Bohemicum, *Friſicum*, *Noricum*, *Saxonicum*, & *Thuringicum*, quæ Regnorum nominibus minus recte venire, multis rationibus ſibi Autor videtur probaſſe, non omnino ſpernendis; etſi a communi opinione hæc doctrina paulo ſit alienior. *Hæc* vero ſunt, no- 315-341.
tata Capite VIII, Regnum *Francicum*, *Francicum Orientale*, ſeu *Germanicum*, *Longobardicum* ſeu *Italicum*, *Auſtraſiæ*, *Neuſtriæ*, *Lotharingicum*, *Svevicum*, *Arelatenſe*, & *Burgundicum*. Quæ omnia ex documentis hiſtoricis, quatenus illa ad Geographiam ſpectant, ſollicite illuſtrantur. Cap. IX exponuntur *Ducatus* 341-416.
Principatusque Germaniæ, qui *medio* extiterant *ævo*, ita quidem, ut hiſtorica appellationum harum fundamenta oſtendantur prolixe, & deinceps illorum fiat recenſio. Ubi notandum arbitramur, quod, uti Autor negaverat, *Witekindum* unquam fuiſſe *Regem Saxoniæ*, ita etiam neget, *Hermannum Billing* fuiſſe *Saxoniæ*
Ducem. Cap. X agit de Comitatibus Germaniæ medii ævi in 396.
genere. Enimvero cum dignitas Comitum fuerit olim diverſa, 416-418.
hinc diverſa etiam eorum nomina ſunt exorta, ut alii Comites *Palatini*, alii Comites *Provinciales*, ſeu *Landgravii*, alii Comites *Limitanei* ſeu *Marcgravii*, alii Comites *Burgenſes*, *Caſtrenſesve*, ſeu *Burggravii*, alii ſimpliciter *Comites*, appellarentur. Ratio horum nominum officiorumque non modo, ſed & provinciæ, quibus ex iisdem novum obtigit nomen, ſi non omnes, at pleræque

Digitized by Google

p. 418-436. tamen, multo ſtudio recenſentur: videlicet Capite XI, *Comita-*
437-468. *tus Palatini* Germaniæ, die Pfaltzgraffſchafften / Cap. XII *Co-*
469-523. *mitatus Provinciales*, die Landgraffſchafften / Cap. XIII *Comita-*
524-546. *tus Limitanei*, die Marckgraffſchafften / Cap. XIV *Comitatus*
547-636. *Burgenſes*, die Burggraffſchafften / Cap. XV *Comitatus ſimpli-*
ces, die Graffſchafften; ubi inter alia notabilis eſt p. 552 ſq. ex-
poſitio vocis *Comecia* vel *Comitia*, longe uberior, quam quæ le-
gitur apud Carolum du Freſne in Gloſſario mediæ & infimæ La-
637-657. tinitatis. Caput XVI & XVII contemplatur Eccleſiarum in Ger-
mania majorum Geographicam rationem, ejusque veram origi-
nem, per obſervationes circa eam ſingulares; quas inter eſt egre-
gium conſilium, de concinnanda ad idoneum facilemque ordi-
nem *Geographia Germania ſacra.* Caput XVIII paucis conſide-
rat *liberam Imperii Germanici Nobilitatem*, *liberasque Urbes* ſeu
657-659. Reſpublicas. Capite autem XIX exhibetur ſpecimen ſcriptio-
nis Geographicæ, medio ævo ſolitæ uſurpari, & ad loquendi for-
mulas noſtro ævo receptas accommodatæ.

FRIDERICI ERNESTI KETTNERI, ANTIquitates Quedlinburgenſes, ſive, Diplomata Cæſarum, Bullæ Pontificum, Monumenta Abbatiſſarum, aliorumque de Imperiali Parthenone Quedlinburgenſi.

Lipſiæ, ſumtibus Jo. Chriſt. Kœnigii, Bibliop. Goslar. 1712, 4.
Alph. 4 pl. 8 tab. æn. 7.

SUmme Rever. & doctiſſimus Autor A. 1710 ſermone vernaculo Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Reformationis Eccleſiarum liberæ & Imperialis Diœceſis Quedlinburgenſis in lucem publicam edidit, in qua multarum Abbatiſſarum res geſtæ exponuntur, ſeriesque Præpoſitarum, Decaniſſarum & Canonicarum, Advocatorum, Præfectorum hujus Diœceſeos, Conſiliariorum, Antiſtitum, & Miniſtrorum Eccleſiæ, Conſulum, Rectorum & Collegarum Gymnaſii Catalogus, numi bracteati Agneſæ, numiſmata Mariæ Dorotheæ, Dorotheæ Sophiæ, Annæ Sophiæ, Annæ Dorotheæ, nec non Epitaphia & Sigilla Evangelicarum Abbatiſſarum exhibentur, quam Hiſtoriam proxime in Supplementis exhibebimus.

Digitized by Google

hibebimus. Novo jam opere pariter vernaculo Diplomata varia e Tabulario Quedlinburgenſi depromta prelo ſubjecit, ut dubia quædam inde illuſtrentur, & cuilibet conſtet, quo fundamento nitantur, quæ in opere iſto ſcripſerat. Atque hæc paucis perluſtrare animus eſt. In *Prolegomenis* §.2 & 7 ordinem & uſum Diplomatum non ſolum in Hiſtoria Cæſarum, Pontificum, Cardinalium, Ducum, Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, Præpoſitorum indicat, ſed & in Hiſtoria Familiarum quarundam illuſtrium commonſtrat, quales ſunt de Hoym, Falkenſtein, Reinſtein, Querfurd, Blankenburg, Smau, Gatersleben &c. In §. 11 res geſtas, quæ ante & poſt Henrici mortem contigerunt, a ſe invicem diſtinguit. Ante mortem ejus Monaſterium Quedlinburgenſe fundatum, conſecratum, Servatio dedicatum, Romano Pontifici immediate ſubjectum eſſe evincit, poſt mortem autem ejusdem e Diplomatibus oſtendit, Capitulum a Regina conſtitutum, multiplicatum, ab Ottone I confirmatum, Advocatos e Familia Ottoniana deſignatos, & congregationes alias Sanctimonialium in gremium Eccleſiæ Quedlinburgenſis receptas eſſe. Paragrapho 15 & ſeq. *Series 34 Abbatiſſarum*, quarum nomina extra dubitationem poſita, recenſetur. Seculo enim X præfuit Henrici Filia A. 936, cujus vices adminiſtravit Mathildis Ottonis I Filia A. 966, Adelheidis I Ottonis II Filia A. 999; Seculo XI Adelheidis prædicta usque ad annum 1038, Beatrix I, Henrici III Filia, A. 1044, Adelheidis II, Henrici III Filia, A. 1063, Agnes I, de qua p. 208; Seculo XII Gerburg A. 1108, Beatrix II A. 1139, Adelheidis III, Filia Friderici Comitis de Sommerſeburg, A. 1163, Agnes, Marchionis Conradi Filia, A. 1184; Seculo XIII Sophia, Marchionis Friderici Filia, A. 1206, Bertradis I de Croſek A. 1225, Cunegundis de Cranichfeld A. 12 0, Oſterlindis de Valkenſtein A. 1231, Gertrudis de Amfurt A. 1233, Bertradis II A. 1270; Seculo XIV Jutta de Kirchberg A. 1313, Luckardis de Stollberg A. 1348, Agnes de Schrapelau A. 1357, Eliſabeth de Hakeborn A 1364, Margaretha de Schrapelau A. 1377, Ermgard de Kirchberg A. 1381; Seculo XV Adelheid de Iſeburg A. 1407, Anna de Graiz A. 1435, Hedwig, Friderici Placidi Electoris Saxoniæ Filia, A. 1457; Seculo XVI Magdalena Princeps de Anhalt A. 1511, Anna II de Stol-

berg A. 1515, Eliſabeth de Reinſtein A 1574, Anna II de Stolberg A 1584; Seculo XVII Maria, Dux Saxoniæ, A. 1601, Dorothea, Dux Sax. A. 1610, Dorothea Sophia, Dux Saxoniæ, A. 1618, Anna Sophia Palatina 1645, Anna Sophia, Landgravia Hasſiæ, A 1681, Anna Dorothea, Dux Sax. A 1685. Properamus ad ipſum opus, in quo haud pauca Privilegia, Donationes, Diplomata & Protectoria Cæſarum, bullas item Pontificum, Diplomata Abbatiſſarum, Commiſſiones Pontificum, Excommunicationes, Transactiones, Appellationes, Confirmationes, reſignationes feudorum, Fundationes Altarium &c. aliaque Diplomata miſcellanea longe plurima affert. Eminent inter Diplomata Donationes imprimis Henrici & Ottonum, & quidem *Donationes Imperiales Urbium*, ut Quedlinburgi, Gronæ, Nordhuſæ p. 2, 142, Duderſtadii p. 2, 14, Geræ p. 37, Salzæ p. 6, Barby p. 38; *Donationes Monaſteriorum*, inter quæ Winithuſen in Dale p. 6, Pœldig p. 3, Walpek p. 25, 31, Michaelſtein p. 16, *Donationes Familiarum Sclavonicarum* in Calbe prope Magdeburgum & Uraſo, ſeu Froſa p. 7, 142, *Donatio Hæreditatis Bardonis* Ducis belli & Adred matris, unde Aderſtæd, p. 7, 142, *Donatio Sylvarum* p. 6. *Donatio 11000 Manſorum* in variis Regionibus p. 128; *Donatio Villarum, Prædiorum & Pagorum in tractu Eisfeldenſi* & *Moguntino*, ut Gippenfeldi, Silkenfeld, Teſtingeburgi, p. 18, *in tractu Grubenhagenſi* Poeldigii p. 3, *in Blanckeburgico*, Michaelſteinii p. 16, in *Querfurtenſi* Schman, & Speilbergi p. 16, *in Reinſteinenſi* Weſterhuſæ Winithuſæ p. 6, *in Martisburgenſi* Brenæ p. 327, *in plaga Mansfeldenſi* Walpeki p. 31, 32, 25, Hekſtadi p. 311, Quenſtedi p. 268, *in regione Thuringica* donatio prædiorum in Kirchberg, Dornburg p. 12, Libenſtædi p. 7, Wallhuſen, Bergæ, 25, 27, *in Halberſtadenſi Circulo* Donatio Prædiorum in Langeln, Otteleben p. 16, 21, 36, Nachterſtæd p. 305, Ermsleben p. 165, *in Havelberg. plaga* p. 30, *in Anhaltina Regione* Uraſo ſeu Froſa, Mülingen, Reider p. 6, Lipani p. 151, *in Quedlinburgenſi territorio* Marsleben, Orthen, Sulten, p. 18, Gersdorf, Sallersleben, Ballersleben, Biklingen, Orebun, Quernbek, Ditfurt p. 6, Salbek p. 6, 22, Barby p. 22, 29, 38, *in Voigtlandia* Donatio Geræ, *in tractu Rhenano* Curtis Tribuvis p. 26, *in Palatinatu* Donatio vinearum quarundam Ingelheimenſium. Nec Donationum tantum Regiarum variis in locis, ſed & *Privile-*

giorum

giorum Imperialium memoria conſervatur, inter quæ Privilegium refertur de Mercatu & jure monetandi p. 34, 164, 174, de immediata protectione Pontificis p. 41, 43, de immediata protectione Cæſaris p. 7, de jure Advocatum eligendi p. 34, de Exemtione Eccleſiæ ab omnibus judiciis ſecularibus & a jurisdictione Epiſcopi, p. 41, 43, 496, de eligenda Abbatiſſa p 41, & primicerio p. 19, de annatis non ſolvendis p. 217, de ædificiis non erigendis ſine voluntate Abbatiſſæ. p. 220, de quovis Epiſcopo requirendo p. 226, de penſionibus non ſolvendis Legato Apoſtolico p. 235, de eligendo Judice Provinciali p. 490, de civibus non trahendis ad aliud Judicium extra oppidum p 380, 800, de Talliis & Gabellis non imponendis p. 523, de banno ſeculari exercendo p. 220, deque 4 officiis Eccleſiaſticis p. 219. Idem Autor primas moniales *Sec. X* commemorat p. 157, 156, 157, 169, commendat Bullam Johannis XIII regnante Mathilde, qua Quedlinburgum ſuffragiis 50 Epiſcoporum in Romani Pontificis tutamen A. 968 eſt ſuſceptum p. 40, addit præclaram Sylveſtri Bullam A. 999 p. 42. Anno 998 Abbatiſſa Mathildis mira ſapientia vices Ottonis III in Comitiis Imperialibus tenuit p. 140, 153, quam Wittekindus in dedicatione Annalium ſummis elogiis exornat, p. 140. Pagina 153, 154, 155 preces enarrat & libros Eccleſiaſticos regnante Adelheide I uſurpatos: in templo enim Servatii antiquiſſimi illi Evangeliorum Libri, auro gemmisque pretioſiſſimis diſtincti, hodie aſſervantur. Adeſt quoque baculus elegantiſſimus auro & bracteis fulgens, quem Seculo X Rex Otto III ſorori ſuæ Adelheidi in ſignum inaugurationis, teſte Ditmaro, qui Quedlinburgi educatus eſt, transmiſit. *Seculo XI* inauguratio Templi Cathedralis auguſtiſſimi, præſente Imperatore Henrico S. facta, deſcribitur p. 157, 159. Proferuntur p. 162, 165 antiqua Diplomata Regia, e quibus, quæ hactenus dubiæ fuerunt Abbatiſſæ, Conradi II & Heinrici III Filiæ, illuſtrari posſunt. Diploma de apprehenſione ferri igniti p. 169 legi meretur. *Seculo XII* Abbatiſſæ Quedlinburgenſes ad S. Auguſtini Regulam mores & vitam componebant, quæ in Lucæ Holſtenii Codice regularum & in fine T. I Operum Auguſtini reperitur: Auguſtinianis enim Monialibus omnia erant communia, nil poſſidebant proprium, com-

ni utebantur oratione, domicilio & jejunio, veſtes habebant ſub uno cuſtode, ſimul ambulabant, uno paſcebantur cellario, uno induebantur veſtiario. Eodem ſeculo Abbatiſſa Beatrix cœnobium Michaelſteinenſe fundavit p. 178. Agneſas duas Sec. XI & XX extitiſſe, p. 188, 197 Noſter probat, Bertrades duas, p. 216, 250. *Seculo XIII* variæ cernuntur Bullæ Pontificum, in quibus Romani Præſules pronunciant, nullam Epiſcopo Halberſtadenſi in Abbatiſſas Quedlinburgenſes jurisdictionem competere p. 227. Matres Eccleſiæ hujus durante Interregno ſe ſeculares appellant p. 240; Sophia Abbatiſſa removetur & reſtituitur p. 250; Hoyerus de Valkenſtein, cujus juſſu Speculum Saxonicum conſcriptum eſt, Advocati Quedlinburgenſis munus gerit, & cum Sophia A. 1225 concertat, de quo certamine Tranſactio p. 250 obſervari poteſt; Capitulum reformatur p. 239. *Sec. XIV* Abbatiſſa Iutta Rudolfo Duci Saxoniæ jura Advocatiæ commiſit p. 394, ſed ſenatus Civitatis veteris fœdere Hanſeatico nixus, & Abbatiſſæ reluctans, Alberto Epiſcopo Halberſtadenſi ſe ſubjecit, p. 483; Comites de Reinſtein bellum urbi indicentes in vincula conjiciuntur & cum civibus in gratiam reducuntur p. 461. *Seculo XV* ſeditionem Senatus adverſus Abbatiſſam movet Hedwigen, quam frater Abbatiſſæ Erneſtus, Elector Saxoniæ, ſedavit & expugnata urbe A. 1477 compreſſit, qua de cauſa jus Advocatiæ Albertinæ lineæ Domuique Saxon. tanquam feudum eſt collatum, p. 568. *Sec. XV & XVI* gravi juramento ſe Abbatiſſæ Romano Pontifici obſtrinxerunt, (vid. p. 541, 547, 509, 637,) quod A. 1539 tempore renati Evangelii deſiit, poſtquam Anna Stolbergenſis, Evangelicam religionem amplexa, ſacrum tribunal conſtituit. Reliqua, quæ memoratu digna, prætermittimus, quia brevitati ſtudentes, ſumma tantum rerum veſtigia ſequimur. Saltem de inſertis tabulis æneis pauca addamus. Annectuntur Operi VII *Tabulæ æneæ*, in quarum prima conſpicitur ſigillum Henrici Aucupis, quod in Tabulario Quedlinburgenſi aſſervatur & a Corbejenſi differt; adduntur ſigilla Ottonum, Sylveſtri & Innocentii II, ut & Gerburgæ Abbatiſſæ. *Tab. II* ſigilla Adelheidis, Agneſæ, Oſterlindis, Gertrudis, *Tab. III* Bertradis, Juttæ, Lukardis, Agneſæ II, *Tab. IV* Eliſabethæ, Margarethæ de Schrapelau, Lukardis II, Adelheidis,

Annæ,

Annæ, Hedewigis, *Tab. V* Capituli Seculo XIV, Adelheidis Præpoſitæ, Comitis Hojeri de Falkenſtein, Burgenſium, Alberti & Bernardi Comitum de Reinſtein, Bartoldi & Sigfridi de Ditfurt, *Tab. VI.* Ottonis de Valkenſtein, Capituli S. Wigberti, Abbatis de lapide S. Michaelis, Eccleſiæ in Winithuſen, Eccleſiæ S. Mariæ in Sion, S. Andreæ in Walpeck, Canonicorum &c. ſigilla exhibet, & *Tab. VII* Epitaphium Hedwigis Ducis Saxoniæ, quæ regnare cœpit A. 1458 & A. 1511 vitam cum morte commutavit, repræſentat.

VELLEJI PATERCULI QUÆ SUPERSUNT; JO. GEORGIUS WALCHIUS recenſuit, Commentariis atque Indicibus illuſtravit.

Lipſiæ, ap. Jo. Lud. Gleditſch & M. G. Weidmann, 1712, 12. Alph. 1 pl. 5.

NOva jam facie Vellejus Paterculus in lucem prodit, de quo & quibus eum explicuit Autor induſtrius, adnotamentis pauca monere, eorumque quædam adnotare lubet. Præmiſit Dodwelli Annales integros & Chriſtoph. Cellarii excerpta ex illis, in eorum forſan commodum, quibus ipſos Annales perlegere nimis moleſtum videtur. In textu plurima ex parte Nicolaum Heinſium ſecutus eſt, quanquam interdum de nova corruptorum locorum emendatione ipſe cogitavit & aliorum paſſim Interpretum ſententias diſcrepantes ſuperaddidit. Ipſum Vellejum hac forma rationeque adornavit, ut nihil obvium tritumque obſervaret, nec vero quidquam, quod lucem ſuam ex antiquitatum atque hiſtoriarum monumentis petit, inevolutum relinqueret. Sic explicat *p. 20.
Palilia ac Parilia Romanorum, eaq; in quantum differant, oſtendit: 30.
item quot genera fuerint coronarum Romanæ militiæ. Cenſum, 76.
qui ſolemnis Romanis fuit, multis explicat, ejusque originem ad annum IV vel XII imperii Servii Tullii Regis commode referendam exiſtimat. De dictatoribus, quorum poteſtatem verboſius enarrat, inprimis monet, quod proprie non fuerint monarchæ, licet eorum autoritas maxima, eaque major, quam Conſulis fuerit. Sacerdotes a Numa Pompilio conſtitutos fuiſſe, 185.
variis

Digitized by Google

variis teſtimoniis probat, quos magna dignitate conſpicuos fuiſſe aſſerit, adeo ut antiquitus Reges munera hæc obierint. Illis
p. 187 ſq. adjungit Triumviros Epulones, ob ceremonias & ſacrificia, qui dicti fuerint ab epulis, quibus ordinandis Jovi aliisque Diis præ-
223. fuerint. Seſtertium neutro genere XXXI Imper. & VI groſſos valere, ipſa addita computatione, oſtendit, ut adeo ſeſtertius fa-
234. ciat $2\frac{1}{2}$ aſſes, ſeu ſit quarta pars drachmæ. De Tetrarchiis monet, quod illæ non ſemper quaternorum ſimul in una eademque provincia vel gente principatum ſignificent, ſed regni diviſi partes, licet non ad quaternarium numerum redactæ, hoc nomen acceperint. Plura alia ex antiquitatum hiſtoriis obſervat, ut de Prætoribus, Imperatoribus, Tribunis militum, togis, tyrocinio, triumphis, ritu funerum, apotheoſeos, ludis gladiatoriis, Apolline, Diana, Jano clauſo &c. Nec parce occurrunt, quæ lucem ſuam afferunt ex hiſtoria, quam vocant, litteraria. De Aeſchylo, Sophocle, Cratino, Eupolide, Livio, Salluſtio, Lucretio, Ovidio, Naſone, Tibullo & aliis data occaſione,
151. quæ memoria digna fuerunt, adnotavit. Salluſtium a Vellejo ideo æmulum Thucydidis appellari ait, quia Romani adoleſcentes prius ad Græcæ, quam Latinæ linguæ culturam adducti fuerint, prout id ſatis ex antiquis Scriptoribus oſtendit. Ad hæc ignota quoque, quantum fieri potuit, nomina Geographica illuſtravit ita, ut vix ullam urbem, fluvium, populum præmiſerit quin de iis pluribus diſſerat.

APPENDIX AD VITAM AC TESTAMENtum Franciſci Petrarchæ, ut prodierunt ex recenſione JO. HENRICI ACKERI.

Rudolſtadii, litteris Urbanianis, 1712, 8.

Plag. 2.

CUm in Actis A. 1711 p. 91 Petrarchæ vitam ac teſtamentum a Cl. Ackero denuo editam notisque illuſtram annuntiaverimus, & ex merito commendaverimus, nunc paucis tantum indicandum duximus, ab eodem doctiſſimo Editore cogitationes poſteriores nuper fuiſſe editas, quæ Supplementa quædam lectu non minus grata exhibent.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M DCC XII.

JO. FRIDERICI HOMBERGK zu Bach, *Juris in Academia Marburg. Professoris, Parerga Sacra, seu Observationes quædam ad Novum Testamentum.*

Trajecti ad Rhenum, ex officina Guilielmi van de Water, 1712, 4. Alph. 2 pl. 2.

NOnnulli divina eloquia eo loco habent, ut illa profanari credant, si quis ad ea explicanda dictis profanorum autorum utatur. Ab hoc hominum genere Celeb. Autor noster, JCtus & Philologus consummatissimus, cujus aliquoties perhonorificam in his Actis fecimus mentionem, ita dissentit, ut existimet, ad intelligendam cujusvis scriptoris mentem primo respiciendum esse ad usum verborum vulgarem: si hic deficiat, vel menti scriptoris non convenire credatur, ad usum & modos loquendi scriptori isti peculiares. Cum vero usus vulgaris dependeat a consuetudine hominum, communiter illa lingua utentium, nemini vitio verti posse, qui ex illa rationem aliquam interpretandi desumat. Deum enim lingua profanorum sua mysteria exposuisse. Neque veri fieri simile, scriptores N. T. peculiaribus & inconsuetis verborum sensibus, novisque loquendi modis, usos esse, ac talibus quidem, quos imperiti non possent intelligere, quibus tamen divina doctrina non minus, quam sapientibus concredita dicatur. Quapropter in sacrorum librorum lectione παρέργως ea præcipue notavit eruditissimus Autor, quæ ex Græcæ linguæ usu, vel ex ipsius contextus serie ad loca aliquot rectius intelligenda aliquid conferre videbantur. Quod si duo hæc interpretandi media dubiis tollendis

non sufficiant omnino, aut sit, quod non aliter, quam ex linguæ Hebrææ stylo illustrari aut exponi possit, non dissimulat, illam etiam interpretandi rationem sese tum amplecti velle. Noluit autem ea, quæ ut exceptiones consideranda, & modice adhibenda putavit, pro regula ponere, ne omnia ad Hebraicum loquendi modum exigens, ab illo inciperet, ubi desinendum erat. Hæc præfatus, volumina N. T. secundum ordinem perlustrat, plurimaque loca eleganter eruditeque explanat, unde nos more nostro nonnulla specimina daturi sumus.

Vocem δίκαιος de Josepho usurpatam Matth. I, 19, quam
p. 3. multi accipiunt pro *misericorde*, quia LXX vocem חסד reddunt
δικαιοσύνην, de *justo* mavult interpretari. Duas enim hic virtutes in Josepho simul considerandas proponi, *justitiam* sc. & *misericordiam*. Primo *justitia* requirebat, ne crimen uxoris tegeret, sed accusaret, eandemque legum vindictæ traderet. *Misericordiæ* vero atque humanitati satisfacturus, noluit eam παραδειγματίσαι ignominiæ & pœnæ exponere. In hoc igitur utriusque officii bivio constitutus, cum putaret, se utrique virtuti satisfacere simul non posse, eam tanquam mediam elegit viam, ut uxorem
4. clam dimitteret, non quia *justus* dicitur, sed quia *misericors* erat.
Hanc enim virtutem verba ipsa καὶ μὴ θέλων, &c. involvunt.
7. Matth. II 18 agnoscit Hyperbaton, & verba ὅτι οὐκ εἰσὶ, non con-
nectit cum proximo παρακληθῆναι, sed cum præcedente κλαίου-
8. σα, hoc sensu: *Rachel deplorans filios suos, quod non sunt, & no-*
luit consolationem accipere. Verba Matth. III, 16 καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα de Christo accipit, quia ipsa constructio id necessario exi-
11. git. Dicitur enim, καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶδε &c. Cui simi-
milis est apud Marcum cap. I, 10, καὶ ἀναβαίνων εἶδε. Eadem ergo persona, quæ ascendit, vidit etiam spiritum descendentem. Verba ἐπ' αὐτόν, quæ indicare videntur, hic de Johanne sermonem esse, permutata positaque esse putat pro ἐφ' αὐτὸν vel ἑαυτόν, per Enallagen Græco sermone non inusitatam. Dubium
12. moveri poterat ex Joh. I, 33. Sed respondet Autor, apparitionem Spiritus S. quam sibi Johannes ibi factam dicit, non esse illam ipsam, de qua Matthæus & Marcus. Hanc enim, de qua illi loquuntur, contigisse post baptismum, &, ut videtur, magis in

gratiam populi, quod vox e cœlis audita ſatis declaret; illam ve-
ro, de qua Johannes, multo ante contigiſſe, & tum, cum Johannes
Chriſtum nondum noſſet; unde & de Baptiſmo nulla ibi men-
tio. Ergo non eandem eſſe apparitionem, diverſas circumſtan-
tias indicare. Sub phraſi ἔνοχος ἔϛαι εἰς τὴν γέενναν, Matth. V, p.18.
22, intelligit βληθῆναι, ut infra v. 29, 30. Nam antea dixerat τῇ
κρίσει, τῷ συνεδρίῳ. Ex verbis Matth. VI, 8, cum Chriſtus, πολυ- 24.
λογίαν in precatione vetans, ait: *Patrem jam noſſe, quibus opus
habeamus, etiam antequam petamus*, cognoſci poſſe putat, quid
fuerit gentilium πολυλογία, anxia nimirum & ſolicita oratio,
quæ modum & finem quaſi præſcribit divinæ bonitati, ex impetu
immoderatarum cupiditatum profluens, illiſque implendis in-
ſerviens. Cujus elegans exemplum nobis præbeat *Callimachi
Hymnus in Dian.* ubi Poeta verba Dianæ, ad patrem precantis, a
verſu ſexto ad 25 profert. Non abs re tamen eſſe judicat, quod
Theod. Gravius, Joh. Georgii Fil. ad verba illius hymni, ubi Diana
petit πολυωνυμίαν, notavit, hanc ſcilicet eſſe illam πολυλογίαν,
quam Chriſtus hic reprehendit. Certum enim & in vulgus no-
tum eſt, gentiles, & imprimis Græcos, Diis ſuis innumera nomi-
na, ſive religione, ſive errore, attribuiſſe, eaque in hymnis ſuis ac
precibus acervatim, ad gratiam eorum captandam, congeſſiſſe.
Unde a *Marone* Alecto *mille nomina habere* dicitur, *& mille no-
cendi artes.* Phœbus quoque atque Bacchus pluribus nomini-
bus paſſim inſigniuntur, uti Poetas vel obiter inſpicienti patet.
Cum hac moleſtiſſima nominum divinorum repetitione, quæ in 25.
Arabicis etiam hymnis invenitur, convenire opinatur verbum
βαττολογεῖν, quo Servator v. 7 utitur. Hoc enim a Batto illo
Ovidiano deductum, notat eadem moleſte continuo repetere,
inculcare, eademque oberrare chorda. Hæc πολυλογία in pre-
cando ipſis Ethnicis ſuſpecta, & Deo indigna viſa eſt. Deriſit
quippe hanc πολυωνυμίαν poſteriorem *Lucianus* in Timone, ſta-
tim ab initio, ubi Jovem exagitat, quod ſe non digne gerat, tot ad
honorem partim, partim & ad terrorem compoſitis nominibus.
Plato etiam inconſideratam illam in concipiendis votis temerita-
tem notavit integro Dialogo, qui *Alcibiades II* inſcribitur. Ad 28.
Matth. VI, 16 obſervat, ἀφανίζειν, elegantiſſime & ſumma cum

emphaſi hic ab Evangeliſta uſurpatum eſſe, & quasvis hypocritarum illorum larvas, fallacesque hominibus imponendi modos, comprehendere. In eodem Capite v. 19 σὴς καὶ βρῶσις per figuram, quæ ἓν διὰ δυοῖν vocatur, exponitur σὴς βρώσκων *tinea comedens*, vel βρῶσις σητὸς, *comeſtio tineæ*, ſicut Luc. XXI, 15, δώσω ὑμῖν στόμα καὶ σοφίαν id eſt, στόμα σοφὸν, & Actor. XIV, 13 ταύρους καὶ στέμματα, *boves coronatos*. Idem aliquando *Iſ. Caſaubono* ad h. l. in mentem venit. Noſtra tamen opinione
p.29. plures τοῦ ἀφανισμοῦ ſpecies hic indicari videntur. Quemadmodum enim ſub voce θησαυροῦ tria divitiarum genera comprehenduntur, *veſtimenta*, *triticum*, aliique terræ fructus, ac *metalla* pretioſiora, quæ omnia ab hominibus reponi ac ſervari ſolent: ita ſingulis aliquid opponitur, unde eorum corruptio metuenda, veſtimentis ὁ σὴς *tinea*, unde Jacobo cap. V, 2 veſtimenta dicuntur σητόβρωτα, terræ fructibus ἡ βρῶσις *comeſtio*, ſive *corruptio*, *abſumptio*, ac metallis & ſupellectili pretioſiori οἱ κλέπται, *fures*.
47. Matth. X, 23 τελεῖν exponit *doctrina perficere*, *imbuere*. *Platoni* enim ἀμύητος & ἀτέλεστος idem eſt, qui & κεκαθαρμένους cum τετελεσμένοις componit, & hos ait eſſe τοὺς πεφιλοσοφηκότας ὀρθῶς, *ſapientia perfectos*, in Phædone. Solent enim ſacri ſcriptores interdum verba, ab Ethnicis ad ſuperſtitionem adhibita, transferre in ſacrum uſum. Integrum autem locum ita interpretatur: *Si vel maxime vos ex una urbe in aliam perſequantur, nolite timere, vos non habituros locum, ubi prædicare poſſitis Evangelium. Nam οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ, ne poteritis quidem ſingulis urbibus prædicare, vel fugiendo ab una in aliam, dum venerit filius hominis, atque* τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώ-
60. σεως. Per παλιγγενεσίαν Matth. XIX, 28 illud tempus indicarit putat, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου &c. Nec dubitat, quin illa eadem ſit, ac ἀποκατάστασις πάντων Actor. III, 21, quod
61. probat ex propria hujus vocabuli ſignificatione. Ἀποκατάστασις enim notat reſtitutionem rei alicujus in priſtinum ſuum ſtatum. Unde & JCti Græci hoc verbo utuntur, quando de reſtitutionibus in integrum loquuntur. Eandem ſignificationem habet verbum καθίστημι in libris ſacris. Matth. XII, 13 dicitur de eo, cui manus arida ſanata fuit a Chriſto, καὶ ἀποκατεστάθη ὑγιὴς

ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη. Jam vero talis reſtitutio revera nil aliud eſt,
quam nova & repetita generatio. Ad Matth. XXVII, 5 Autori p. 75.
certum videtur, τὸ ἀπάγχομαι hic ſignificare *ſtrangulo, ſuffoco*,
quod Theocriti, Herodoti, Theophr. & *Hippocratis* imprimis auto-
ritate probat, quem τὸ ἀπάγξασθαι in locis allegatis de *ſuffocatio-*
ne violenta & externa uſurpaſſe obſervat, reliqua vero ſuffocatio- 76.
num genera, quæ a morboſa quadam diſpoſitione interna profi-
ciſcuntur, *Hippocratem* omnia non per ἀπάγξασθαι, ſed πνίγειν,
πνὶξ, πνιγμὸς extuliſſe. Phraſin Marc. V, 41 καὶ ἐφοβήθησαν 92.
φόβον μέγαν non ſapere Hebraiſmum, ſed ex elegantiſſimis lin-
guæ Græcæ eſſe obſervat, ita ut vix frequentior ulla occurrat apud
Platonem, ut φλυαρεῖν φλυαρίαν, πάσχειν πάθος, ἀγωνίζειν
ἀγῶνα, δικάζειν δίκας, ὁμολογεῖν ὁμολογίαν. Formulam εἴτι 97.
δύνασαι, *ſi quid potes*, non eſſe dubitantis, aut incredulitatis ar-
gumentum, docet ad Marc. IX, 22. Exiſtimat enim, hæc verba,
uti hic jacent, eſſe integram quandam formulam Græcorum, ma-
xime adhiberi ſolitam in precibus ad eos directis, quos & poten-
tiſſimos eſſe, & ſibi quam optime cupere, certo ſciebant. Hoc 99.
non ſolum exemplo ex *Homero* probat, ſed ſcriptoris etiam Chri-
ſtiani *Heliodori* autoritate, qui dixit eadem phraſi ac ſenſu ἱκετεύον,
εἴτι δύναιτο, συμπράττειν, de iis, qui ſciebant, illum potentem
eſſe ad auxiliandum. Ipſe Servator ſumma fiducia Patrem orans,
Marc. XIV, 35, ut εἰ δυνατόν, hora ab ipſo abiret, rem confirmat.
Valet ergo εἰ δύνασαι idem quod εἰ δυνατόν ἐστι, reſpectu ejus, qui
rogat. Vel erit hic εἴτι δύνασαι idem ac δύνασαι γάρ, pro po-
tentia & facultate tua, vel qua polles potentia, fer opem. In 123.
verbis Simonis Luc. II, 29, νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, explicatio-
nis cauſſa, ex Æliano ſupplet ἐκ τῶν τοῦ σώματος δεσμῶν. Pu-
tabant enim veteres, corpus animi vinculum & carcerem eſſe.
Hinc *mori* ipſis dicebatur ἀνάγεσθαι, ἀπαλλαγεῖν σώματος, ἀ-
ποδημεῖν, ἀπιέναι, ἀπελθεῖν τοῦ βίου, ἀφίνεσθαι, ἀφίεσθαι πνεῦμα.
Locum Luc. XII, 15 conſtruendum eſſe cenſet hoc ordine: ὅτι οὐκ 138.
τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐν τῷ περισσεύειν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ.
Nam alias illud αὐτοῦ non habet, quo referatur. Sic ſenſus erit:
Nemini vita ſua eſt in abundantia facultatis, ut rectiſſime Syrus.
Χάριν ἀντὶ χάριτος, Joh. I, 16, vertit *gratiam gratia majorem*, 159.

emphaſi hic ab Evangeliſta uſurpatum eſſe, & quasvis hypocrita-
rum illorum larvas, fallacesque hominibus imponendi modos,
comprehendere. In eodem Capite v. 19 σὴς καὶ βρῶσις per fi-
guram, quæ ἐνδιαδὺς vocatur, exponitur σὴς βρώσκων *tineæ
comedens*, vel βρῶσις σητὸς, *comeſtio tineæ*, ſicut Luc. XXI, 15,
δώσω ὑμῖν στόμα καὶ σοφίαν id eſt, στόμα σοφόν, & Actor. XIV, 13
p.29. ταύρους καὶ στέμματα, *boves coronatos*. Idem aliquando *Iſ. Ca-
ſaubono* ad h. l. in mentem venit. Noſtra tamen opinione plu-
res τοῦ ἀφανισμοῦ ſpecies hic indicari videntur. Quemadmo-
dum enim ſub voce θησαυροῦ tria divitiarum genera comprehen-
duntur, *veſtimenta*, *triticum*, aliique terræ fructus, ac *metalla*
pretioſiora, quæ omnia ab hominibus reponi ac ſervari ſolent:
ita ſingulis aliquid opponitur, unde eorum corruptio metuenda,
veſtimentis ὁ σὴς *tinea*, unde Jacobo cap. V, 2 veſtimenta dicun-
tur σητόβρωτα, terræ fructibus ἡ βρῶσις *comeſtio*, ſive *corruptio*,
abſumptio, ac metallis & ſupellectili pretioſiori οἱ κλέπται, *fures*.
47. Matth. X, 23 τελεῖν exponit *doctrina perficere*, *imbuere*. *Platoni*
enim ἀμύητος & ἀτέλεστος idem eſt, qui & κεκαθαρμένους cum
τετελεσμένοις componit, & hos ait eſſe τοὺς πεφιλοσοφηκότες
ὀρθῶς, *ſapientia perfectos*, in Phædone. Solent enim ſacri ſcri-
ptores interdum verba, ab Ethnicis ad ſuperſtitionem adhibita,
transferre in ſacrum uſum. Integrum autem locum ita inter-
pretatur: *Si vel maxime vos ex una urbe in aliam perſequantur,
nolite timere, vos non habituros locum, ubi prædicare posſitis Evan-
gelium. Nam* οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ, *ne pote-
ritis quidem ſingulis urbibus prædicare, vel fugiendo ab una in
aliam, dum venerit filius hominis, atque* τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώ-
60. σεως. Per παλιγγενεσίαν Matth. XIX, 28 illud tempus indica-
rit putat, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου &c. Nec dubitat,
quin illa eadem ſit, ac ἀποκατάστασις πάντων Actor. III, 21, quod
61. probat ex propria hujus vocabuli ſignificatione. Ἀποκατάστα-
σις enim notat reſtitutionem rei alicujus in priſtinum ſuum ſta-
tum. Unde & JCti Græci hoc verbo utuntur, quando de reſti-
tutionibus in integrum loquuntur. Eandem ſignificationem
habet verbum καθίστημι in libris ſacris. Matth. XII, 13 dicitur
de eo, cui manus arida ſanata fuit a Chriſto, καὶ ἀποκατεστάθη
ὑγιὴς

ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη. Jam vero talis reſtitutio revera nil aliud eſt,
quam nova & repetita generatio. Ad Matth. XXVII, 5 Autori p. 75.
certum videtur, τὸ ἀπάγχομαι hic ſignificare *ſtrangulo, ſuffoco,*
quod Theocriti, Herodoti, Theophr. & *Hippocratis* imprimis auto-
rite probat, quem τὸ ἀπάγξασθαι in locis allegatis de *ſuffocatio-
ne violenta & externa* uſurpaſſe obſervat, reliqua vero ſuffocatio- 76.
num genera, quæ a morboſa quadam diſpoſitione interna profi-
ciſcuntur, *Hippocratem* omnia non per ἀπάγξασθαι, ſed πνίγειν,
πνὶξ, πνιγμὸς extuliſſe. Phraſin Marc. V, 41 καὶ ἐφοβήθησαν 92.
φόβον μέγαν non ſapere Hebraiſmum, ſed ex elegantiſſimis lin-
guæ Græcæ eſſe obſervat, ita ut vix frequentior ulla occurrat apud
Platonem, ut φλυαρεῖν φλυαρίαν, πάσχειν πάθος, ἀγωνίζειν
ἀγῶνα, δικάζειν δίκας, ὁμολογεῖν ὁμολογίαν. Formulam εἴτι 97.
δύνασαι, *ſi quid potes*, non eſſe dubitantis, aut incredulitatis ar-
gumentum, docet ad Marc. IX, 22. Exiſtimat enim, hæc verba,
uti hic jacent, eſſe integram quandam formulam Græcorum, ma-
xime adhiberi ſolitam in precibus ad eos directis, quos & poten-
tiſſimos eſſe, & ſibi quam optime cupere, certo ſciebant. Hoc 99.
non ſolum exemplo ex *Homero* probat, ſed ſcriptoris etiam Chri-
ſtiani *Heliodori* autoritate, qui dixit eadem phraſi ac ſenſu ἱκετεύον,
εἴτι δύναιτο, συμπράττειν, de iis, qui ſciebant, illum potentem
eſſe ad auxiliandum. Ipſe Servator ſumma fiducia Patrem orans,
Marc. XIV, 35, ut εἰ δυνατόν, hora ab ipſo abiret, rem confirmat.
Valet ergo εἰ δύνασαι idem quod εἰ δυνατόν ἐστι, reſpectu ejus, qui
rogat. Vel erit hic εἴτι δύνασαι idem ac δύνασαι γὰρ, pro po-
tentia & facultate tua, vel qua polles potentia, fer opem. In 123.
verbis Simonis Luc. II, 29, νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, explicatio-
nis cauſſa, ex Æliano ſupplet ἐκ τῶν τοῦ σώματος δεσμῶν. Pu-
tabant enim veteres, corpus animi vinculum & carcerem eſſe.
Hinc *mori* ipſis dicebatur ἀνάγεσθαι, ἀπαλλαγεῖν σώματος, ἀ-
ποδημεῖν, ἀπιέναι, ἀπελθεῖν τοῦ βίου, ἀφίνεσθαι, ἀφίεσθαι πνεῦμα.
Locum Luc. XII, 15 conſtruendum eſſe cenſet hoc ordine: ὅτι οὐκ 138.
τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐν τῷ περισσεύειν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ.
Nam alias illud αὐτοῦ non habet, quo referatur. Sic ſenſus erit:
Nemini vita ſua eſt in abundantia facultatis, ut rectiſſime Syrus.
Χάριν ἀντὶ χάριτος, Joh. I, 16, vertit *gratiam gratia majorem*, 159.

 id

Digitized by Google

p. 167. id eſt, cumulatiſſimam. Verba *πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδι-*
ον, Act. I, 25, non de Juda intelligit, ſed ſucceſſore ejus. Ut nem-
pe ille, qui deſignandus erat, *ſuccederet in locum ejus*, *εἰς τὸν τό-*
187. *πον ἴδιον* ſc. Ἰȣδᾶ. Vocum *ἐκ πίστεως εἰς πίστιν*, Rom. I, 17, ve-
188. rum & ſimpliciſſimum ſenſum hunc eſſe, quod in Evangelio re-
veletur juſtitia Dei non ex operibus, ſed ex fide, & quod illa re-
veletur ad fidem, id eſt, ut amplectenda, & quæ credi debeat, tam
a Judæis, quam a Græcis, ad ſalutem obtinendam. Inveſtigans,
203. quæ differentia ſit inter *δίκαιον* & *ἀγαθὸν*, Rom. V, 7, multis ex-
emplis probat, *ἀγαθὸν* apud Græcos interdum ſignificare præ-
ſtantem, divitem, vel potentem, ut hic emergat ſenſus: *Pro juſto
vix quisquam morietur, pro potente vero celeriter etiam quis aude-
bit mori.* Non pauca quippe habemus exempla eorum, qui pro
Principibus ſuis & Regibus morti ſe tradiderunt, vel in extremis
periculis corpora ipſorum ſuo corpore obtexerunt, & ictus ho-
251. ſtium exceperunt. *Τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην*, 1 Cor. VII, 26, de *in-*
253. *commodis conjugii* exponit, propter v. 28. Phraſin *ἐξȣσίαν ἐπὶ κε-*
256. *φαλὴν ἔχειν*, 1 Cor. XI, 10, reddit *poteſtatem in ſe, vel ſupra caput
ſuum habere*, *ἔχειν*, id eſt, *κατέχειν*, *φυλάττειν*, *tenere*, *ſervare*,
διὰ τȣ̀ς ἀγγέλȣς, id eſt, ne in idem cum Angelis illis *κρίμα* inci-
dant, de quibus Judas nos docet v. 6, eos *τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν non
ſervaſſe*, *ſuam originem*, vel *imperium*, cui ſubjecti fuerant. Nam
Angeli etiam ſua capita & ordines habent. Et in mulierem, quia
ἀρχὴν ſuam a Viro habet, poteſtatem accepit maritus. Probat
præterea Cl. Autor, *κεφαλὴν* totum hominum ſignificare, totum-
que locum, qui ſummos Interpretes torſit, ita explicat, ut nihil
amplius jure deſiderari poſſe videatur.

JOACHIMI LANGII S. THEOL. IN REGIA Frider. Prof. Ord. Exegeſis Epiſtolarum Apoſtoli Petri, qua præter oſtenſam ſingulorum membrorum συνάφειαν & ἀνάλυσιν, cujuslibet loci, vocis ac locutionis genuinus ſenſus, nec non emphaſis ac parallelismus, ſecundum fontem Græcum ſolide ac perſpicue eruuntur ac proponuntur, omniaque ad Chriſtianismi praxin cum uberiori ſapientiæ ac prudentiæ ſtudio conjungendam ſincere applicantur; cum Indice rerum ac verborum emphaſiologico.

Halæ

Digitized by Google

Halæ Sax. literis & impensis Orphanotrophei, 1712, 4.
Alph. 2 pl. 2.

Titulus hujus libri luculentus clare satis Cl. Autoris scopum ac methodum, qua sua in divi Petri Epistolas μελετήματα referre ipsi placuerit, indicat. Cum enim inde a primis studiorum sacrorum initiis Exegesin sacræ Scripturæ amarit & excoluerit, nunc demum maturiori ætate fructus hujus studii cum eruditis communicare voluit. Ceterum ex literarum humaniorum studio, quod antehac, cum scholæ præesset, diligenter coluit, ad sacras id attulisse ornamenti videtur, ut, quæcunque hic dicenda occurrunt, non plano minus & perspicuo quam puro stylo, quantum scilicet sermonis puritas perspicuitati in rebus sacris non obsistebat, afferantur. Ad tractandi methodum quod attinet, cum alii, pro scoporum donorumque varietate, vel circumcisa brevitate vel diducta copia utantur, in medio utriusque constituantur alii, & sua quique dona Ecclesiæ commodis applicent, alii contra de rebus divinis sine Deo, alii necessariis Philologiæ subsidiis destituti scripserint, alii πολυμαθείας laudem affectent, ordinis accurati curam negligant alii, soloque parallelismo quidam dicta declarare soleant, adeoque e pluribus tria potissimum desideranda sint, quod 1) vocum phrasiumque sacrarum emphasis non digne satis subsidiis a gratia subministratis enucleetur, 2) vulgaris commentandi ratio nimis plerumque arida & macilenta nervisque ac toris succiplenis destituta sit, 3) Synonymiæ sacræ tractatio negligatur, ob cujus tamen imperitiam sæpe res eædem pro diversis habeantur, adeoque ipsius etiam phraseologiæ sacræ ἀναλογία, vis ac δείνωσις ignoretur: ob has inquam causas summe Rev. Autor tria in hoc opere sedulo observanda sibi proposuisse videtur. *Primo modum inter amputatam brevitatem nimiamque copiam medium: deinceps ordinem fidum ac felicem omnis disciplinæ & intelligentiæ ministrum: tandem curam in recidendis supervacuis & tradendis necessariis ac utilibus singularem.* Post generalem igitur totius Epistolæ analysin, unde etiam singulorum capitum analysis petenda, & post appositum textum seu certam Græci sermonis particulam *nova versione* redditam, I singulorum membrorum *connexionem* commonstrat, II *analysin*, qua unumquodq; textus

textus membrum in minora diſtinctum in brevi plerumq; tabella exhibet: qua re & ſenſus literalis jam tum in connexione notatus breviſſime exprimitur, & judicio ſimul ac memoriæ ſervitur, inprimis autem minus exercitatis, quam bene ὀρθοτομία literalis ſpirituali ſubſerviat, & quomodo de re qualibet perſpicue ac ornate cogitandum dicendumque ſit, oſtenditur. Analyſin excipit *Exegeſis*, in qua duo traduntur, nimirum *Emphaſiologia* & *Parallelismus*: ubi *Emphaſiologia* quidem *ſingularum vocum vim ac δεινωσιν* ſecundum Græcum fontem eruit, hacque demonſtrata res ipſa, de qua ſermo eſt, ita deſcribitur, ut, quod vel experimento ex iis, quæ a p. 34 ad 39 in exegeſi ſalutationis afferuntur, capiendo patebit, Lectores medullæ ſacræ avidi a lectione ac meditatione hujus libri non vacui aut hiantes dimittantur: *Parallelismus non tam in verbis quam rebus ipſis quæſitus*, in conſideratione potiſſimum *ſacra Synonymia* verſatur, luculentamque *explicationem Biblicam*, textus jam ante expoſiti genuinum ſenſum denuo confirmantem, ejusdemque δεινωσιν illuſtrantem, in duobus prioribus Epiſtolæ prioris capitibus diſtincte, in reliquis vitandæ prolixitatis gratia junctim ſiſtit. Tandem *Poriſmata, ad genuini Chriſtianiſmi Praxin*, ſeu fidei vitæque informationem & confirmationem, cum uberiori ſapientiæ ac prudentiæ ſtudio conjungendam, directa, non parco numero ideo eruuntur, ut eo amplior & incipientibus & proficientibus meditandi occaſio ſuppeditetur, eaque ex ingenio magis & collata gratiæ menſura intra animum Autoris ſcaturiente proferuntur, quam ex aliorum excerptis atque collectis Commentationibus, quas ut non negligendas Autor tanquam operas ſubſidiarias putavit, ita, quod ſervatum hic ordinem ſæpius turbaturæ, & cum multi temporis jactura libri molem ſine neceſſitate aucturæ, Lectoribus tædium allaturæ videbantur, ſuo loco reliquit, & a crebra multorum Autorum citatione, niſi uſus forte quibusdam in locis poſtularet, conſulto abſtinuit. Non igitur ſemper in una eaque vulgari ſententia Autor ſubſiſtit, ſed eidem interdum accuratiorem, quam putat, ſubjicit, Chriſtianoque ac prudenti Lectori eligendæ libertatem ſententiæ relinquit, cujus unum exemplum e loco attenta conſideratione digniſſimo e poſteriori Epiſtola c. I, 20 ſubjiciamus. Exponendum

dum ibi, quid velint ſibi verba πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. Oſtendit igitur e recepta ſententia quod λύειν ac ἐπιλύειν ſolvere, & ἐπίλυσις ſolutionem ſ. diſſolutionem ſignificet, qua quid ſolvendo vel *aperimus*, enodamus, explicamus h. e. *interpretamur*, quando de Scripturæ ſenſu ſermo eſt: *vel deſtruimus:* quo ſenſu ἐπίλυσις idem ſit quod κατάλυσις. Pro interpretatione igitur voce ἐπίλυσις accepta, vocem ἰδίαν *vel ad* ipſam *Scripturam, vel ad Prophetas*, qui eam conſignarunt, *vel ad Lectores* referendam indicat. Cumque *de ipſa Scriptura ac Prophetis* θεοπνεύστοις negatio hæc intelligi nequeat, quia Scriptura optime omnino per Scripturam ac Parallelismum geminum ipſa ſe evolvit, hi vero quod e Spiritu Dei protulerunt, ejusdem etiam auxilio explicare rectiſſime omnium queunt; tertiam illam ſententiam, qua ἰδία ἐπίλυσις *ratione Lectorum* vulgo dicitur, quaque *privata & propria publicæ geminæ ac divinæ* ἐπιλύσει NB. *non ſubordinata ſed oppoſita, proque humani arbitrii & ingenii more, affectuum impetu aut prave recepta hypotheſi torta retortaque* intelligitur, *cum antecedentibus*, (dum adhortationi de attentione Scriptis Propheticis præbenda a Petro cautela hermenevtica nonnullorum ψευδερμηνεία apponatur,) *cum conſequentibus* (dum ratio, cur corrupto hominis arbitrio magiſterium in explicanda Scriptura non concedendum ſit, quia ſcil. non hominis arbitrio ſed divini Spiritus impulſu prolata fuerit, addatur) convenire, adeoque nihil incongrui habere, luculenter ſatis demonſtrat. Ipſe tamen aliam ſibi magis probatam adjungit. Convenit illa notioni, qua ἐπίλυσις pro *diſſolutione* accipitur, ut ſenſus ſit: *Scripturam ſe ipſam non diſſolvere ac deſtruere, ſed, etiamſi diverſis temporibus & a viris diverſis conſignata ſit, ſibi tamen in omnibus ſuis partibus firmiter conſtare.* Probatur hæc ſententia 1) *e veritate ejus abſtracte ſeu in ſe conſiderata*, cum hoc, quod Scriptura ſibi non contradicat ſed ſemper conſtet, unus e præcipuis divinitatis ejus characteribus, & adverſus ſcepticos pro ejus autoritate ac firmitate inprimis urgendus ſit: quod ſcilicet tam varii ac diverſi viri, quorum nullus alium„ exſcripſerit, in ſumma fundamenti harmonia diverſa de rebus„ futuris momenta ipſo eventu comprobata protulerint, ut vel„

„cœcis appareat, omnes eodem Spiritu tanquam auctore primario ductos fuiſſe. 2) *Ex ipſius textus verbis*, cum negari nequeat, ἐπιλύειν ſæpe idem eſſe quod ſimplex λύειν, hoc vero „inter alia ſignificet, ita aliquid ſolvere, ut diſſolutum de„ſtruatur: quo ſenſu de ipſa ſacra Scriptura uſurpetur Matth. „V, 19, Joh. VII, 23, Joh. X, 35, & de Chriſto, ipſum ve„niſſe, ἵνα λύσῃ opera diaboli, 1 Joh. III, 8, & μεσότοιχον τȣ̃ „φραγμȣ̃ Eph. II, 14, ejusque corporis templum a Judæis ſolu„tum iri & deſtructum dicatur. Cum igitur in hac propoſitione, πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως ȣ̓ γίνεται, Scriptura ſubjectum tale ſit, in quod materialis deſtructio non cadat, eam omnino quæ contradictionibus ante dicta deſtruentibus fit, voce ἰδία potius ad ſubjectum in textu expreſſum (Scripturam) quam ad illud quod in mente concipitur (Lectores) relata, intelligendam. 3) *E contextu:* in *antecedentibus* dixerat Apoſtolus v. 19 ſermonem propheticum eſſe βεβαιότερον: inde his firmitatis ejus rationem affert quod ſe non diſſolvat ipſam ac deſtruat; qua locutione negativa contraria affirmativa cum emphaſi ſingulari contineatur: ſcil. quod ſe non ſolum non diſſolvat, ſed potius ſe ipſum perpetua partium ſuarum harmonia egregie confirmet, adeoque dignus ſit, cui tanquam firmiſſimo ſermoni lucentique lucernæ diligentiſſime attendatur. In *conſequentibus* commate proximo Apoſtolus Scripturam ſe non ipſam diſſolvere, *bimembri* probat *argumento*, α) negativo: quia nulla unquam Prophetia ex humana voluntate prolata ſit, adeoque errare & fallere pro teſtimonii humani ratione poſſit, β) poſitivo: quia Scripturæ Propheticæ autorem primarium habuerint ipſum Spiritum Sanctum, qui in teſtibus omnibus ſibi ſemper quam optime conſpiret, ut illorum teſtimonium diverſiſſimis licet temporibus ac teſtibus prolatum, nequaquam ſe ipſum contradicendo ſolvere aut deſtruere queat. His ita declaratis cum tertiam ἰδίας ἐπιλύσεως interpretationem nonnullis pro„batam, qua phraſi e Luc. XXI, 15, Eph. VI, 19, Ezech. III, 15, 16 „petita *divina* vates *ora* non ſuo ſed Dei inſtinctu *reſolviſſe* dicuntur, atque adeo ἰδία ἐπίλυσις de actu prophetiam e Spiritus Sancti inſpiratione proferendi interpretatur, propoſuiſſet; integrum

tegrum Lectori relinquit, quam de tribus iſtis pro convictione ſua ſententiam eligere velit. Controverſias, utpote reſpectu inſtituti hujus exegetici inter non neceſſaria referendas, haut tractavit, rem tamen ipſam, cujus gratia genuina controverſiarum ſuſcipienda tractatio eſt, nimirum Evangelicæ veritatis vindicias & confirmationem, nequaquam neglexit; ſed ubi ea falſis aliorum ſententiis contaminata eſſet, ſolicite repugnavit, eque latebris protractam variis potiſſimum poriſmatibus doctrinæ erroribus oppoſitis paſſim detexit. Ceterum & ſuaviſſimas Johannis Epiſtolas eadem methodo ſe editurum pollicetur.

HISTORIÆ SACRÆ LIBRI VII, IN USUM Scholarum & juventutis Chriſtianæ.

Londini, impenſis Guil. Taylor, 1711, 12.
Plag. 15.

GUil. Nicholſius, vir ob editam a nobisque recenſitam *Collationem cum Theiſta* jamdudum clarus, hiſtoriam ſacram in Scholis negligi dolens, cum nullum reperiret ſcriptorem huic uſui idoneum, (Sulpitium enim Severum, etſi nitido ſermone profluat, ipſam tamen hiſtoriam tam ſicco pede percurrere, ut potius argumenta & prologos ſcripſiſſe, quam hiſtoriam, videatur: recentiores partim librorum magnitudine laborare, partim theologicis perplexos eſſe ſubtilitatibus, partim inquinato uti dicendi genere) tandem incidit in M. Antonium Coccium Sabellicum, quem ſacram hiſtoriam tam pure & eleganter complexum eſſe judicat, ut in Scholis citra aliquem ſolœciſmorum timorem tuto poſſit legi. Verum cum & hujus Autoris opus duobus & nonaginta conſtet libris, Cl. Nicholſius conſilium cepit, ea, quæ ad ſacram ſpectant hiſtoriam, inde excerpendi, præſentique contracta libello uſui juventutis conſecrandi. Diſpertitus eſt hoc opuſculum ſeptem in libros, quorum primus ab orbe condito progreditur ad Abrahami ex Ægypto reditum: alter ad mortem Moſis: tertius ad initium regni Iſraelitici: quartus ad Salomonis Regis mortem: quintus ad Judæorum ex captivitate liberationem: ſextus ad Chriſti nativitatem: ſeptimus idemque poſtremus ad Hieroſolymæ excidium. In hac hiſtoria Sabellicus non ſacris tantum ſcriptoribus

uſus eſt ducibus, ſed & diſerte profitetur *p. 17, 316* & *343*, ſe in hiſtoriæ Judaicæ relatione Joſephum potiſſimum ſequi. Ex quo factum eſt, ut non paucas interſerat hiſtorias, in S. Scriptura quidem ignotas, ſed a Joſepho commemoratas a doctiſque viris compluribus hodie in fabularum numero poſitas. Qualia ſunt, quæ mirabilia narrat *p. 48* ſqq. de Moſis nativitate, conſervatione & educatione rebusque geſtis in Ægypto: *p. 34* de Potipharis uxore, cum ſolenne forte ſpectaculum in regia ederetur, ſubitam ægritudinem cauſata eo conſilio, ut, marito cum omni familia foris occupato, ipſa Joſephi pudicitiam domi expugnaret: *p. 11* de columnis Sethi: *p. 13* de gigantibus diluvio ſimul exſtinctis: *p. 10* de Abele mero lacte litanti. Eſt tamen, ubi a Joſepho diſſentit. Quippe *p. 62* rejicit Joſephi narrationem, tradentis, Pharaoni Iſraelitas inſequenti adfuiſſe L equitum millia & CC peditum: item *p. 151* ejus relationem de inſigni Goliathi proceritate repudiat. Ceterum Livii Curtiique morem imitatus Sabellicus paſſim intexuit orationes a ſemet ipſo ingenioſe compoſitas: inter quas eximia eſt, qua *p. 43 ſqq.* Judas apud Proregem Ægypti Benjaminis fratris pœnam deprecatur. Lectu quoque digna eſt illa, qua *p. 56 ſqq.* Moſes divino juſſu Pharaonem rogat, ut Iſraeliticum dimittat populum: nec minus illa Jonathanis oratio, apud patrem pro Davide deprecantis *p. 155 ſqq.* Illud quoque Cl. Nicholſio aſſentiamur neceſſe eſt, dicendi genus hic reperiri comtiſſimum ac perpolitum. Quanquam non omnino deſunt, quæ ad veterum conſuetudinem exacta probari minime queant: ut cum dicit p. 156 *deſertum:* pag. eadem & 157 *ingratitudo:* p. 12 *perſtarat* pro *perſtiterat.* Sed hujus generis pauciſſima ſane occurrunt. Nec videtur ad Latinæ linguæ indolem ſcite effictum eſſe, cum *p. 48, 151, 257* & *273* Scripturam S. vocat *libros Bibliacos.* Denique juventuti utilius futurum fuiſſet hocce opuſculum, ſi ſub finem adjectus fuiſſet index mendorum typographicorum, quorum nec pauca nec levia ſubinde irrepſere.

APOLOGIA DEL DIARIO ITALICO &c.

i. e.

APOLOGIA DIARII ITALICI R.P. BERNH. MONT-

Digitized by Google

MONTFAUCONII, Monachi Bened. Congreg. S. Mauri, contra Obſervationes FRANCISCI FICORONII, facta a P. ROMUALDO RICCOBALDO, Monacho Bened. Congreg. Caſinenſis.

Venetiis, apud Antonium Bartoli, 1710, 4 maj.

Plag. 13.

EQuidem a ſua, quæ raro exemplo ſummæ doctrinæ conjuncta eſt, modeſtia impetrare non poterat Cl. Montfauconius, ut cauſſam ſuam contra Ficoronium, quem Obſervationes ad Diarium Italicum, a nobis Anno cIɔ Iɔccx Menſe Martio recenſitas, edidiſſe notum eſt, acerbius ageret. Reſponſum enim, quod Diario Gallorum Pariſienſi Anno eodem Menſe Novembri ingerendum dedit, tantæ plenum eſt humanitatis, quantam aliunde ſperare Ficoronius haud facile potuit. Sed quam ei veniam dedit Montfauconius, non æque, ut daret, induci potuit R. P. Romualdus Riccobaldus, Monach. Bened. Congreg. Caſinenſ. qui, amore erga ordinem ſuum exſtimulatus, in Apologia præſenti injurias, quas Montfauconio factas exiſtimat, tanta propellit vehementia, ut, res ipſius ſi ageretur, majori non licuerit. Quid Ficoronius contra moliatur vel forte jam ediderit in lucem, equidem adhucdum neſcimus, tempori, ut illud nos doceat, relinquentes. Quod potiori a nobis Lectores jure poſtulabunt, faciemus, ut, quid impugnatis a Ficoronio reponat Riccobaldus, collata ipſius Montfauconii nonnunquam reſponſione, oſtendamus, ea potiſſimum in exemplorum vicem ſelecturi, quæ allatis ex ſcripto Ficoroniano Anno, quo diximus, in Actis noſtris p. 114 poterunt ſatisfacere.

Initio monet, ſibi minime animum eſſe, quicquid errorum Ficoronius admiſerit, ſigillatim percenſendi, ut quod facere non liceat ei, qui Romæ monimenta, de quibus controverſia eſt, oculis uſurpare præſens nequeat. Nihilominus ad CXXXV uſque ille numerat, quot profecto in libellum perexiguum vix cadere poſſe jure meritoque Lectori videbuntur. Inter illos refert, quod primis duabus litteris D. D. inſcriptionis in Gallia *dedicavit* voluerit Ficoronius notari, ſi vel maxime poſtremæ D. S. D.

in D. S. P. mutentur, qua mutatione admiſſa Montfauconius ipſe concedit, litteras D. D. explicationem illam non reſpuere. Sed Riccobaldus, quemadmodum litteras, ut Montfauconius eas obſervavit, legendas eſſe defendit, ſic easdem mutatas nihil præſidii afferre exiſtimat Ficoronianæ interpretationi, quod verbum *dedicavit* ab initio in priſcis inſcriptionibus nunquam occurrat, neque heic locum habere poſſit, poſtremis litteris D. S. P. antiqua loquendi ratione verbum *poſuit* vel tale quid ſimile ἐλλειπτικῶς ſimul ſignificantibus. In eadem inſcriptione non arriſit Ficoronio, quam Montfauconius dedit, explanatio vocis *Flaminicæ*, quam nomen proprium eſſe concluſit inde, quod nomini officii proprium ubique præmittatur in monimentis veterum. Cui Riccobaldus, nec magnum Scaligerum puduiſſe iſtius ſententiæ, reſpondet, obſervatque ſimilitudinem hujus inſcriptionis cum ea, quam immediate præmiſſam illi in Simeone de Epitaphiis videre eſt, quæ Marci cujusdam Alfii Aproniani *Flaminis* præfert nomen, nec infeliciter, niſi fallimur, conjectat, litteras nominis proprii vel ablatas vetuſtate rupturave lapidis, vel duplex illud D. notam eſſe vocis *Perpetua*, lineolis inferioribus privatam, quæ fuerit P. duplex, ut quemadmodum præcedens apud Simeonem inſcriptio *Perpetuus Flamen*, ſic ſequens *Perpetua Flaminica* habeat. Porro quod templum quoddam Nemauſenſe Pantheon ſit, Montfauconius exiſtimavit; id quaſi Numinis cujusdam Panthei ſedes crederetur, accepit Ficoronius, ſolliciteque docuit, qua Deus ille alia figura exhibeatur. Sed explodit idolum illud Riccobaldus, quidque imagines Pantheae fuerint, ex antiquitatibus oſtendit. Rejicit itidem de æra Chriſtiana ante Seculum ſextum uſurpata obſervationem ex MS. Arabico petitam, ut quod Seculo decimo non antiquius in ſubſcriptione, qua maxime nititur Ficoronius, Interpreti forte minus recte intellectum putat, neque inſuper veretur manifeſtæ impoſturæ crimen illi impingere. Inſcriptionem ſepulchralem & inſignia Pagani Petræ ſanctæ recte in ſuſpicionem a Montfauconio vocari defendit, quamque parum Ficoronius vel Hiſtoriæ, quamvis Jo. Villani alleget, vel inſignibus cognominique, recentioribus inventis, vel numero forma Arabica

bica ſcripto attenderit, oſtendit. Equidem tacitus heic prætermittit, inſignia illa a feſtinante nonnihil forte Montfauconio paulo aliter eſſe delineata, quam Ficoronius delineanda curavit; ſed facile patet in cauſa eſſe, quod operi recentioris ævi temporis tantum tribuere noluit, ut curatius ſingula luſtraret. Displicuit etiam Ficoronio de plumbeo monimento, cui ſigilli nota impreſſa, judicium, quod tanquam rariori ac minus obvia de re tulit Montfauconius. Sed illud indignationi Riccobaldus tribuit, quam conceperit Ficoronius, quod illud minus ſibi cognitum ita facile ex manibus dimiſerit, quaque ratione a numis plumbeis differat, quemadmodum cauſſæ ſuæ ſtudioſus non animadvertere videtur, Lectores docet. Conſimili ratione vindicat pedem ſuccineum, quem ad impoſturam Poloni cujusdam peregrini retulit Ficoronius, teſtimoniis Cardinalis Gualtieri & Blanchini, eumque putat non quidem amuletum, quod Blanchinus voluit, ſed *ἀνάθεμα* eſſe, quod, ut memorem ſe beneficii accepti comprobaret, obtulerit Veneri quidam C. Cæſtinus. Quantum ad inſcriptionem: AÑIAL INGRATIUS &c. h. e. animal ingratius &c. *παρόραμα* heic ipſe Montfauconius in Apologia ſua ingenue agnoſcit, teſtatus, illud ſibi, ſimul Diarium exiiſſet, obſervatum atque correctum etiam in nonnullis exemplaribus. De urnis cinerariis quæ agit reprehenſio, inde orta, quod verba Montfauconii minus cepit Ficoronius, ſortita itidem reſponſionem in Apologia Montfauconii eſt, Riccobaldo de ea nihil in medium afferente. Tuetur is vero de arcu triumphali, quem a Caracalla ex ſpoliis aliorum ædificiorum erectum eſſe credidit Montfauconius, ſententiam, quodque Ficoronius litteras S. P. Q. R. obtendit, ad ſcriptores Hiſtoriæ Auguſtæ provocat, qui declarant, has literas monimentis inſculptas nihil impedire, quo minus referri ad Imperatores etiam poſſint, ac ſubeſſe adulationem, cujus haud infrequens uſus fuerit. Novis autem lapidibus vel marmoribus exſtructum arcum non eſſe, autoritatem peritorum Architectorum adducit, nihil moratus, quod veſtigia ejus rei deprehendere Ficoronius non potuit. Nec eſſe exiſtimat, cur exprobraverit Montfauconio derivationem vocis *Deana ἀπὸ Δεαίνης*, cum illam ſenſus inſcriptionis poſtulet

neque

Digitized by Google

neque repudient alias Viri docti. Salluſtiæ vero nomen matronæ eſſe poſſe, ſtatuam, in qua invenitur, dedicantis, ipſe jam Montfauconius in Præfatione ad Diarium, quam non perluſtravit forte Ficoronius, conceſſit, qui nec in Erroribus poſt Præf. neglexit, SEMONI pro SIMONI in alia inſcriptione legendum, Lectores ſuos commonefacere. Ad urnam ſepulcralem quod attinet, quam Philippus a Turre in Epiſt. ad Montfauconium deſcripſit, contendit Riccobaldus contra Ficoronium, non fuiſſe doctiſſimis Viris tantam monimenti illius obſervatam præſtantiam, neque in delineatione eam apparere, quam ſive Montfauconius ſive Ficoronius attulerint, ut illam ad tempora antiquiora referre oporteat. E trabea latum clavum ſibi fingentem ad Ferrarium de Re veſtiaria ablegat: inſcriptionem negat adfuiſſe, quippe quæ ſi adfuiſſet, non magis quam cælatura injuriam ſenſiſſet temporum. Ipſas Figuras, quæ in ſuperiori urnæ parte conſpiciuntur, Ficoronius exiſtimavit, partim ſpeciem abeuntium præbere ſacrificiis funebribus peractis, partim ad illuſtria defuncti facta celebranda ſpectare. Sed Riccobaldus omnia ad ſtatum animarum in Elyſiis campis refert, quem ita delineare veteres ſolebant, ut optime oſtendit Maffeus de Gemmis antiquis in append. ad Part. IV. Tempus, quo corpora comburi moris fuerit, non tantum ad Alexandri Severi ætatem ſed ad ipſorum Chriſtianorum Imperatorum duraviſſe, ex Macrobio lib. VII c. 7 Saturn. docet.

JAC. FRID. REIMMANNI RECENSIO ſpecialis Bibliothecæ Vindobonenſis a PETRO LAMBECIO & DAN. NESSELIO congeſtæ.

Hanoveræ, apud Nicol. Fœrſterum, 1712, 8.
Alph. 2 plag. 12.

Eſt & illis Scriptoribus ſua commendatio, qui diffuſam *aliorum* diligentiam contrahunt, libroſque, quibus *antiquitas*, exemplorum penuria, aut ipſa moles enorme pretium fecerunt, in novam formam, ut vulgarius habeantur, *transfundunt*. Tulit hoc nomine laudem edito Commentariorum Lambecianorum

Digitized by Google

tum Breviario Dan. Neſſelius, minuitque multum occupato argumento & gloriam & fructum ejus Compendii, quod hic exhibemus. Cum utrique intentio & tractatio eadem, nec niſi in methodo ſit diſcrepantia: contenti data in Actis noſtris A. MDCXCII p. 494 Neſſeliani ſcripti recenſione, hoc loco Prolegomena, quæ ſola Epitomatoris ſunt, excerpemus.

Sub initium ſtatim, ut eſt in laudandis civibus copioſus, primos Germanos fuiſſe, qui Indices librorum conſcripſerint, magnaque hic eſſe Conr. Geſneri, Georgii Villerii & Chriſtoph. Feri merita prædicat. Lambecii Commentarios ab uſu & pretio laudat. Ille §. 1-5.
vel errores vulgares detegit, e. g. Johannem Caſſianum Romanum, non Scytham, ut vulgo credunt, fuiſſe; excerpta Hiſtoriæ Polybii ad Lib. XIX in Bibl. Vindobonenſi ſupereſſe; Canones in Concilio Conſtantinopolitano ſecundo adverſus Origenem & Theodorum Mopſveſtanum datos non periiſſe, ſed Vindobonæ itidem ſervari, &c. vel aliorum notitiam ſupplet, quem uſum §.10-12.
exemplo Homonymoſcopiæ Jo. Molleri, captata adverſarium veterem corrigendi occaſione, Reimmannus probat. Pretium ve- §. 14 ſq.
ro in tantum excrevit, ut 100 thaleris integros emi, ſed rarius inveniri conſtet; unde nec forte, ſi Noſtro credimus, inſpexerunt Scriptores, qui judicaturi de iis lapſi ſunt, Lipenius, Labbeus, Struvius, quorum hic errata emendantur. Ab his, expoſito §. 20.
prius ordine, quem his Commentariis Lambecius deſtinaverat, catalogoq; ſcriptorum, quæ editurus erat, quid in eo reprehendi, quid laudari debeat, expendit. 1) Deſiderat ſtilum, qui verbis §. 21, 22.
minus Latinis infectus, hiulcus præterea ſæpe non cohæret. 2) Methodum; inconſtans enim multa alieno loco poſuit, non neceſſaria attulit &c. 3) Partium ſtudium; inde in Naudæi & Baronii errores mitior, iniquior contra in Pantaleonem & Combefiſium reperitur. 4) Conjecturas audaces, in quibus eo usque proceſſit, ut non Codices ſolum, ſed diplomata etiam numosque ex ingenio emendaverit. 5) Denique errorem Lambecii corrigit, qui Janſonem Ennichelium Johannem vocat, librumque ejus ineditum ſervari ſcribit, quem tamen jam 1618 prodiiſſe obſervavit Wagenſeilius. Contra laudatur Lambecii 1) candor, mi- §. 25-41.

Digitized by Google

mus vere enim dicta, rectiora edoctus ingenue emendavit. 2) Circa autores librosque diligentia. 3) Modestia & ignorantiæ in multis simplex confessio. Ast in Nesselio nec titulum libri, nec stilum, nec methodum, nec illam ipsam, qua placere voluit, brevitatem sibi probari scribit Autor: adeo corrupta, mutila, interpolata esse omnia. Quæ an jure reprehensa, an hic emendata, videant alii.

BARTHOLOMÆI CHRISTIANI RICHARDI Historia Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis ad nostra tempora deducta.

Jenæ, apud Felicem Bielkium, 1712, 8.

Plag. 9.

NEc hujus libelli, qui historiam Bibliothecæ Vindobonensis ex Lambecii Nesseliique Commentariis ad verbum exceptam, nova saltem rerum serie notisque non inelegantibus auctam exhibet, prolixa fiet recensio, potissimis jam in Actis loco proxime citato adnotatis. Hodie Bibliothecæ curam agit Per-Illustris atque Generosissimus Vir, Joannes Benedictus Gentilott ab Engelsbrunn, Eques Tridentinus, A. 1704 huic muneri admotus, cujus merita, honores, illustremque prosapiam fuse sub finem Historiæ nec non in Dedicatione ad eundem leges. Magna de hoc Viro promittunt promta ejus in juvandis aliorum conatibus humanitas, nec minor eruditio, cujus testem Ermoldum Nigellum de rebus gestis Ludovici Pii suis animadversionibus auctum, nec non Catalogum MSptorum Codicum Latinorum & sequioris dialecti propediem evulgabit, ceu ipse horum per litteras spem nobis fecit. Roganda vero sunt fata, ne negatos Antecessoribus labores Viro doctissimo invideant.

HENRICI LEONARDI SCHURZFLEISCHII Notitia Bibliothecæ Principalis Vinariensis, jussu Ducis Serenis. WILHELMI ERNESTI conscripta. Accedunt CLAUDII SALMASII in Chronicon Hieronymi Latinum variæ

variæ lectiones & emendationes, tum & ad Chronicon Eusebii Græcum & alterum Paschale castigationes & animadversiones, passim ex schedis B. Fratris auctæ & locupletatæ.

Vitembergæ, typis Schrœderianis, 1712, 4.
Alph. 1 pl. 15.

SErenisf. Dux Saxo Vinariensis WILHELMUS ERNESTUS, ut nihil, quod ad boni & gloriosi Principis laudem pertinet, in se desiderari pateretur, atque adeo literis non minus, quam Reipubl. consuleret, novam Bibliothecam in aula sua instruxit: cui primo excellentissimum Polyhistorem B. Conr. Sam. Schurzfleischium præfecit, eoque A. 1709 defuncto, fratrem celeberrimum D. Henricum Leonardum substituit. Hic ergo officio suo satisfacturus præsenti scripto notitiam illius bibliothecæ cum Orbe erudito communicare instituit. Antequam ad rem ipsam aggreditur, de ortu, progressu & fatis literarum in Germania erudite præfatur. Et sicut Postelli opinionem non probat, illarum originem a Druidum in Germaniam adventu repetentis, ita illis potius accedit, qui Caroli M. temporibus felicitatem istam vindicant, & de hujus Imperatoris in rem sacram & literariam Germanorum meritis copiose exponit. Cum deinceps Musæ Germanicæ sub Impp. Saxonicis belli potius quam pacis artes colentibus obdormivissent, eas post inventam artem typographicam oculos iterum sustulisse, demonstrat p. 10 seqq. Et ab hoc demum tempore bibliothecæ in Germania comparari cœperunt, inter quas præ ceteris caput extulerunt Palatina, quæ potissimum Ottoni Henrico, Electori Palatino, & Vindobonensis, quæ Friderico III Imp. originem debet. In Saxonia speciatim post Lipsienses & Vitembergensem laudatur Gothana ab Ernesto Pio instituta. Postquam igitur de singulis his nonnulla notatu digna recensuerat Cl. Autor, p. 33 ad ipsius tandem Vinariensis historiam se convertit. Præcipuum illius fundamentum jecit Bibliotheca Logaviensis, maximo Balth. Friderici a Logau L. Baronis Silesii sumptu, & studio indicioque Christiani Gryphii undique collecta, quæ post mortem possessoris emtionis jure ad Serenisf.

 Principem

Principem Saxo-Vinariensem pervenit, cum Lilienheimiana & Principali Jenensi, quæ jam aderant, conjuncta. Postea incrementum ac decus haud vulgare ipsi accessit per optimos quosque libros, a B. Schurzfleischio ex bibliotheca Gudiana selectos atque redemptos, eos potissimum, qui a Viris eruditis cum Cod. MSS. collati & annotationibus adscriptis illustrati sunt. Atque ex his quasi speciminis loco profertur exemplum Chronici Eusebiani ex editione Scaligeriana, quod Claudius Salmasius olim possedit, & notis atque emendationibus in ora chartæ adjectis distinxit. Constat inter eruditos, Chronicon hoc non ita, ut ab Eusebio ipso scriptum fuit, ad ætatem nostram pervenisse, sed Scaligeri cura, ex Georgio Cedreno, Syncello aliisque quasi ex naufragio tabulas colligentis, restitutum esse. Cum vero Hieronymus in vertendo veteri Chronico Eusebiano sæpe non tam metaphrasten, quam paraphrasten egerit, fieri vix potuit, ut Scaliger ejus ductum secutus, omnia ad mentem Eusebii restitueret. Unde facultas aliorum industriæ relicta est, plura partim ex melioris notæ codicibus, partim ex aliis antiquis Chronologis addendi & emendandi. Hoc cum olim Salmasius, præstantissimis bibliothecæ Palatinæ præsidiis adjutus, fecit, tum uterque Cl. Schurzfleischius annotationes ejus, quas integras exhibet, luculentis accessionibus, præsertim ex Jo. Malalæ Chronographia, quam neque Salmasio, nec Scaligero ad manus fuisse, inquit, desumptis auxit; ut doctorum virorum studia excitaret, pariter ac juvaret ad novam & accuratiorem, si fieri possit, Chronici illius editionem adornandam. Ut pauca exempli causa ex his emendationibus repetamus, pag. 11 Chronici Euseb. inter regiones, quæ Semo & posteris ejus obvenerunt, refertur Φυσικὴ περσίς. Ubi Salmasius addit: *lege Φοινίκη & tolle nomen περσὶς e medio. Φοινίκη enim pro Φοινίκη, & inde Φυσικὴ, scriptum est. Funice in Latino vocatur.* Probat hanc emendationem Schurzfleischius & insuper addit, apud Malalam pag. 15 χερονογε. ac in MSS eclogis a Du Fresnio ad Chron. Paschale pag. 494 laudatis inter regiones Semi nominari Φοινίκην πᾶσαν. Unde & l. c. pro vocabulo περσὶς, quod nimis violenter Salmasius e medio tollit, πᾶσα legendum putat. Dubium hoc videri poterat propterea, quod, non

non Semi, ſed Chami, & Chanaanis poſteri Phœniciam poſſederint. Unde apud Stephanum de Urbibus legitur *ἀνᾶ, τοῦτ᾽ ἐςι Φοινίκη*. (Ubi perperam, ut hoc obiter moneamus, Salmaſius legendum putat *Φοινίκης πόλις*, quaſi ſcil. *χνᾶ*, quo nihil aliud, quam Chanaanis regio ſignificatur, urbs Phœnicum fuerit!) Sed opportune monet Scurzfleiſchius, Chami poſteros non ſorte aut ex hæreditate conditoris ſui hanc regionem obtinuiſſe, ſed bello Semi poſteris eripuiſſe. Pag. 12 inter populos a Chamo ortos ſemel iterumque nominantur *Μάκωνες*, pro quo vocabulo Salmaſius ſcribendum cenſet *Μαίωνες*, & recte quidem, cum apud Malalam pag. 15 Chronogr. inter Chami terras *Lydia*, quæ eadem eſt ac Mæonia, ponatur. Inter eosdem populos l. c. nominantur *πισσυνοὶ*, pro qua voce Salmaſius legit *πισίδαι*, quam lectionem denuo Schurzfleiſchius autoritate excerptorum Malalæ præfixorum, tum & Chronici Paſchalis teſtimonio confirmat, ubi inter regiones Chamo ſubjectas *πισιδία καὶ παμφυλία* occurrunt. Pag. 4 Salmaſius ad Scaligerianam *ἱςοριῶν συναγωγὴν* notavit, in exhibita ibi Olympionicarum *ἀναγραφῇ* deſiderari Nicoſtratum, cujus robur celebratur apud Pauſaniam Eliac. L. II c. 21 & Quintil. Inſtit. L. II c. 11. Sed Schurzfleiſchius Nicoſtratum hunc ſibi inveniſſe videtur in paginæ hujus verſu 5, ubi neſcio quis *ςράτος* memoratur, pro quo corrupto nomine Scaliger *ςράτις* ſubſtituit. Nam haud dubie, inquit, in MSS. Africani ſchedis ſcriptum fuit . . . *ςρατος*, pro *Νικόςρατος*, & hujus Nicoſtrati ætatem etiam cum temporum rationibus ibi deſignatis optime congruere docet. Plura ut excerpamus, neque inſtituti ratio permittit, nec opus eſſe videtur, cum ex his facile de ceteris conjectura fieri poſſit. Variæ autem lectiones ad Chronicum Euſebii Latinum ex Codicibus MSS. Palatinis a Salmaſio collectæ, quæ p. 95 ſeqq. proferuntur & novis annotationibus illuſtrantur, iis demum gratæ & utiles fore videntur, qui Chronicon ipſum in manus ſumere & cum excerptis illis integris comparare non gravabuntur. Ceterum animadverſionibus multa ſingularia ad vitam & hiſtoriam Euſebii ſpectantia præmittuntur, & p. 42 ſeqq. inprimis controverſia de Arianiſmo ejus tractatur, ita quidem, ut a ſuſpicione iſta, in quam præcipue a

 Baronio

Baronio, Godello, Binio, Petavio, Lambecio, Wastelio, Nat. Alexandro & Jo. Clerico vocatus est, liberetur.

VARIARUM LECTIONUM ET ANIMADversionum in Livium, a JANO GEBHARDO ex tribus Codd. Bibliothecæ Palatinæ erutarum, specimen, ad Librum I Livii, ed. ab H. L. SCHURZFLEISCHIO.

Halæ, apud Jo. Godofr. Rengerum, 1712, 4. Plag. 5.

JAnus Gebhardus, Ubbonis Emmii Prof. Hist. & Græcarum literarum in Academia Grœningensi successor, cum olim Jani Gruteri, præceptoris sui, concessione, ad Bibliothecæ Palatinæ usum admitteretur, tres antiquos Livii Codices MSS. in ea asservatos inter se atque cum aliis jam impressis comparavit, & ubi discrepantiam aliquam deprehendit, eam magno studio annotavit, suo quoque interdum judicio de vera lectione interposito. Hæ annotationes funesti illius belli tricennalis Germanici calamitate Autori suo ereptæ nescio quo casu in Suffridi Sixtini bibliothecam pervenerunt, inde in Heinsianam, ac Goesianam, tandemque in Schurzfleischianam translatæ. Ne vero diutius in hac delitescerent, ac eruditorum conspectum fugerent, Cl. Schurzfleischius eas in publicam lucem emittendi consilium cepit, quin & B. fratris Conradi Samuelis & Augusti Buchneri notas in Livium hucdum ineditas addere decrevit, si quis bibliopola sumptus in id faciendos suppeditare voluerit. Interea hic speciminis loco exhibet ea, quæ Gebhardus ad Livii Librum I observavit. Atque ex his nos etiam pauca exempli causa excerpemus. Sub finem præfationis pro: *orsis tantum operis*, in omnibus tribus Cod. Palatinis, ut & in edito Campani, legitur: *orsis tanti operis*, atque adeo *orsum* vel *orsa* substantive ponitur, Cap. I pro: *duplex exinde fama est*, in Palat. I legitur: *inde*, in II *deinde*. Cap. III in verbis: *rudimentum primum puerilis regni, τὸ primum* abundare, Gebhardus cum rationibus, tum Cod. Palat. autoritate probat. Cap. VII *cum partem abesse numero* sensisset

ſenſiſſet, pergit ad proximam ſpeluncam. Horum verborum ordinem & interpunctionem Gebhardus mutat & reſtituit h. m: *cum partem abeſſe ſenſiſſet, numero pergit ad pr. ſp.* idque autoritate Codicum Palat. I & II. *Numero* enim idem eſſe, oſtendit, ac *cito.* Sic Varro: *qui cito facturum ſe quid eſſe, oſtendere volebat, dicebat, numero id fore.* Conſentiunt Nonius & Feſtus. Cap. VIII pro *adjiciendæ multitudinis cauſa*, Palat. I legit: *alliciendæ.* Cap. IX *ecquod fœminis quoque aſylum aperuiſſent?* Palat. II convenientius: *qui non fœminis q. a. a.* Ibidem: *cum ſua vice officio functus ſit*, omnes III Palat. cum Campano elegantius: *ſuam vicem.* Cap. XIV *hærens in terga Romanus.* Palat. II *tergo.* Cap. XXI *& ſoli fidei ſolenne inſtituit.* In Palat. II extat: *ſed ſoli fidei* &c. ex quo colligit Gebhardus, aliud quippiam præceſſiſſe, locum non eſſe integrum, atque operam Criticorum in eo emendando fruſtra poſitam. Cap. XXIII *in medium duces procedunt.* Palatini omnes: *prodeunt.* Ib. *quo propiores vos, hoc magis ſcis.* Palatini omnes concorditer: *quo propior es Volſcis.* Cap. XXXII *Numæ Pompilii regis nepos filia ortus*, vocem *nepos* omittit Palat. I, utpote ſupervacuam. Cap. XXXV *centum in Patres legit*; in Pal. omnibus *in* abeſt. Cap. XXXVIII *præſidiumque regiæ afflictæ.* Palat. I *rei afflictæ.* Cap. XLVII *muliebri dono regnum occupaſſe.* Sic Palat. II & III, ſed primus ordine & dignitate, *dolo*, multo ſane aptius. Plura non addimus, cum vel ex his perſpicuum eſſe poſſit, occurrere in animadverſionibus illis, quæ cum ſententiam locorum quorundam in omnibus hucdum editis Livii libris corruptorum reſtituant, tum locutiones nonnullas minus Latinas illi affictas emendent. Et hoc tanto libentius monemus, quod Gronovius, etſi lucubrationis iſtius Gebhardianæ ſibi copiam fuiſſe, in Præfat. ad Livium innuat, nihil tamen eorum, quæ hactenus protulimus, attigit, ſi unicum præfationis Livianæ locum excipias, in cujus fine lectionem Codicum Palatinorum *Orſis tanti operis*, dubium, utrum ex his, an aliunde acceptam, retinuit.

DE

DE M. AURELII ANTONINI ELAGABALI Tribunitia Poteſtate V Diſſertatio; Autore P. D. VIRGINIO VALSECHI, Monacho Benedictino.

Florentiæ, ap. Jacobum de Giuduccis & Sanctem Franchi, 1711, 4.
Plag. 17.

INdignum eſt ob res geſtas hominum memoria impuriſſimi Im-
peratoris Elagabali Imperium, ſed ob hiſtoricas, quibus invol-
vitur, difficultates eruditorum inquiſitione dignisſimum. In
annis ſcilicet Elagabali definiendis mire diſcrepant ſcriptores,
nec cum numis atque marmoribus bene conveniunt, quin &
hæc antiquitatis monimenta ſibi ipſis nonnunquam contradi-
p.3. cunt. Dio Casſius ipſi *annos tres*, *menſes novem & dies qua-
tuor* Imperii asſignat, quas a primo, quo Macrinum vicerat, ſe
computaſſe profitetur. Herodianus *ſexennium* numerat, Eu-
4. ſebius, cum quo faciunt Oroſius, Casſiodorus, Nicephorus, *qua-
tuor*, Lampridius, Eutropius & ambo Victores non omnino *tres
annos*, ut Catalogos Chronologicos a Sylburgio & Dodwello e-
6. ditos taceamus. Canon Paſchalis Hippolyti Dioni conſentit,
dum finem Elagabali ante idus Aprilis A. C. 222. ponit, alius au-
tem lapis ap. Panvinium in Faſtis L. II p. 254 eodem die, quo
in Canone Paſchali Severus Alexander, ſucceſſor Elagabali, jam
regnaſſe dicitur, vivus adhuc Elagabalus & templum dedicans
repræſentatur. Præterea, in quo dubio ſolvendo cardo rei ma-
7. xime verſatur, numi plures *quintam* hujus Imperatoris *Tribuni-
tiam poteſtatem* exhibent, quam attingere non potuiſſe videtur,
ſi Dioni credas & Hippolyti laterculo, cum Tribunitiæ poteſtatis
numerus ſemper cum annis Imperii coincidat. Hinc in partes
etiam ſciſſos videas eruditos recentiores, qui Hiſtoriam anti-
8, 9. quam illuſtrarunt. Oiſelius, Triſtanus, Patinus, Herodiano fa-
vent, Occo Dionem tuetur, quod & omnes propemodum Chro-
nologi faciunt: ab utroque receſſit Mediobarbus, quatuor annos
& menſes aliquot regnaſſe Elagabalum autumans, Imperio Idib.
April. 218 accepto, menſe Septembri 222 amiſſo, quod ſyſtema
ſecutus eſt Vaillantius in *Numis Græcis* pag. 289 Edit. Am-
ſtelod.

Verum

Verum a Dione non recedendum, quin potius ad ejus effatum, quicquid alii varie dicant, exigi debere cenſet Autor, cujus hic habemus Diſſertationem. Etenim vidit is, quæ ſcripſit, & ſumma cum diligentia cuncta ſe conſignare teſtatur ipſe, non reticens, ſi alicubi accuratiori rerum cognitione deſtituatur, quod p. 13
in Alexandri Hiſtoria factum. Denique ſedulus eſt & exactiſſimus in annotandis, præter annos, menſibus etiam atque diebus, 14.
quam ejus præ Herodiano & ipſo alias αὐτόπτη, nec minoris fidei ſcriptore, prærogativam mirum non clarius urſiſſe Valſechium, quippe qui parum de temporum punctis ſollicitus & factorum circumſtantiis enarrandis potiſſimum intentus, numeris rotundis omnia deſignat. Neque contradicunt Dioni vere Lampridius & Eutropius, quos ad tempus, quo Romam venit Elagabalus, ſatis diu moratus in Aſia, reſpicere, ſolide demonſtrat Autor. Quod Mediobarbus & Vaillantius de Elagabalo menſe Septembri occiſo excogitaverant, fundamento deſtitui dicit, & ex Paſchali Canone corruere, quem cum Panviniano lapide ſic conciliat, ut dicat, omnia Elagabalum dedicationi paraſſe, ipſam vero, cum cæde præveniretur, non perfeciſſe. Verum non immerito Noſtrum aliquis obſervavit, vix poni potuiſſe lapidem ejusmodi poſt Elagabali mortem, cum Senatus impuriſſimi hominis nomen ubique ſuſtulerit & eradicare prorſus tentarit, quapropter columna Hippolyti Canonem inſculptum habens poſt ejus Imperatoris necem erecta potius cenſetur. Fortius igitur contra Mediobarbi ſyſtema pugnat Autor doctiſſimus, monſtrando, quod per illud omnis ſequentium Imperatorum Chronologia confundatur. Conciliando nunc Dioni cum numis, qui TR. POT. V. Elagabali habent inſcriptum, dum accingitur Valſechius, eam prius rationem, quam Pagius iniit, examinat. Scilicet putat is in Crit. Annal. Baron. ad A. C. 218 n. 10, Elagabalum ab A. C. 217 vel ſaltem a Kalendis Januariis 218 annos ſuos numeraſſe, qua ratione Idibus Aprilis jam annum Imperii quintum attigiſſet. Anticipaſſe hunc Imperatorem ſuos honores, ex Dione probat Pagius, qui L. 79 narrat, in literis ad Senatum victo Macrino datis eum ſibi nomina Imperatoris, Cæſaris, Auguſti & Tribunitiam poteſtatem ſtatim tribuiſſe, προλαμβάνοντα αὐτά, quod

προλαμβάνειν de anticipatione ejusmodi ratione temporis, a quo numerare inceperit, interpretatus doctiſſimus ille Chronologus.
p. 59. Verum meliorem eſſe Xylandri verſionem, qui reddit, *hæc nomina necdum ſibi decreta occupans*, & cuivis legenti patet & ab Autore noſtro ſatis demonſtratur. Ut autem Kalendas Januarias initium omnium harum dignitatum ab Elagabalo conſtitutum arbitraretur Pagius, per numiſmata quædam inductus eſt ſignata P. M. TR. P. III. COS. III. & TR. P. V. COS. IIII. cum quadrigis Imperatore aurigante, quæ manifeſte ad proceſſus ejus
95. Conſulares pertineant, cum triumphum nunquam egerit. Hoc vero quemadmodum lubens concedit Valſechius, ita falli plane oſtendit Pagium, dum credit, non niſi Kalendis Januariis, quibus Conſulatus inibatur, ejusmodi proceſſus Conſulares fuiſſe habitos, quippe quos ſubinde & vel duodecies uno eodemque anno repeti non fuerit inſoleas, donec Juſtinianus Nov. 105 ultra
97 ſqq. ſeptem non haberi debere conſtituerit. Rejectis denique, quas ad difficultatem hanc ſolvendam Toinardus & Petavius foverant, opinionibus, Autor ſuam ipſius proponit eo redeuntem, ut Elagabalum initium ſui Imperii a morte ipſius Caracallæ, cujus filium ſe jactitabat, deduxiſſe cenſeat. Quam in rem obſervat, nihil non eum egiſſe, ut Macrini memoriam omnibus inviſam redderet, eumque tanquam uſurpatorem Imperii coargueret, ex quo veroſimile ipſi videtur, eum tempus etiam Imperii Macrini ſibi, tanquam legitimo ſucceſſori vindicaſſe, præſertim cum tradat Dio & aliunde conſtet, eum ex faſtis Conſularibus & marmoribus Macrini nomen eraſiſſe, ſuumque ſubſtituiſſe. Iſta ſane ratione facile patet, &, quomodo Scriptores ſupra memorati haud vere inter ſe diſcrepent, cum Dio a Macrino victo, Herodianus retro, uterque non ſine cauſa numerare incipiant, & quomodo in numis TR. P. V ſtare poſſit, ſalvo Dionis calculo. Non occurrit haud dubie Autori doctiſſimo Zoſimi locus L. I C. 10, qui inſigniter conjecturam ejus tuetur, manifeſte prodens, quod uno eodemque tempore poſt Caracallæ necem Romæ Macrinus, in Oriente Elagabalus, tanquam genere Antoninum contingens, ab exercitibus Imperatores fuerint nominati.

Referta eſt hæc Diſſertatio multis aliis ad numorum & mar-

marmorum dilucidationem facientibus argumentis, & , quod difficillimum eſt in materia Chronologicis tenebris involuta, perſpicue ſcripta, quas laudes æqui rerum æſtimatores quicunque Valſechio noſtro non invidebunt.

DECRETA ROMANA ET ASIATICA PRO Judæis ad cultum divinum per Aſiæ minoris urbes ſecure obeundum, ab Joſepho collecta in libro XIV Archæologiæ, ſed male interverſa & expuncta, in publicam lucem utilitatemque reſtituta. Accedunt SVIDÆ aliquot loca in literis α, β, γ, δ ab vitiis purgata ex MSS. Codicibus Academiæ Lugduno-Batavæ ab JACOBO GRONOVIO.

Lugduni Bat. ex officina Luchtmanniana, 1712, 8.
Conſt. pl. $8\frac{1}{2}$.

CUm optime mereantur de bonis litteris, qui ex MSS. melioris notæ codicibus in lucem proferunt, quæ lucem fœnerari poſſunt autoribus, merita laude defraudandus non eſt Cl. Gronovius, jam ope duorum MSS. ex Iſ. Voſſii bibliotheca in Academicam Lugduno-Batavam translatorum, & Joſephum ea parte, qua mutilus adhuc fuit , redintegrans, & Suidam locis non paucis emendans. Nimirum ex Joſephi libro XIV Antiq. Jud. cap. 17 p. 488 editionis Genevenſis & Lipſienſis, poſt verba τυγχάνειν ἐβούλοντο exciderant aliquot decreta Romana & Aſiatica in Judæorum favorem facta, idque, ut Cl. Gronovius judicat, librariorum tædio tot deſcribendi nomina. Jamdudum pollicitus erat ipſe Voſſius *de Sibyllinis oraculis* cap. VIII, ſe hæc decreta ex MS. codice evulgaturum. Neque tamen promiſſo ſtetit, niſi quod in ſuis *ad Catullum obſervationibus* p. 313 Decretum Halicarnaſſenſium publicavit. Integrum igitur fragmentum nunc demum exhibet Cl. Gronovius, in quo continetur 1) SCtum P. Dolabella & M. Antonio Coſſ. ſtatim poſt mortem Julii Cæſaris factum in favorem gentis Judaicæ: 2) Dolabellæ epiſtola ad Epheſios, primariam Aſiæ urbem, in qua Judæis indulget vacationem a militia & liberum religionis exercitium. 3) L. Lentuli Conſulis privilegium Judæis datum de vacatione

a militia : (NB. Duo hæc capita, quæ n. 2 & 3 memoravimus, exſtant jam in editione Genevenſi ac Lipſienſi.) 4) Decretum Deliorum de eadem re : 5) SCta Romana in favorem Judæorum facta : 6) Decretum Pergamenorum, in quo continetur SCtum Romanum : 7) Decretum Halicarnaſſenſium de libero Judæorum exercitio religionis : (Hoc, ut prædiximus, jam editum eſt ab Iſ. Voſſio.) 8) Decretum Sardianorum, & 9) Epheſiorum
p. 26-46. eadem de re. Hæc ſubjunctis notis illuſtrat Cl. Editor, in quibus & docet, hoc ex fragmento diſpelli poſſe magnam illam hæſitationem, quæ adhuc vexavit eruditos de Pauli Apoſtoli civi-
41 ſqq. tate Romana. Nimirum in hoc fragmento ſæpius mentio fit *Judæorum civium Romanorum*. Unde is colligit, jus Romanæ civitatis Judæos pretio emere ſolitos eſſe a Romanis per provincias magiſtratibus, adeoque & majores Pauli pecunia data jus civitatis Romanæ adeptos eſſe. Obſervamus vero, Lentuli Coſ. verba, quibus *Judæorum civium Romanorum* fit mentio, jam exſtare in Joſepho edito. Sæpius quoque in his decretis com-
33-34. memoratur δεισιδαιμονία Judæorum, quod Cl. Editor docet in bonam partem eſſe interpretandum, ut ſignificetur *religio*, non contumelioſe *ſuperſtitio*. Id quod liceat nobis accommodare ad duo N. T. loca, *Actorum XVII, 22* & *XXV, 19*, quæ a multis male redduntur & contumelioſe, cum ſimpliciter *religio* ibi ſigni-
48 ſqq. ficetur. Poſt notas ſuas Cl. Gronovius exhibet eorundem Decretorum verſionem, quæ exſtat in Latina Joſephi editione Colonienſi anni 1524, ſed de cujus monſtroſa fœditate conqueri-
56 ſqq. tur. Hinc ſequuntur ejusdem Emendationes in Suida, in quibus quod Cl. Kuſterum, cujus editionem nos A. 1706 p. 1 recenſuimus, juſto aſperius tractat, more ſuo facere videtur. Ceterum non licet nobis ex hiſce emendationibus, quas optimas ſane fatemur eſſe, multa promere & hic adſcribere. Ne tamen prorſus nihil ex illis Lectori ad judicandum offeramus, tria exempla dabimus. Vulgo apud Suidam in voce ἀπηλλάγησαν ſic legi-
58. tur: Ἀπηλλάγημεν πολυνόσου νοσήματος. Hic vocem νοσήματος pro explicatione adſcriptam invaſiſſe locum vocis a Suida
59. ſcriptæ, nempe πάθους, ex MS. Codice docet Gronovius. Idem in Editorem Cantabrigienſem invehitur, quod vocem Ἀπήμαρ-

τεν

τεν, eo quod nulla eſſet addita explicatio, plane omiſerit: refertque, in ſuo Codice egregie legi: Ἀπήμαρτεν, ἀπέτυχεν. Alibi obſcuriorem Suidæ locum, & ab editoribus magis depravatum, ope ſui Codicis ſanat & illuſtrat, ſimulque Xenophontis locum, quem Suidas innuit, indicat, eundemque pariter emendat. p. 86, ſq.

HISTOIRE DES JUIFS RECLAMÉE,

i. e.

JACOBI BASNAGII HISTORIA JUdæorum ſuo Autori ac priſtinæ conditioni reſtituta.

Roterodami, apud Fritſchium & Bœhmium, 1711, 12 maj. Plag. 20.

CL. Basnagius, Autor Hiſtoriæ Judaicæ gentis, cujus Tomos I & II A. 1707 p. 448 ſq. Tomos vero III, IV & V A. 1708 p. 13 ſq. recenſuimus, ἄνευ προοιμίε, ſed non ἄνευ πάθες, conqueritur de novo plagii genere, quod perpeſſus eſt. Curavit Ludovicus Elias Dupin, (quod creditur) Hiſtoriam illam Pariſiis recudi, ſed truncatam alteratamque, ſuppreſſo Autoris nomine, prætexens omnino utilitatem publicam, quod ſine iſta mutatione egregium opus legi in Gallia non potuerit. Basnagius vero ſummam ſibi & rei literariæ factam eſſe injuriam exiſtimat. Confutatis igitur novi Editoris prætextibus, primum queritur, immutationibus Pariſinis ſignum διακριτικὸν plane nullum fuiſſe adjectum, quo ab opere ipſo diſcernerentur, cum tamen Calmeti Benedictini inſerta Diſſertatio de Judæorum Politia, ejus nomen in fronte gerat. Queritur, errores typographicos Roterodamenſis editionis, nec non ceteros, quos inadvertentem ſe commiſiſſe candide profitetur, retentos in Pariſina, quorum tamen plurimos in Abaco erratorum prioris editionis ipſe jam Basnagius emendaverat. Queritur cumprimis, contradictiones ſuo operi affingi, mutatis quibusdam locis, ceteris vero, quæ in eandem ſcripta erant ſententiam, incolumibus. Basnagius negarat, Cnnſtantinum M. aures Judæis præſcindendas curaſſe; in

Digitized by Google

nova autem editione illud ipſum affirmatur & Autor ſe ipſum refutans inducitur. Idem Ambroſii zelum adverſus Theodoſium Aug. Synagogæ deſtructæ reſtaurationem imperantem culpaverat inque illa cenſura hic perſtat; ſed & hæc Pariſienſis Editor in contrariam mutavit ſententiam. Idem contra Basnagii ſententiam, adductis rationibus ac teſtimoniis affirmaverat, Judæos ante Chriſtum natum adoraſſe Angelos, poſt Servatoris vero nativitatem cultum tunc exceſſibus deformatum, iſto reſpectu improbatum fuiſſe a Paulo ad Coloſſenſes ſcribente, tandemque a Rabbinis prorſus ſublatum. Noſter nihil horum admittit, probatque, Judæos nunquam Angelos adoraſſe, ſuam etiam de origine τῶν Tephillim ab ipſo Moſe petenda ſententiam contra Pinium vindicat. Operoſior eſt in aſſerenda opinione ab Editore Pariſino ſibi erepta, quando ſchisma decem tribuum Deo non fuiſſe exoſum, neque pios ex illis tribubus confeſſores ad cultum Hieroſolymitanum tanquam centrum unitatis adſtrictos fuiſſe, ſenſit, quam mentem, Eliæ ac Hoſeæ cumprimis hiſtoria exaggerata,& hic tuetur. Nec ſegnius vindicat aliam ſibi a Pariſino ereptam hypotheſin,quod videlicet Scribæ fuerint ordinarii legis interpretes,quorum propago, poſtquam cum templo ipſo interierint, Caraitæ merito habeantur, quodque adverſi Phariſæis fuerint, eosdemque pro novatoribus habuerint.

Dehinc luculentis oſtendit exemplis, plurima,etiam veriſſima notiſſimaque, quæ vel de Sanctorum quorundam defectibus,vel de Regum Gallicorum Hiſpanorumq; vitiis vel de Judæorum in quibusdam momentis innocentia vel de Proteſtantium Doctorum geſtis recitata in priori editione fuerint, e poſteriori multa cum affectatione ſublata eſſe. Hic nævos Pugionis fidei Raimondiani repetit; duos ait extitiſſe ineunte ſeculo XVI Judæos, quibus nomen Pepericomiis fuerit, quorum alter qui Halis-Saxonum publico affectus fuerit ſupplicio, cum Reuchlini antagoniſta confundatur: quinque libros Judaicos titulo Nizzachon inſignes,diſtinguendos eſſe, quos Bartoloccius aliique confundant, multaque alia lectione digna commemorat, Cæſarii etiam Arelatenſis Hiſtoria non leviter illuſtrata. Multus præterea eſt in ſtatuminanda hypotheſi ſua, quod priſcum Eccleſiæ Chriſtianæ

ſtianæ

ſtianæ regimen, ipſique adeo Epiſcopi & Presbyteri a gubernatione Synagogæ per Archi-Synagogos & Parnaſim originem traxerint, quippe quam Pariſienſis Editor una litura deleverat. Tum ſuam de miraculis, quæ tentata templi Hieroſolymitani reſtauratione evenerint, ſententiam fuſius exponit, Chronologiam Judæorum illuſtrat, denique contra interpolatorem ſuum variis argumentis tuetur, circumciſionem inter Ægyptios viguiſſe. Inſuper Autorem Diſſertationis de Judæis in Gallia reſtabilitis, contra ſe ſcriptæ & in Pariſinam editionem inſertæ, refutat, disquirens cumprimis de Decurionum veteri officio deque inſcriptionibus aliquot Oxonianis. Cumprimis autem prolixa Basnagio lis eſt cum Montfauconio, qui in obſervationibus ad Philonem ſub Therapevtis Chriſtianos occultari depugnaverat: hunc preſſim refutavit Noſter ſimulque oſtendit, Philonem imperite pro Chriſtiano haberi, Marcum ſero Alexandriæ docuiſſe, Petrum vero non ante Neronis Imperium Romam veniſſe. Therapevtas ab Eſſæis non alia ratione diſtingui vult, quam Eſſæos contemplativæ vitæ addictiores ab Eſſæis activæ vitæ ſtudentibus.

Poſtremo velut per appendicem Cl. Basnagius de numis Ebraicis copioſe diſputat, ratus, omnes quidem ſuppoſitos eſſe, tum illos qui quadratis ſint literis ſignati (quas habet pro Aſſyriacis) propter nimiam, quam præ ſe ferunt, ætatem, tum eos, in quibus Samaritanæ occurrant literæ, (quas pro vetuſtis Ebræorum characteribus habet) eo quod Judæi illas deſeruerint: Qua data occaſione de antiquiſſimis Atyos Lydii & Macedoniorum Regum numis diſſerit. Neque hoc prætermittendum eſt, Autorem in Præfatione peculiari ad alia quædam, quæ hinc inde caſtigata in opere ſuo Judaicæ Hiſtoriæ viderat, reſpondiſſe, v. gr. cur Joannem Climacum Joannem de Climace dixerit; neque tamen ſphalmata inadvertentiæ tum chirographicæ tum typographicæ diffitetur. Scriptori etiam Gallico Diſſertationis de Hiſtoria Judæorum, alterique Anglico obſervationum circa Hiſtoriam Jud. reſpondet, ſuamque cumprimis in cenſendis Patrum, ſigillatim Auguſtini, actionibus ſeveritatem contra illos tuetur.

LES

LES OPERATIONS DE LA CHIRURGIE avec une Pathologie par JEAN BAPTISTE VERDUC, Docteur en Medicine.

Johann BAPTISTÆ Verducks, MED. DOCT. und berühmten Practici in Paris, Chirurgische Schrifften.

i. e.

JOHANNIS BAPTISTÆ VERDUC, Med. Doct. & Practici Parisiensis, Opera Chirurgica.

Lipsiæ, apud Joh. Frid. Gleditsch & Fil. 1712, 4.
Const. utraque Ed. Gall. & Germ. Alph. 4.

POstquam Autor Clarissimus variis hactenus tractatibus suam in Anatomia, Physiologia & Chirurgia peritiam abunde ostenderat, hoc in opere, cujus Germanicam imprimis versionem hic exhibemus, Chirurgiam æque ac Pathologiam plenarie docere sustinuit. In duas vero partes hoc dispescuit, in quarum priori operationes Chirurgicas describit, tumores, vulnera, ulcera, fracturas, & luxationes exhibet, & modum deligandi atque machinarum ope extendendi partes sistit. In posteriori ætiologiam morborum externorum in specie explicat, ordinem analyticum ubique secutus, morbum describendo, signa diagnostica & prognostica enarrando, diætam præscribendo, & methodum medendi commendando. Observationes hinc inde leguntur tam in propria praxi factæ, quam ab Autoribus fide dignis recensitæ, medicamenta etiam describuntur, tam ore sumenda, quam extrinsecus applicanda. Nos pauca cum L.B. ex his communicabimus.

P. I p. 28. A lithotomia abstinere jubet Chirurgos, ubi vesicæ calculum nimiam acquisivisse magnitudinem suspicio est, ne mors acceleretur ægri; idque exemplo probat Sacerdotis cujusdam in nosocomio Parisiensi, quod a Charitate nomen habet, huic operationi subjecti, qui, cum calculus præ nimia mole extrahi non potuerit, paucis diebus post fato concesserat. In ejus vesica
29. inventus fuit lapis 3 uncias ultra 3 libras ponderans. Aliumque

comme-

commemorat calculum in Equite 82 anno defuncto 25 uncia-
rum cum dimidio, in quo aliquot ductus ſeu canales urina
formaverat, per quos libere effluere poterat; cauſam mor-
bi in pravam ægri diætam, vino Hiſpanico & matutinis horis ce-
reviſiæ potu ſaccharo edulcatæ delectati, rejicit. Tumorem, p. 45.
Lupiam alias dictum, pilei figuram referentem & ſuperiorem fe-
moris partem prope trochanterem occupantem, quam fœmina
de collo faſcia gerere cogebatur, refert, eumque ſuperveniente
febre ardente ad ficus usque magnitudinem decreviſſe perhibet.
Modum, quo fonticuli effectum ſuum edunt, explicaturus Au- 100.
tor, ad Chymicos provocat, qui oleum ab aqua ſeparaturi filtrum
chartaceum oleo imbuunt, ut illud ſolum excluſa aqua trans-
meet. Idem circa fonticulos contingere putat; dum enim
humores in libero ſuo circulo a fonticulo impediuntur, ſtagnant,
acorem contrahunt, & eodem poros fonticuli imbuunt, per quos
dein non niſi acidæ particulæ ſanguinis transfluunt, excluſis pin-
guibus & balſamicis. De Anevriſmate dum loquitur, juvenem 209.
allegat, qui ab ictu gladii talem tumorem in arteria carotide con-
traxerat; pro quo curando novam invenit faſciam, illi ſimilem,
quæ ad hernias inguinales adhibetur, cujus globus tumorem
comprimit, faſcia vero elaterem conſtituens ſuper ſcapulam &
ſub axilla ducitur, globoque affigitur. Rachitidis cauſam in in- 364.
æqualem ſucci nutritii & ſpirituum diſtributionem rejicit. Cur
autem pedes incurventur, explicaturus, ſupponit, oſſibus hoc in
morbo de ſuo nutrimento nihil decedere, muſculoſas vero ner-
veas & tendinoſas partes propter ſucci nutritii defectum arefa-
ctas eſſe; hinc concludit, quod, ſi tibia e. g. elongari incipiat,
muſculi nulli augmentationi auſcultantes os tibiæ ex utroque la-
tere retineant, & in arcum flectant; quod ulterius confirmatur
eo, quod oſſa tibiæ illo in latere, in quo muſculi affixi ſint, infle-
ctantur; quod frictiones non in convexa ſed concava oſſium
parte inſtituantur; quod ſpina dorſi pro diverſa muſculorum in-
ſertione in formam literæ S. flectatur; quod oſſa femoris & hu-
meri raro incurventur, quia a muſculis æqualiter ambiuntur &
firmantur, ſed potius incraſſentur; quod in adultis, in quibus
oſſa legitimam conformationem & debitam longitudinem nacta
ſunt, hæc non incurventur. In *Parte II* puellæ mentionem P. II p. 3.

facit 10 annorum hydrocephalo laborantis, cujus caput 27 polli-
ces craſſum erat, facies vero & totum corpus ſceleton infantis
p.12. unius anni cute tectum referebat; nec non pueri, tinea affecti,
& per refrigerantes fomentationes curati, quam vero cephalal-
giæ & convulſiones epilepticæ, eæque lethales exceperunt; poſt
mortem dura mater rubicunda & hinc inde ſubnigra conſpicie-
batur, inter eam & piam matrem, quæ ſublutei coloris erat, li-
quor nigricans & in ventriculis cerebri anterioribus viride-
ſcens lympha inveniebatur; quæ mala procul dubiò diuturno uſui
nimis adſtringentium & repellentium medicamentorum adſcri-
19. benda ſunt. Notatu digna eſt obſervatio de prolapſu oculi, in
quo horæ unius ſpatio ſexies ſuper mediam malam deſcenderat
38. ille, & iterum intra orbitam ſe receperat. Fiſtulæ lacrymalis
theoriam talem tradit Autor clariſſimus: Fiſtula hæc eſt a mate-
ria acri facta exulceratio canalis narium, & per conſequens pun-
ctorum lacrymalium, quæ, cum penitus ſint deſtructa, lacryma-
rum ad nares fluxum impediunt. Præcedit ſemper tumor ſacci
lacrymalis, quia ſucci nutritii in exilibus canaliculis, ex quibus
canalis conflatur, ſtagnant. Quodſi igitur hæc obſtructio non
reſolvitur, liquores in fermentativum abeunt motum, ſaccus la-
crymalis intumeſcit, ductus & canaliculi obſtruuntur, atque tu-
mor tandem ad ſuppurationem tendit, cum quo pure lacrymæ
miſtæ denuo fermentant, & acrimoniam augent. Succeſſu tem-
poris pus membranas dilacerat, exulcerat, particulis ſuis ſalſis in-
durat, & calloſas reddit, oſſaque ſubjacentia, cum ſint admodum
73. tenuia, arrodit. Poſt hæc polypi mentionem facit in juvene, cui
in more ſæpe poſitum fuit, digiti extremitate narium interiora
vellicare & purgare; pedunculi hujus non ſolum ex naribus pro-
pendebant, ſed & ad fauces tendebant, reſpirationis uſum tan-
128. dem intercipientes. Raucedinem poſt exulceratam & deperdi-
tam uvulam non hujus defectui adſcribit, cum columellæ textura
ſpongioſa tremorem aeri & claram vocem conciliare haud queat,
accuſat potius muſculos & cartilagines laryngis ab exulceratione
145. ſimul corruptas & arroſas. Miram & extraordinariam bron-
choceles curam recenſet: Helveto cuidam 40 annorum per
multos annos magno ejuſmodi tumore laboranti forte fortuna

faber

Digitized by Google

faber ferrarius bacillo ferreo ex igne pro clavis cudendis extracto per mediam bronchocelen adigebat, ex quo vulnere multa nodoſa & lapidoſa corpuſcula lentium magnitudine procidebant; ſuppurato dein ulcere liberabatur miſer a malo. Rationem p. 164.
redditurus, cur omne pus ex empyicorum thorace evacuare minus deceat, dicit, quod, ſi omne pus ſimul & ſemel evacuetur, aer penetret, vacuum repleturus locum, qui, cum ſit frigidior pure, obſtructionum, humorum circulationem ſupprimendo, autor exiſtit; imo particulis ſuis acidis fibras nerveas vellicando ſpirituum animalium motum ad affectum locum determinat. Nec minus notatu dignæ ſunt obſervationes, quæ ſequuntur: Eques 164.
juvenis tribus globulis ex ſclopo jactis petebatur, qui prope papillam dextram ingreſſi juxta ſcapulam exitum inveniebant, & dextrum pulmonum lobum tribus foraminibus perforabant. Ex vulneribus & ore multum ſanguinis ſpumoſi profluebat, inde tabe pene conſumtus & medicamentorum uſu pertæſus ter de die lac caprinum hauriebat, quod vulnera conſolidavit, & ægro vires ſenſim reſtituit. Vir quadratus & lepidi ingenii chalybem, qua 183.
coquus cultros acuere ſolebat, deglutiverat, quæ ſexto menſe poſt facto a natura in dextro hypochondrio abſceſſu extrahebatur; altera vice pedem ollæ ferreæ deglutiverat, qui itidem poſt dimidii anni ſpatium ex abſceſſu in ſiniſtro hypochondrio prodibat. Inde cultrum vaginæ incluſum deglutiverat, qui paulo poſt per abſceſſum ſuper vertebras lumbares exitum inveniebat. Tandem bufonem vivum deglutiverat, quem absque noxa poſt horæ ſpatium percuſſo manibus abdomine vomitu reddebat.
Denique de virgine 23 annorum refert, eam prolapſu vaginæ uterinæ laboraſſe, a quibusdam vero pro hermaphrodito fuiſſe habitam, hinc a Magiſtratu Toloſano juſſam a muliebribus veſtibus abſtinuiſſe; poſtquam autem a perito Chirurgo Pariſienſi, Saviard, prolapſus ille fuerat repoſitus, viriles iterum cum muliebribus commutaſſe veſtes. De cetero monendus eſt L. B. Editioni Lipſienſi completiſſimum rerum notabilium indicem acceſſiſſe. 290.

Ggg 2. DE

DE VORTICIBUS COELESTIBUS DIAlogus, cui accedit Quadratura Circuli Archimedis, & Hippocratis Chij analytice expressa; Autore JOANNE POLENO, in Gymnasio Patavino Astronomiæ & Meteororum Professore.

Patavii, typis Jo. Bapt. Conzatti, 1712, 4.
Alph. 1 plag. 5 tab. æn. 7.

Cum ii, qui Dialogum de re aliqua referre constituunt ea methodo, quasi eundem a Viris,(quos fingunt) inter se colloquentibus perceperint, soleant inprimis exponere, quomodo
p. 1. factum fuerit, ut eundem audierint: Autor noster morem hunc non pœnitendum imitatus, sub ipsum libri initium narrationem adornat, in qua refert, quomodo locum, ad quem tres Viri Astronomi jam convenerant, fortuito petierit, & perhumaniter exceptus apud eosdem constiterit, atq; eorumdem de cœlestibus vorti-
3. cibus dialogum audierit. Inde vero ipsa in narratione singulatim eorundem indolem exhibet, ut ea, quæ quilibet diceret, ex ipsius dicentis genio possent prænosci quodammodo, atque distin-
5. ctius haberi. Tandem factam sibi fuisse copiam scribendi ea, quæ exceperat attentis auribus, enarrat: ita hosce Astronomos, habita rerum dicendarum ratione, alternis vicibus colloquentes
8. inducit, quæque sibi animo proposuerat, exponit. Et quidem primo, postquam notavit, antiquos tum Philosophos, tum Astronomos parum de cœlesti Physica solicitos exstitisse, *physicum* cœleste systema Cl. Kepleri breviter, sed haud obscure, describit. Eademque postea methodo de Physica cœlesti Cl. Newtoni, deque Physica cœlesti Cl. Cartesii verba facit. Quibus in medium allatis, dimissaque (non tamen absque laudatione) Kepleri Physica, alterutram Physicam cœlestem, vel Newtonia-
13. nam, vel Cartesianam, haud dubie esse adhibendam, evincit. Cum vero Newtonus ea, quæ proponit, dilucide etiam ex propriis principiis demonstret, quicunque ejusdem principia semel admittunt, in Systemate ipsius necessario quoque conveniunt. Quod porro in Vorticum systemate haudquaquam posse sperari, sane liquet ex plurimis illis controversiis, quæ vigent inter

ter eos, qui ſunt in ſyſtemate eodem majori cum cura atque ſubtilitate verſati. Autor autem noſter controverſias illas diminui p. 15.
ac tolli poſſe hac una ratione arbitratur, ſi phænomena ſingula (ſaltem præcipua) quæ ab Aſtronomis obſervata referuntur, cum vorticum mechanica ſumma fide diligentiaque conferantur. Hanc itaque ſibi a principio Autor propoſuit collationem, ulterius non progreſſurus, cum ea, quæ ex eadem conſequuntur, facile perſpicienda Viris doctis relinquat. Copernicanum ideo 17.
Planetarum Syſtema proponit, & quæ pro eodem Syſtemate ra- 18.
tiones ſunt validiores, in medium affert, addens poſtea quidquid 19.
ſolidioris contra illud dici poteſt; quibus poſitis, rei neceſſitate id poſtulante, Tellurem inter Planetas primarios reponit; ac, moveri primarios omnes circum Solem, conſtituit: quo in motu apparet ætherem illum, in quo innatant primarii, & a quo vortex Solaris componitur, circum Solem cieri oportere. Ætherem vero in partibus a Sole remotioribus tardius circulare 23.
concludit; nam inter primarios ii tempora periodica (quæ ponit) majora habent, qui ſunt etiam conſtituti in majoribus a Sole diſtantiis. Quas diſtantias accurate determinat, atque ex iis- 25.
dem arguit, in quolibet primario duplicem vim eſſe agnoſcendam, quarum altera expellente primarius extrudatur longe a centro, altera gravitativa ad centrum trahatur, unde emanet ex utriusque compoſitione primarii ſuſpenſio in determinata diſtantia. Diſtantias inde varias, maximas nempe, medias, minimasque 27.
primarii cujuscumque exponit, atque conſiderat; rejectisque iis, quæ de inæquali particularum ætheris magnitudine dicuntur, haſce diſtantiarum mutationes a viribus expellente & gravitativa varie temperatis pendere, conſtituit. Poſt quæ in primario- 32.
rum & Solis magnitudinibus adſignandis verſatur; quas dicit, nec a vorticum ſyſtemate pendere, nec ulla inter ſe converti analogia. Cum tamen demonſtraverit, primarios omnes phyſice ab occaſu in ortum Solem circumire, fuſius quærit, an Planetæ a 34.
fluido deferenti velocitatem recipiant æqualem ei, qua fluidum ipſum deferens (ſive æther) movetur, an minorem: tandem fatetur, ſe in illorum ſententiam pertractum, qui Planetas incedere tardius ipſo æthere arbitrantur: tueturque navis ſecundo 36.

flumine deſcendentis comparationem, ac propoſitam ſenten-
p. 39. tiam experimento alio aptiore magis confirmat. Quod etiam
præſtare nititur triplici ratione, quarum primam deſumit ex
ſphærica figura, ſecundam ex inteſtina agitatione partium æthe-
ris, tertiam ex eo, quod alio modo planetariæ ſphæræ, alio autem
æthereo fluido motus communicetur; quas rationes adhibitis
45. Figuris clarius exponit; addens quædam ſuper hac re caute di-
47. ligenterque animadvertenda. Sequitur autem ſermo de Solis
circum axem converſione ab occaſu in ortum, cujus tempus
aliud periodicum, aliud ſynodicum eſſe definit, & ex qua pro-
49. manare vorticis integri converſionem defendit. Vult enim,
ætherem triplici duntaxat ratione in orbem moveri poſſe: vel
quia corpus ætherem circumambiens in orbem moveatur, ſe-
cumq; rapiat incluſum ætherem; at id de Solari vortice dici ne-
quit, nam corpus hoc ætherem circumambiens adſignari non
poteſt: vel quia æther ſe per ſe ipſum torqueat, atque conver-
tat: ſed id quoque non conſtituendum exiſtimat, cum, ob nimis
inæquales Planetarum omnium, & Planetæ cujuslibet motus,
etiam æther ad nimis inæquales motus ſemet ipſum determina-
re deberet, cum huic ſententiæ, re diligenter perpenſa, nec fave-
ant ii, qui eam amplecti videntur, Lacterius, Villemotius, aliique,
cum id ſit a naturæ ſimplicitate alienum, cumque demum id
aliis rationibus non veriſimile eſſe probetur: vel quia (ultimo)
æther moveatur in orbem a centrali corpore (ut aqua a baculo
circum axem rotato in vorticem abit) & hæc ſententia facilior,
naturæ ſimplicitati magis conſona, pluribusque probata videtur,
pro qua maxime faciunt velocitates fluidi elangueſcentes magis
magisque creſcentibus a Sole diſtantiis; unde, Solem eſſe fontem
motus, hoc, gravioribus conſimili, argumento concluditur.
55. Fatetur tamen, atque profitetur, hanc quoque ſententiam ſuis
difficultatibus offici, ſed minoribus, quam duæ reliquæ: ideo
præferendam. Motum vero Soli a nullo extrinſeco corpore impri-
mi affirmat, eundemque non poſſe mechanica ratione explicari,
propterea que ceu principium & cauſam, cujus cauſam aliam
mechanicam adſignare, neque rigidi Philoſophi teneantur, eſſe
58. ex neceſſitate aſſumendam. Quibus poſitis de Primariis, ad
Secundarios, quorum primæ obſervationis hiſtoriam narrat, mo-

tumque

Digitized by Google

tumque circa primarios (correctionis, ut apparet, defectu ſemel non primarios, ſed Solem reliquerunt) ab occaſu in ortum conſtituit, gradum facit. Atque in primis aſſerit, non ſolius Lunæ, ſed omnium ſecundariorum rationem habendam eſſe in perquirenda cauſa phyſica ſecundariorum. Explicationem inde impreſſionis motus Lunaris a Carteſianis & a Cl. Villemotio adhibitam profert; quam ut falſam eſſe probet, proponit, quod, ſi Planetæ circum axem a fluido Solaris vorticis converterentur, converterentur ab ortu in occaſum, quam propoſitionem fuſe rationibus probare, & experimento facili atque certo demonſtrare, maxime nititur. Ubi vero motum illum a fluido Solari non prove- p. 63.
nire conſtituit, eundem a Primariis (quos circum proprios axes, æque ac Solem per ſe ipſos converti ponit) deducit, qui primarii hoc converſionis motu vorticem circum ſe ipſos efficiunt; vortices autem iidem moventur in eandem plagam, in quam primarii, & motu ſuo innatantes ſecundarios in orbem deportant.
Hinc de primariorum motu circum axem ab occaſu in ortum 76.
ediſſerit, & præcipue de diurno Telluris motu in contrarias partes diſputat, eundemque per hypotheſin aſſumit: inde horum 79.
motuum periodos exponit, & Planetarios dari poſſe vortices affirmat experimento atque ratione. Poſtea quaſdam animad- 80.
verſiones ad hanc primariorum converſionem ſpectantes in medium affert. Tempora vero periodica ſecundariorum recenſet; 86.
& ea conſiderat, ut periodica primariorum conſideravit. Idem 87.
de ſecundariorum diſtantiis a ſuorum primariorum centris, cum ſecundariorum quoque ſuſpenſionem intra vortices primariorum in viribus expellente atque gravitativa reponat. At diſtantiarum harum occaſione verba facit de conjecturis, quibus Cl. Hugenius ſuſpicatus eſt, ultra quintum Saturni comitem alios fortaſſe circumvagari, interque quartum, & quintum grandi intervallo diſtantes alium conſtitui. Quarum conjecturarum primam admittit non ſecundam; quia reperit, diſtantias quarti ſatellitis Saturni & quinti in eadem eſſe ratione cum diſtantiis Martis (quarti primarii) & Jovis (quinti primarii) unde, ſi in Primariorum ſyſtemate hæ obtinent diſtantiæ, rationi non repugnat, eaſdem quoque in Saturnino ſyſtemate obtinere: hicque quædam alia digna ſcitu refert ad diſtantias numerumque

ſecun-

p. 94. ſecundariorum ſpectantia. Nec prætermittit diſtantias maximas, medias, minimasque, quas dat & ea proſequitur methodo, qua in ſimilibus primariorum diſtantiis uſus fuit; indicans tamen plura diſtantiarum mutationum ſymptomata in ſecundariis fieri, quam in primariis: puta, cauſa Syzygiarum & Quadratorum.
97. Mox agit de conſtanti ejusdem faciei Lunaris ad Tellurem directione, qua etiam ſecundarios ceteros præditos eſſe opinatur,
99. remque diligenter, atque accurate proſequens, primo de libratione Lunæ in latum diligenter pertractat: ſecundo de libratione in longum dicturus, exponit prius, quando Planetam converti circum proprium axem intelligi debeat, & quando non; qua re expoſita, explicandæ librationis Lunaris in longum rationem optimam in Lunæ circum axem proprium converſione reponit; atque oſtendit, tum ceteras hypotheſes veritati haud conſentire, tum hanc Newtonianam hypotheſin poſſe vorticibus cœleſtibus optime accommodari. Quamobrem conſtantem hanc ſecundariorum directionem enaſci ex eo vult, quod eodem prorſus tempore quilibet ſecundarius & integram converſionem perficiat circum proprium axem (per ſe ipſum, ut dictum fuit de Sole & de Primariis; unde, Planetas omnes converti per ſe ipſos circum proprias axes, ceu univerſale principium aſſumitur) & integrum gyrum circum ſuum primarium ab-
107. ſolvat. Quæ omnia adhibitis Figuris reddit faciliora. Poſtquam autem variarum ſecundariorum magnitudinum quædam attulit indicia, ad alia maximi momenti phænomena ſermonem transfert primariis æque ac ſecundariis communia. Et quidem ſtatim Keplerianam legem, Quadrata nempe temporum periodicorum in eadem eſſe ratione cum cubis diſtantiarum in quovis Syſtemate, ſeu Solis, ſeu Primarii alicujus, proponit atque demonſtrat. In hac re, quam perdifficilem appellat, quid propagatio & diffuſio motus a ſtella centrali per totum vorticem valeat, expendit: ac Newtonianam ſuper hac re Propoſitionem, quæ eſt 52 Lib. 2 Princ. Phi. Math. (quod aureum opus appellat)
114. ceu utiliſſimam tranſcribit. Atque ulterius pro ſui inſtituti ratione pergendo, comparationem facit inter motum ætheri communicatum ab ipſa ſideris centralis ſuperficie, & motum diffuſum ad ætherem usque eum, qui defert aliquem vorticis

ejus-

ejuſdem Planetam; qua comparatione oſtendit, quam motus a
centrali ſidere propagatus reapſe tardior illo ſit, qui requiretur
pro lege Kepleriana ſervanda. Duo deinde contraria huic pro-
poſitioni argumenta refutat, quorum primo Solem nequaquam p. 116.
ſolidum eſſe dicit, ac nihilo minus difficultatem celeris motus
redire, Autor noſter reſpondet. Secundum a Cl. Saurino, qui
non ipſi propoſitioni directe, ſed potius applicationi propoſitio-
nis adverſatur, ex eo deſumitur, quod ætherem in propoſitione
ſua Newtonus omnino fluentem ſupponat, Saurinus contra
modice tantummodo fluentem, atque præditum non exigua
partium cohærentia. Sed aeris tenuitas, quæ creſcentibus a Ter-
ra diſtantiis infinite propemodum creſcit, experientiæ, quæ intra
ætherem (& ſane impurum) in recipienti exhauſto fiunt, Au-
tori noſtro probare videntur aperte, ætherem omnino fluen-
tem & nulla partium cohærentia præditum eſſe. In quibus ubi
fuit Autor noſter fuſe verſatus, concludit, quod ex iisdem appa-
reat, tum Newtonianam, tum Keplerianam legem ſervari, ideo-
que (ſi fieri poteſt) conjungi neceſſario oportere. Poſtea ana- 125.
logiam inter areas radio vectore abſciſſas, & tempora explicat,
nec non Cel. Leibnitii Harmonicam Circulationem, cujus in-
ventionem in Cel. Viri laude ponit. Deſcribit inde Wardi Ana-
logiam inter angulos ad Focum ſuperiorem, & Tempora, ſed ei-
dem primam anteponit. Affirmat vero, longe difficillimum 128.
eſſe, legem Keplerianam ab hac analogia, vel analogiam
hanc a lege Kepleriana deducere. Quod ut confirmet, hypothe-
ſin Cl. Villemotii conſiderat, qui analogiam ex Kepleriana lege
derivare conatus fuit, eoque rem Autor noſter perducit, ejuſdem
principia & ratiocinia dum proſequitur, ut ipſius hypotheſin
admitti non poſſe oſtendat, niſi prius, duos numeros 68 & 55 eſſe 132.
æquales, admittatur. Atque adhuc idem Harmonica Cl. Leib-
nitii Circulatione corroborat, quem vehementer laudat, quia
noluit Keplerianam legem ex analogia propoſita abſque interru-
ptione derivare. Hinc agit de hac interruptione, deque contro-
verſia inter Cl. Viros Leibnitium & Gregory: ac quomodo
fluidum Harmonicam Circulationem concipiat, non inutili ra- 140.
tione conſiderat. Quibus omnibus quid requiratur in ætheris

Digitized by Google

motu, ut recenſita phænomena ſervari queant, proponit. Præ-
ter quæ alia etiam ad ſecundarios ſpectantia animadvertit, quos
pluribus, quam ſint primarii, inæqualitatibus ex neceſſitate ob-
p. 142. noxios eſſe, demonſtrat. A quibus expeditus ad inclinationes
axium vertiginum Planetarum pertranſit, atque actionem actio-
ni magnetis perſimilem, & mechanicam Villemotii explicatio-
nem expendendo, eas minus probabiles invenit; quare opinatur,
Planetas a principio eandem poſitionem jam obtinuiſſe, neque ab
ipſa perturbari, niſi tantum, quantum neceſſe eſt, ut axis ſibi ipſi
quilibet parallelus incedat. Quo de progreſſu multa ediſſerit,
poſitisque figuris illuſtrat. Unum ſane prætereundum minime
eſt, in quo non ſemel verſatur; in hac ſcilicet integra pertracta-
tione Vorticum Planetarum habendam ſemper eſſe rationem,
atque, non ipſa primariorum corpora, ſed primariorum vorti-
150. ces a Solari æthere circumdari, eſſe notandum. Affinem inde
prioribus explicationem adoritur, nempe regreſſus punctorum
æquinoctialium, ubi agit de hiſtoria motus ſtellarum fixarum,
& an ſtellæ fixæ progrediantur, an terreſtria puncta regrediantur,
accurate perquirit: tandemque, regreſſu terreſtrium puncto-
155. rum ſuppoſito, quomodo idem fiat, declarat. His pertractatio-
nem adjungit de inclinatione eorum planorum, in quibus Pla-
netarum orbitæ ſunt, ad plana æquatoria centralium ſide-
rum: unde primo comparat Primariorum plana cum plano
Æquatoris ſolaris; deinde inclinationem plani orbitæ Lunaris
ad terreſtrem Æquatorem explicat, & quantæ mutabilitati ſit
obnoxia, & quomodo eandem ſubeat: quod idem præſtat in
162. ſyſtemate Joviali atque Saturnino. Quibus expoſitis, cur ultro,
citroque Æquatorem centralis ſideris moveantur Planetæ cir-
cumpoſiti, inquirit; expenſisque cauſis adſignatis ab aliis, ipſe
exiſtimat, conducibilius eſſe, duas vires oppoſitas, a quibus al-
ternis vicibus ad Auſtrum & ad Boream Planetæ pertrahantur,
conſtituere: quod adjunctis etiam aliquibus animadverſionibus
166. explicat. Cui explicationi apponit ea, quæ ſpectant ad lineas,
quas Planetæ ſua circumitione deſcribunt: miſſisque Antiquo-
168. rum circulis in ellipſium Apollonianæ, præcipue tamen Caſſinia-
næ natura exponenda incumbit: retenta vero Apolloniana, aſ-
ſumptis-

ſumptiſque temporibus in eadem ratione cum areis radio vecto-
re abſciſſis, inde proprietates virium expellentis atque gravitativæ a ſummis Viris inventas refert, atque ipſe earundem virium in quovis planetariæ ellipſis puncto determinationem adjungit; neque earundem virium cauſas omittit, ſed de iisdem, præſertim de gravitate, pertractat. p. 174.
Ubi, data occaſione, a ſaccharo diſrupto in tenebrico loco lumen emitti, narrat; ipſiusque luminis 177.
phyſicam cauſam proſequitur. Ad ſuum inſtitutum reverſus 180.
cum Streetio Primariorum aphelia (quorum exhibet loca) quieſcere apud fixas ſtellas ſupponit: non ita vero apogæum Lunæ, de cujus progreſſu, & nodorum Lunarium regreſſu poſtquam egit, peractis quodammodo Planetariis rebus, de Fixis ſideribus tractationem adoritur. Atque primo agit de muta- 185.
tionibus, quæ in fixis ſtellis apparent, de quibusdam inſignibus cœli ſitibus, de fixarum ſtellarum motibus. Secundo cauſas mutationum in fixis, differentiæque in cæli ſitibus inveſtigat; & ex fixarum quarundam motibus directis atque retrogradis arguit, Cl. Hugenium conjectura optime fuiſſe aſſecutum, vortices fixarum ſtellarum longe inter ſe diſtare; unde, hiſce poſitis diſtantiis, fictoque circum quamcunque ſtellam Mundo huic noſtro Solari haud abſimile, Univerſi hac in hypotheſi formam brevi deſcriptione molitur. Ultimo demum loco de Cometis, 195.
quibus Dialogo finem facit, pertractat. Eorum alios Meteora aerea, alios Meteora cœleſtia, alios Planetas appellat. De aereis non agit, quoniam ad inſtitutum non ſpectant ſuum. In Meteoris cœleſtibus explicandis Hevelianam (quam breviter deſcribit) hypotheſin adhibet. Fuſius dicit de Cometis Planetis, quos in ſpatiis cœleſtibus iis, quæ vorticibus vacua ſunt, reponit.

Ceterum quod ad Circuli Quadraturam ſpectat, ſeriem exhibet irrationalibus numeris compoſitam, qua differentias inter infinitas figuras æqualium laterum, quas Archimedes circulo inſcriptas voluit, exprimit; cujus ſeriei ſummæ convergentiæ fructum indicat; ſeriem tamen rationalium numerorum Cel. Leibnitii maxime laudat. Deinde exhaurit integrum ſemicirculum methodo deducta ab ea, quam Hippocrates Chius invenit. Sic quadratas reddit infinitas portiones circuli, duobus

Digitized by Google

circulorum arcubus, duabusque rectis lineis comprehensas. Exempli gratia: si in Fig. I omnia assumantur facta ut Hippocrates præcipit, atque insuper intelligatur DE producta in F ita, ut, angulo DFK æquali dimidio angulo DEB, sit quadratum, quod fieret super linea FK duplum illius, quod fieret super EB. Inde centro F, distantia FK, describatur circuli portio KMI: erit spatium ALBKMIA æquale duobus triangulis AGC, CHB, seu dimidiæ differentiæ inter quadratum circulo inscriptum, & figuram octo æqualibus lateribus comprehensam pariter circulo inscriptam. Atque ita, quod series tradita infinitis quoque hisce portionibus exprimendis possit inservire, demonstratur.



Fig. I.

REGLES DES CINQ ORDRES D' ARCHITECTURE &c.

h. e.

JACOBI BAROZZII DE VIGNOLA QUINque Ordinum Architecturæ, cum multis accessionibus MICHAELIS ANGELI BUONAROTI. Denuo revidit, correxit & auxit DURY de CHAMPDORE, antea Architectus Regis Galliæ, nunc Ingeniarius ordinarius Potentissimorum Statuum Belgii fœderati.

Lugduni, apud Petrum van der Aa, 1712, 4.

Constat plag. 10 & 61 figuris æri affabre incisis textuique ipsi insertis.

Cum plerique Architecti *Vignolam* sequantur, a longo jam tempore *Muet*, Architectus Gallus, majoris commoditatis gratia ejus de quinque Ordinibus regulas idiomate sibi vernaculo

Digitized by Google

lo Pariſiis minori forma excudi curavit; quod inſtitutum placuit plurimis, ita ut in alias quoque linguas translatum & eadem forma typis mandatum fuerit opuſculum Architectonicum. In Gallia novam editionem paravit celebris Architectus *le Pautre*, exemplaribus editionis *Muetianæ* omnibus diſtractis; ſed maxime mendoſam. Quare cum multi accuratam deſiderarent; *Dury de Champdoré* a Bibliopola rogatus editionem *Muetianam* aliasque plures cum textu originario Italico contulit & verſionem ei magis conformem reddidit. Quæ ipſe de ſuo addidit, pauca ſunt nec magni momenti. Præmittit nempe explicationem terminorum, quorum in doctrina de ordinibus eſt uſus, atque moduli. Porro p. 16 explicat, quid ſint porticus, pilæ, metopæ, triglyphi, incumbæ. Monet p. 27, triglyphos cum metopis eſſe ornamentum zophori Dorici, quo ab ordinibus reliquis diſtinguitur, & quod extremitatem trabis repræſentet. Similiter p. 36 annotat, volutas eſſe ornatum capituli Jonici, quo a reliquis diſtinguitur. Denique p. 78 & ſqq de origine ordinum ex *Vitruvio* breviter quædam repetit.

NOVA LITERARIA.

CRemæ in Italia, ut Tomo VII Diarii Veneti nuntiatur, ſuperiore anno denuo prodiit Alemanni Fini Hiſtoria Cremenſis Etruſco idiomate deſcripta, in 8, cujus Libri VII priores Ven. 1566, Libri VIII & IX 1567, & Liber X 1578 cum reſponſione ad invectivas Franciſci Zavæ prodierant: acceſſere vero novæ huic editioni quædam ejus poemata & de illuſtribus Cremenſibus conlectanea. Eodem anno Fulginii prodiit in 12 Antonii Baldaſſari liber ſub tit. *Compendioſo Riſtretto delle vite di Perſonaggi alcuni illuſtri per la Scienza, & altri celebri per ſantità e dottrina:* edidit idem A. 1708 *Storia compendioſa dei Concilj generali Ecumenici*, in 12. Neapoli Paulus Matthias Doria, cujus de Vita civili & educatione Principis liber Italicus, de quo ſuo loco dicemus, tribus Voll. in 12 haud ita pridem editus, denuo in 4 recuſus eſt, nuperrime publicavit *Conſiderazioni ſopra il moto e la meccanica de corpi ſenſibili, e de corpi inſenſibili.* Antonius Montfortius, cujus *de diſtantiis & magnitudinibus ſyderum* opus notum, jam novum molitur opus Aſtronomicum, in quo ſingularia de motu planeta-

rum concentrico &c. proponet. Ibidem Nicolaus Creſcentius Tractatum *de motu ſanguinis* & *malis* corporis humani, ut febri &c. & Lucas Antonius Portius libri *de motu corporum in plano inclinato* vindicias, contra Doriam ſupra laudatum, alioſque, qui Galileum, Carteſium & Pardies potius quam Portium ſequuntur, nec non Diſſertationes Italicas de Terræ motu, Termometris, ſalſedine maris &c. ſub prelo habebant. Parmæ Ferdinandus Gallus Bibiena, Ser. Ducis Architectus, *Architecturam Civilem*, Italice, forma auguſta cum figuris elegantisſimis vulgavit. Romæ Jacobus Fatinelli in conſcribenda Cardinalis Turnonii vita occupatur. Auguſtæ Taurinorum Antonius Maria de Turre *Annalium Ordinis Minorum* (quos Lucas Waddingus Voll. VIII in fol. edere cœpit) *Supplementa ab A. 1213 ad A. 1500, ab* Antonio Melisſano de Macro *collecta*, edidit in fol. quem ſperant reliqua ab A. 1500 ad noſtra tempora ſuppleturum.

E Tomo VIII Diarii Veneti diſcimus, Ferrariæ prodiiſſe Thaddæi Cortigiani *Dizionario copioſo di Vocaboli Toſcani, Latini e Greco-Latini*, ibidemque ſub prelo eſſe Franciſci Mariæ Nigriſoli *Conſiderazioni intorno alla generazione de viventi*, e *particolarmente de' moſtri*. Florentiæ Alexander Politus opus multa doctrina elaboratum *de patria in teſtamentis condendis poteſtate* prelo ſubjecit. Mantuæ Joannes Ceva *de Re numaria, quoad fieri potuit, Geometrice tractata*, librum vulgavit A. 1711, in 4. Mediolani Antonii Mariæ Affaitati liber ſat magnæ molis in fol. ſub tit. *Fiori Hiſtorici* prodiit, in quo variæ hiſtoriæ ad ductum alphabeti exponuntur. Neapoli Antonius Galeota, ſeu verius Johannes Baptiſta Balbi, Lucam Antonium Portium contra Vitalem Jordanum, edita *Diſſertatione de momento gravium in planis*, 1711, in 12, tuendum ſuſcepit, ibidemque Nicolaus Amenta, Vir elegantis ingenii, multis imprimis Comœdiis, quas compoſuit, clarus, primam Partem libri *Rapporti di Parnaſſo* edidit, in quo jucunda fictione juſtitiæ & veritatis regulas exponit. Patavii Alphonſus Laſor a Varea opus diffuſum prelo tradidit, cujus titulus: *Univerſus Terrarum Orbis ſcriptorum calamo delineatus, hoc eſt, Autorum fere omnium, qui de Regnis, Provinciis, populis, civitatibus &c. ſcripſerunt, uberrimus*

Elen-

Elenchus &c. Tomis II; idemque Autor, cujus verum nomen eſt Raphael Savonarola, majus etiam opus ſub tit. *Orbis Literarius univerſus*, prelo paratum habet.

Romæ quoque Amicus nobis nuntiavit, mox illic lucem aſpectura Demosthenis Opera, pulcro charactere Græco & Latino expreſſa, curante Jo. Laurentio Lucchеſinio, qui & Notas ſubjecit & præmiſit prolixam Præfationem, in qua, Hieronymi Wolfii verſionem Demosthenis admodum mendoſam eſſe, variis exemplis demonſtrat. Ibidem Abbas Adami novam editionem Operum Libanii Sophiſtæ ſex Voluminibus in fol. parat, quorum primum, quod Orationes editas & ineditas complectetur, hoc anno proditurum ſperamus.

Hamburgi Celeb. Fabricius in adornanda Sexti Empirici editione occupatur, in qua nihil deſiderari patietur, cum & optimos Codices, Cizenſem & Vratislavienſem, & varias Lectiones Codicis Bodlejani, cura Viri doctiſſimi Joannis Hudſoni, obtinuerit. Prodiit nuperrime ejusdem Menologium ſive libellus de menſibus, quo centum propemodum gentium menſes recenſuit atque inter ſe contulit, ſubjuncto Mauritii Senonenſis inedito hactenus Poemate Elegiaco, quo ritus miſſæ ante hos quingentos annos non abſurde pro illa ætate enarravit. Cœpit etiam excudi Codex ejus Vet. Teſt. pſeudepigraphus, & Bibliographia antiquaria, ſive notitia de ſcriptoribus Antiquitatum Hebr. Græc. & Romanarum, Chriſtianarumque.

Brunſvigæ Vir juvenis doctiſſimus, Jo. Chriſtianus Biel in eo eſt, ut gloſſas colligat ex Heſychio, quibus ille V. & N. T. loca expoſuit. Has, cum verſione & obſervationibus Philologico-Criticis edet ſub tit. *Heſychius Sacer.* Quo ipſo, cum in ſingulis paginis difficillimas ex toto ſacro Codice voces explicatas dederit doctisſimus Grammaticus, rarus tamen ſit & ab omnibus conſuli nequeat, non ingratam φιλοβίβλοις operam præſtiturum ſperat. Ea enim occaſione multa illius loca priſtinæ integritati reſtituet, & vindicabit. E. g. oſtendet, pro ψωραλέοντα legendum eſſe ψωραγριῶντα ex Lev. XXII, 22, pro Ἤλατο, Ἥλατο Jud. XIV, 6, pro Ἀνταναίρεται, Ἀνταναιρεῖται Pſ. X, 5, pro Ἐχώλαιναν, Ἐχώλαναν Pſ. XVIII, 45, pro Εὐρί-

ζων

ζων, Ἐυρίζω Pſ. XLVIII, 2, pro Ἐτέκτονον, Ἐτέκταννον Pſalm. CXXIV, 3, pro ἐπὶ τȣ̃ ταύρȣ in v. Σανὶς, ἐπὶ τὴν θύραν Cant. VIII, 9, pro Συμψηθεὶς, Συμψησθεὶς Jer. XXII, 19, XLIX, 20, pro Κατεάθη, Κατεάχθη Jer. XLVIII, 25, pro Καρδίας, θαλάσσης βυθȣ̃, Καρδίας θαλάσσης, βυθȣ̃ Jon. II, 3, pro Ἱμᾶσι, Ἱμᾶσι Act. XXII, 25, pro Καταρτύσαι, Καταρτίσαι 1. Theſſ. III, 10, Hebr. XIII, 21, pro Ἤρεμον, ἥσυχον, Ἤρεμον, ἡσύχιον 1 Tim. II, 2 &c. Oſtendet præterea, male nonnullos in emendando Heſychio proceſſiſſe. Sic Palmerius pro Σεβαμὰ ſubſtituit Σέβασμα; cum tamen ſit vox Hebraica, eademque, qua Heſychius producit, forma occurrat Jeſ. XVI, 8. Idem pro Σταθμὸν, ἔχατον Heſychium ſcripſiſſe ſuſpicatur: Σταθμὸς, ἕκατον ςάδιοι; cum potius reſpexerit ad illa Jeremiæ: Τὶς δώη μοι ἐν τῇ ἐρήμῳ ςαθμὸν ἔχατον; c. IX v. 2. Quamvis explicatio Grammatici hic deſideretur, Librarii incuria procul dubio omiſſa. Ut & alibi factum. Reſtitui autem poſſe videtur ex v. Σταθμῶν hunc in modum; Σταθμὸν ἔχατον, τόπον ἔυθα ἀναπαύεταί τις. In Κνίζων pro συκάμινα Sopingius legit κύμινα. Sed fallitur. Heſychius enim exponit locum Amoſ. VII, 14, ubi Propheta appellatur κνίζων τὰ συκάμινα. Rurſus falli videtur, quando pro Τριχῶσαι legit Ταριχῶσαι. Reperit enim Noſter, Τρίχωμα Ezech. XXIV, 17 uſurpari de tali capitis operimento, quo in luctu velati proceſſerint. Inde igitur Τριχῶσαι pro ſepultura ipſa metonymice adhiberi putat. Sed vel ex his patet, quantum ex eo libro utilitatis ſit ſperandum.

LECTORI.

Prodit cum hoc Menſe Suppl. Tomi V Sectio VII, in quam rejicere neceſſe fuit Cl. Valliſnerii Epiſtolam poſteriorem ingenioſiſſimam de generatione vermium, quam huic Menſi Sept. nos inſerturos, M. Aug. p. 355 ſpondebamus. Ceterum in eodem M. Aug. p. 354 lin. 21 lege coralloidem, *p. 355 lin. 22 l.* Dobrzenski, *lin. 23 & 31 l.* Scarabicio, *lin. 25 l.* Italia, *p. 357 lin. 10 poſt* ætheree *adde* circa planetas revolutæ, *& lin. 18 poſt* vertigine *adde* ſimulque vi centrifuga.

N. X.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Octobris, Anno M DCC XII.

THE LIFE AND ACTS OF MATTHEW PARKER.

h. e.

VITA ET RES GESTÆ MATTHÆI PARKERI, Archiepiscopi Cantuariensis primi sub Regina Elisabetha, Libris IV. Addita est Appendix, Apographa plusquam centum monimentorum, Epistolarum, Relationum, Schedarumque continens, ex quibus Historia hæc partim compilata est, partim asseritur & illustratur; Autore JOHANNE STRYPE, M. A.

Londini, apud Jo. Wyat, 1711, fol.
Alph. $8\frac{1}{2}$.

NOn ignobile producimus V. Cl. Johannis Strypii nomen, quem de Ecclesiastica Literariaque Angliæ Historia præclarissime hactenus meritum fuisse, præter Annales Reformationis in Anglia per priores duodecim Regni Elisabethæ annos, nec non Vitam Joh. Aylmeri, Lond. tempore Elisabethæ Episcopi, vel ea, quæ in Actis his recensuimus, opera, Vita quippe Thomæ Cranmeri, de qua diximus A. 1694 p. 315, Vita Thomæ Smithi, A. 1699 p. 462 memorata, denique Vita Johannis Checi, A. 1707 p. 188 producta, affatim testantur. Cui instituto laudatissimo hanc quoque, quam nunc exhibemus, Reverendissimi Celeberrimique Angliæ Primatis, æterna inter eruditos memoria digni, Vitam debemus, summa industria collectam, elegantissimoque authenticorum documentorum apparatu ornatam, ut nihil, quod vel ad certitudinem vel ad jucunditatem, vel ad utilitatem historiæ hujus spectat, desiderari posse

 videatur.

ζων, Ἐυρίζω Pſ. XLVIII, 2, pro Ἐτέκτονον, Ἐτέκταννον Pſalm. CXXIV, 3, pro ἐπὶ τȣ̃ ταύρȣ in v. Σανὶς, ἐπὶ τὴν θύραν Cant. VIII, 9, pro Συμψηθεὶς, Συμψηθεὶς Jer. XXII, 19, XLIX, 20, pro Κατεάθη, Κατεάχθη Jer. XLVIII, 25, pro Καρδίας, θαλάσσης βυθȣ̃, Καρδίας θαλάσσης, βυθȣ̃ Jon. II, 3, pro Ἱμᾶσι, Ἱμᾶσι Act. XXII, 25, pro Καταρτύσαι, Καταρτίσαι 1. Theſſ. III, 10, Hebr. XIII, 21, pro Ἤρεμον, ἥσυχον, Ἤρεμον, ἡσύχιον 1 Tim. II, 2 &c. Oſtendet præterea, male nonnullos in emendando Heſychio proceſſiſſe. Sic Palmerius pro Σεβαμὰ ſubſtituit Σέβασμα; cum tamen ſit vox Hebraica, eademque, qua Heſychius producit, forma occurrat Jeſ. XVI, 8. Idem pro Σταθμὸν, ἔσχατον Heſychium ſcripſiſſe ſuſpicatur: Σταθμὸς, ἕκατον ςάδιοι; cum potius reſpexerit ad illa Jeremiæ: Τὶς δώη μοι ἐν τῇ ἐρήμῳ ςαθμὸν ἔσχατον; c. IX v. 2. Quamvis explicatio Grammatici hic deſideretur, Librarii incuria procul dubio omiſſa. Ut & alibi factum. Reſtitui autem poſſe videtur ex v. Σταθμῶν hunc in modum; Σταθμὸν ἔσχατον, τόπον ἔνθα ἀναπαύεταί τις. In Κνίζων pro συκάμινα Sopingius legit κύμινα. Sed fallitur. Heſychius enim exponit locum Amoſ. VII, 14, ubi Propheta appellatur κνίζων τὰ συκάμινα. Rurſus falli videtur, quando pro Τριχῶσαι legit Ταριχῶσαι. Reperit enim Noſter, Τρίχωμα Ezech. XXIV, 17 uſurpari de tali capitis operimento, quo in luctu velati proceſſerint. Inde igitur Τριχῶσαι pro ſepultura ipſa metonymice adhiberi putat. Sed vel ex his patet, quantum ex eo libro utilitatis ſit ſperandum.

LECTORI.

Prodit cum hoc Menſe Suppl. Tomi V Sectio VII, in quam rejicere neceſſe fuit Cl. Vallisnerii Epiſtolam poſteriorem ingenioſiſſimam de generatione vermium, quam huic Menſi Sept. nos inſerturos, M. Aug. p. 355 ſpondebamus. Ceterum in eodem M. Aug. p. 354 lin. 21 lege coralloidem, *p. 355 lin. 22 l.* Dobrzenski, *lin. 23 & 31 l.* Scarabicio, *lin. 25 l.* Italia, *p. 357 lin. 10 poſt* ætheree *adde* circa planetas revolutæ, *& lin. 18 poſt* vertigine *adde* ſimulque vi centrifuga.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno M DCC XII.

THE LIFE AND ACTS OF MATTHEW PARKER.

h. e.

VITA ET RES GESTÆ MATTHÆI PARKERI, Archiepiscopi Cantuariensis primi sub Regina Elisabetha, Libris IV. Addita est Appendix, Apographa plus quam centum monimentorum, Epistolarum, Relationum, Schedarumque continens, ex quibus Historia hæc partim compilata est, partim asseritur & illustratur; Autore JOHANNE STRYPE, M. A.

Londini, apud Jo. Wyat, 1711, fol. Alph. $8\frac{1}{2}$.

NOn ignobile producimus V. Cl. Johannis Strypii nomen, quem de Ecclesiastica Literariaque Angliæ Historia præclarissime hactenus meritum fuisse, præter Annales Reformationis in Anglia per priores duodecim Regni Elisabethæ annos, nec non Vitam Joh. Aylmeri, Lond. tempore Elisabethæ Episcopi, vel ea, quæ in Actis his recensuimus, opera, Vita quippe Thomæ Cranmeri, de qua diximus A. 1694 p. 315, Vita Thomæ Smithi, A. 1699 p. 462 memorata, denique Vita Johannis Checi, A. 1707 p. 188 producta, affatim testantur. Cui instituto laudatissimo hanc quoque, quam nunc exhibemus, Reverendissimi Celeberrimique Angliæ Primatis, æterna inter eruditos memoria digni, Vitam debemus, summa industria collectam, elegantissimoque authenticorum documentorum apparatu ornatam, ut nihil, quod vel ad certitudinem vel ad jucunditatem, vel ad utilitatem historiæ hujus spectat, desiderari posse

videatur. Complectitur vero Liber primus geſta Matthæi Parkeri a prima ætate usque ad id tempus, quo infula fuit donatus. Natum Norvici A. 1504 Cantabrigia, ac imprimis quidem Corporis Chriſti, quod ibidem eſt, Collegium fovit, ac bonis artibus enutrivit, imo purioris quoque fidei, quæ occulto creſcebat ævo, primo ſenſu imbuit. Paulo poſt frequenti concione aulæ innoteſcens, A. 1534 Annæ Bolenæ Reginæ, mox A. 1536 ipſi Regi a ſacris eſſe juſſus, Regi ita ſe probavit, ut ejusdem honorificentiſſima commendatione ſuffultus, Corporis Chriſti Collegio Cantabrigienſi daretur Præfectus. Cui muneri cum novem annos cum laude præfuiſſet, funeſta, quæ regnante Maria purioris fidei aſſeclas opprimebat, perſecutionis iniquitas noſtrum quoq; qui jamtum uxorem duxerat, hoc pariter, & reliquis muneribus ſpoliabat. Eam vero ſortis ſuæ iniquitatem ut digna Chriſtiano patientia ac ſumma animi hilaritate tulerit, imo ſuperaverit, docent, quæ diario ſuo propria manu iſto tempore ſubinde adſcripſit, mentis, nullo privatæ vitæ omnique fructu aut nutriendæ familiæ ſubſidio deſtitutæ tædio fractæ, documenta, inſerta Append. p. 15. Poſtquam ita delituiſſet per quinquennium, ſubita rerum omnium converſio, quæ a Mariæ morte in Anglia facta eſt, noſtrum quoque mirum quantum repente ac de inſperato ad celſiſſima evexit. Vacuefacta enim per Reginaldi Poli, Purpurati, mortem ſede Cantuarienſi, Regina Eliſabetha neminem ſibi viſa eſt poſſe invenire, provinciæ tanti momenti ornandæ aptiorem, noſtro Parkero. Quo conſilio cum in aulam eſſet evocatus, quantopere cunctando, deprecando, denique nihil non agendo id declinaverit, ac ab eo abhorruerit, toto Cap. VIII Lib. I curioſe refertur. At quantumcunque invitus ac renitens, cedere denique debuit pertinaci Reginæ voluntati deſiderioque, nominatus anno 1558, qui Archi-Epiſcopalem ſedem repleret. Quam quidem ſedem quo veluti horrore mentis Vir optimus adierit, teſtantur, quæ die conſecrationis ſuæ diario modo memorato inſeruit: *Heu, heu! Domine Deus, in qua tempora ſervaſti me! Jam veni in profundum aquarum, & tempeſtas demerſit me. O Domine, vim patior, reſponde pro me, & ſpiritu tuo principali confirma me! Homo enim ſum, & exigui* *temporis*

temporis & minor, &c. Sane autem vel ante conſecrationem ſuam ſpiritus plane imperterriti eum dediſſe ſpecimina patet ex libello ſupplice, quo apud Reginam interceſſit, ne reditus Eccleſiaſtici, ut fieri cœperat, in alios converterentur uſus, nec non ex gravi ſeriaque, qua Reginæ, ut e ſacello ſuo candelarum conſecratarum & imaginis Crucifixi uſum, qui populo ſit ſcandalo removeret, perſuadere conatus eſt, admonitione. A conſecratione noſtri primum regiminis Eccleſiaſtici ab eo geſti quinquennium perſequitur Liber II. Illa vero facta eſt d. 17 Decembris A. 1559 a quatuor Epiſcopis, Guil. Barlow, olim ſub Eduardo VI Epiſcopo Bathonio-Wellenſi, nunc electo Ciceſtrienſi, Joh. Scory, olim Ciceſtrienſi, nunc electo Herefordienſi, Coverdalio, olim Exonienſi, & Joh. Hodgkin, Suffraganeo Bedfordienſi, ad hunc actum a Regina vocatis nominatisque, cujus rei ceremoniæ prolixe deſcribuntur. Statim ipſe aliis Epiſcopis conſecrandis vacavit, cumprimis vero diligentiſſimis cum Diœceſeos, tum Provinciæ ſuæ viſitationibus ſtatum Eccleſiarum exploravit, piæque pro Eccleſiæ bono ſollicitudinis teſtimonia dedit Liturgiæ publicæ mutationibus quibusdam, pro replendis ſedibus Epiſcopalibus in regionibus Angliæ aquilonaribus gravi interceſſione, de gradibus prohibitis publicata admonitione, denique, ne, ut hactenus per penuriam miniſtrorum Evangelii factum erat, illiterati, ac illiberalibus artibus imbuti ſacris ordinibus admoverentur, gravi interdicto. Ejusdem curæ neſcio an maturus ſatis fructus fuerit epiſtola a noſtro Parkero, Grindalo Londinenſi, & Coxio Elienſi Præſule A. 1560 ad Reginam ſcripta, qua matrimonium ipſi perſuadere conabantur. Habes eam in Appendice p. 26, 27, ubi videas eos ſatis libere Reginam alloqui: *Noſtri*, inquiunt, *officii ratione ducti, optamus propediem Te, Regina, videre benedictum conjugii ſtatum ingreſſam, rem, qua & Tuæ Majeſtatis ſecuritati & civium ſpei perfecte atque unice poteſt conſuli. Ii ſane civium, qui non ſatis æquo animo Tuo regimini parent, non habent, in quo ſpes ſuas tutius collocent, niſi hanc moram. Nos itaque, Regina, non conſiliarios Politicos, ſed Chriſti miniſtros, debita vigilantia nunc agimus, orantes, habeas iſtam ſinceræ doctrinæ, Chriſtianæ unitatis, populique tui ſalutis per exoptatam*

Append. p. 16.

L. I c. IX p. 46.

L. II c. I.

III, IV.

tuæ prolis ſucceſſionem perpetuandæ curam, redditura rationem juſto judici, ſi ordinaria ac divinitus inſtituta bujus rei media neglexeris. Adduntque poſt pauca: *Id liceat profiteri, nos, donec fortunatam iſtam lucem affulgere nobis viderimus, nunquam quietum habituros animum ad munera noſtra perfecto cum gaudio eaq; mentis tranquillitate, quam optamus, obeunda.* Quæ quidem res, tantum abeſt, ut Reginæ conjugium perſuaſerit, ut ipſa paulo poſt, cum A. 1561 per æſtatem Eſſexiam & Sudofolcam peragrans, miniſtros rei uxoriæ deditos inveniret, publico mandato Canonicos Eccleſiarum cathedralium uxores alere vetaret, ipſiq; Archi-Epiſcopo præſenti graviſſimam adverſus miniſtrorum Evangelii matrimonia indignationem ſignificaret, *pœnitentia ſe duci* profeſſa, *ipſum cum aliis Epiſc. ad hoc munus eſſe delectos, qui uxores haberent, acriterque optare, res aliter fuiſſe conſtituras.* Qua de re triſtes Parkeri ad Guil. Cæcilium Secretarium literas habes in Append. p. 29, 30. De Synodo A. 1562 habita ad Annales Reformationis ſub Eliſabetha nos remittens Autor pauca hic habet, præter Epiſtolam Archi-Epiſcopi, qua in urgendo jurejurando de ſupprematu æquanimitatem ac moderationem reliquis Præſulibus ſuadet, ac judicium ejusdem de nonnullis Epiſcopis, qui in Synodo ipſi magis innotuerant, quos queritur eſſe *plenos rimarum, hac atque illac effluere.* Annus 1564 initium conſtituit funeſtum fatalium, quæ etiamnum Eccleſiam Anglicanam exercent, controverſiarum. Juſſus enim ſemel iterumque Archi-Epiſcopus a Regina ubique in Eccleſiis conformes habitus miniſtrorum, ritus, ceremoniasque introducere, dici non poteſt, quam alienos ab iſtis, quas vocabant, *Papatus reliquiis* invenerit animos plurimorum. Legi merentur graves & pereruditæ, quas Pilkingtonus, Epiſc. & Wittinghamus, Decanus Dunelmenſis, adverſus iſtum Conformitatis rigorem ad Comitem Leiceſtrienſem exararunt, literæ, quæ in Append. p. 40 & 43 exhibentur. Quibus reſpondet non minus elegans Thomæ Sampſoni & Laurentii Humfredi, illius Decani Ædis Chriſti, hujus Præſidis Collegii Magdalenenſis apud Oxonienſes, ob recuſatam conformitatem accuſatorum, ad Archi-Epiſcopum & reliquos Commiſſarios Epiſtola. Quo modo & Lib. II Caput XXIII fere totum quæſtionibus & reſponſionibus de

C. IIX p. 107, 108, 109.

C. XII p. 125, 126.

de habituum rituumque olim idololatricorum licito vel illicito in Eccleſia uſu ab ipſo Archi-Epiſcopo compilatis, nec non inter ipſum & modo memoratos Duumviros, quin etiam olim inter Bucerum & Joh. a Laſco agitatis, abſolvitur. Neque quidquam C. XXV. de libro II addituri eramus, niſi vel verbo memoranda videretur p. 179, 180. Brevis, ſed curioſa, quam Cl. Autor occaſione translatæ eo tempore a Fœmina illuſtriſſima Anna Baconia Apologiæ Joh. Juelli, de fœminarum Anglicanarum ejus temporis in literas bonas affectu atque in iis ſingulari progreſſu, fecit, digreſſio. Pergimus vero ad Librum III, quo alterum Archi-Epiſcopatus a noſtro geſti quinquennium ediſſeritur. Enimvero A. 1565 tam fortiter urgebatur Conformitatis negotium, ut in utraque Academia miræ inde L. III c. III. orirentur conteſtationes, &, *quod temporis antehac artibus & ſcientiis ſolebat tribui, id tum futiliſſimis de lana caprina altercationibus Cantabrigiæ falli & conſumi*, quereretur nonnemo in literis ad Guil. Cæcilium, quas exhibet Autor in Append. p. 74. VI. Ac, quanquam Præſul noſter cum aliis hoc & ſequentibus annis nova Bibliorum Verſione occuparetur, præcipuas tamen ipſi ac perpetuas de Conformitate rituum & veſtimentorum incubuiſſe, curas dicam, an tædia, ſatis patet. Imprimis e Clero Londinen- VIII, IX, X. ſi non pauci neque de vulgo miniſtri cum renuerent obſequi mandatis, munere movebantur, ac Liber Admonitionum (*Advertiſements*) ab ipſo Archi-Epiſcopo jam ante annum compoſitus, regulas rituum veſtiumque ſacrarum complexus, publica autoritate emittebatur, cujus libri exemplum habes in Appendice p. 47 ſqq. Interea ab utraque parte prelum fervebat libellis pro Conformitate & contra illam procudendis, inter quas lectu inprimis digna eſt *Brevis & lamentabilis habitus a Clero nunc uſurpati conſideratio*, quam Coxio Elienſi aut Juello Sarisberienſi Præſuli deberi, ratus Autor, Append. inſeruit p. 80 ſqq. quam excipit celeberrimi tum temporis Viri Joh. Foxii ad Commiſſarios rei Eccleſiaſticæ eadem de re ſcripta inſignis Epiſtola. Tum vero Eccleſia quoque Scotica viſa eſt turbis Anglicanis commoveri, quanquam magis inclinans in partes Puritanorum, eosque, quos reliqui conſervari quam maxime cupiebant, ritus tantum non penitus rejiciens & damnans. Teſtes habemus ejus rei literas

die 27 Decembris A. 1566 nomine *Miniſtrorum & Presbyterorum Eccleſiarum intra Regnum Scotiæ, Edinburgi congregatorum, ad Fratres ſuos, Epiſcopos & Paſtores Angliæ, qui Romano Antichriſto renunciantes, cum ipſis Jeſum Chriſtum ſincere profitentur*, datas,
c. XIV. in Appendice comparentes p. 83. Eodem A. 1566 memorabile eſt, in Anglia Turcarum invaſionis in Hungariam eam rationem fuiſſe habitam, ut Archi-Epiſcopus peculiares ea de cauſa precum formulas in Eccleſiis ter hebdomadatim uſurpandas componeret. Ac quandoquidem ad bellica hoc modo devenimus, non ſupervacaneum erit monere, Reginam A. 1569, cum externus ab Hiſpania, internus a gliſcente in Septentrione civili bello immineret
XXI. metus, univerſo Clero, velut ſub Mariæ Regno factum erat, injunxiſſe, ut ab equis armisque, habita ditionum, quas poſſideret unusquisque, ratione, inſtructos paratosque ſe tenerent, cujus rei in Diœceſi Cantuarienſi diſtributio hic additur. Ut alia nunc taceamus, quæ, ſi, prolixius ediſſerenda ſint, limites inſtituti noſtri egrederemur. Supereſt Liber IV, quem in duas veluti partes
L. IV. diſpeſcuit Cl. Autor. Priori ultimum quinquennium Præſulis noſtri enarratur, & quidem A. 1571 Synodus habita, in qua Articuli XXXIX, jam A. 1562 publicati, denuo approbati & ut ab omnibus
c. V. ſubſcriberentur, autoritate publica muniti fuere. Quos motus animorum apud Præſulem noſtrum aliosque in Anglia feralis nuptiarum Pariſienſium nuntius dederit, ſequentis anni hiſtoria apud Autorem noſtrum docet, additis in Appendice p. 108 ſeqq.
X. Bulla Gregorii XIII P. P. Jubilæum ea de cauſa indicentis, nec non Pontificii cujusdam Germani de abſorbendis nunc uno hauſtu hæreticis conſilio, qui quidem motus tanti fuere, ut eodem an-
XI. no ſolennes ac publicæ preces pro ſecuritate Reginæ, nec non pro iis, qui perſecutiones tum patiebantur, Proteſtantibus Gal-
XV, XVI, lis, Liturgiæ conſuetæ adderentur. Eodem plane anno fervere
XVII. cœperant cum Pontificiis controverſiæ, quorum quidem inter Anglos anteſignanus, Nicolaus Sanderus, S. I. profugus ex Anglia, & plerumque in aula Hiſpaniarum Regis Philippi II degens, edito libro *de Viſibili Monarchia*, res cum politicas tum Eccleſiaſticas Angliæ aterrimis calumniis proſciderat, refutatus cura Archi-Epiſcopi noſtri a Bartholomæo Clerk & Georgio Ackworth.

Digitized by Google

worth. Qua occaſione non indignum erit memoratu, tanti nominis inter profugos ex Anglia Pontificios hunc Sanderum fuiſſe, ut datis ad Philippum Regem Hiſpaniarum ex urbe Bruxellenſi literis ab eo contenderent, ut literis commendatitiis apud Pontificem id ageret, quo Sanderus purpura Cardinalitia ornaretur, tantum vero apud Sanderum fuiſſe promovendæ rei Catholicæ ſtudium atque perditam contumaciam, ut A. 1580 virulentis *literis*, quas hic legere eſt, Hybernorum proceres non obſcure, ſed palam ad feralem rebellionem excitare non vereretur. Imprimis vero iſto anno abſoluta nova S. Scripturæ in linguam Anglicanam translatio, cujus curam in ſe ſuſceperat Parkerus noſter, quamque ſuis Præfationibus inſtructam ediderat, hic notari meretur, in qua quæ partes fuerint Epiſcoporum aliorumq; Theologorum ejus temporis, inter eos a Præſule noſtro diſtributæ, perſequitur Autor ſatis accurate. *Quo quidem opere perfecto*, (verba ſunt ipſius Parkeri in vita ab ipſo compoſita,) *cum ſatis diu ſibi vel naturæ vel laboribus ſuis vixiſſe viſus eſſet, alterius vitæ deſiderio, ſecum repetiit illud Simeonis: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, quia viderunt oculi mei Salutare tuum.* Sequente anno in flammas iterum erumpentibus Non-Conformiſtarum turbis, videas noſtrum perpetuo cum illis conflictari. Ad quas conflictationes haud dubie referenda etiam eſt, quam noſter ſequente anno geſſiſſe narratur, cura, ut in Diœceſi Norvicenſi invaleſcens *prophetandi*, quod vocabant, exercitium, non obſtante quorundam ex intimis Reginæ amicis ſtudio contrario, ſuppprimeret. Optandum vero erat, plus addidiſſe Cl. Autorem circumſtantiarum, ubi narrat eodem anno a Præſule noſtro fraudem puellarum duarum, quæ poſſeſſionem Spiritus præ ſe ferebant, pluribusque e vulgo nec non e Miniſtris fucum fecerant, late ubique diſperſum, publice detectam fuiſſe, ipſasque puellas ſolemni deprecatione in publico Eccleſiæ conventu dolum confeſſas eſſe, quæ res digna erat, cujus magis exacte noſceretur hiſtoria. Non minus memorabile eſt χαλιπτῶν ejus ætatis καιρῶν monimentum, quod Cap. XL refertur, in oppidis Comitatus Cantabrigienſis duobus *Strethal* & *Balsham*, nonnullos poſt cultum publicum privato quoque conventu feſtis ac Dominicis diebus in S. Scripturæ

Append. p. 118. 119.

c. XX.

Append. p. 165.

c. XXIV ſqq. & XXIIX, XXXIII, XXXIV, XXXVII.

XXXIIX. p. 467.

Scripturæ cognitione ſe invicem exercere ſolitos, adhibito etiam Miniſtro verbi Strethalienſi, graviſſimis accuſationibus eo ipſo factos fuiſſe obnoxios. Nimirum exempli loco eſſe poteſt hominum iſtorum modeſtia, qui ea de re interrogati, publice authenticam fidei ſuæ adverſus imputatos ipſis graviſſimos errores Anabaptiſticos Fanaticosque profeſſionem ediP. 473. diſſe non contenti, ſolemniter teſtati fuerunt: *Se quidem privata Conventicula nulla habere, neque congregationes illegitimas unquam probaſſe, neque aliter congregatos fuiſſe, niſi ſacris diebus ad legendam Scripturam & ſe ipſos inſtruendos, repetendaque ea, quæ publice a Miniſtro fuiſſent propoſita: at, quandoquidem intelligant, eas quoque congregationes offendiculo fuiſſe, calumniisque anſam præbuiſſe, ſe quidem, ut ſcandalum omne evitetur, communes hujusmodi collationes deinceps prorſus omiſſuros eſſe, contentos privata intra uniuscujusque familiam Scripturæ lectio-*
c. XLIV. *ne, & dubiorum ad Parochum ſuum relatione.* Annus ſequens
P. 493. 1575 Archi-Epiſcopo noſtro fuit fatalis, quo d. 17 Maji diem ſuam obiit, quieti ſuæ traditus in Sacello Lambethano, quam turbavit poſtea feralis illa, quam totum Sacellum A. 1648 a Regicidis ſuſtinuit, profanatio, quæ nec cineribus nec monimento noſtri pepercit. Enimvero aliquot poſt Regiæ Familiæ reſtaurationem annis per Guil. Sancroft, Archi-Epiſcopum Cantuarienſem, ea de re a Guil. Dugdalio admonitum, cineres antiquo loco reſtituebantur,
499. addito ab ipſo Sancrofto hoc monimento: *Corpus Matthæi Archi-Epiſcopi hic tandem quieſcit. Corpus enim, (ne neſcias, Lector,) in adyto hujus Sacelli olim rite conditum, a ſectariis perduellibus A. MDCXLIIX effracto ſacrilege hoc ipſo tumulo, elogio ſepulcrali impie refixo, direptis nefarie exuviis plumbeis, ſpoliatum, violatum, eliminatum, etiam ſub ſterquilinio, (proh! ſcelus) abſtruſum, Rege demum, plaudente cælo & terra, redeunte, ex decreto Baronum Angliæ ſedulo requiſitum, & Sacello poſtliminio redditum, in ejus quaſi medio tandem quieſcit. Et quieſcat utinam, non niſi tuba ultima ſollicitandum! Qui denuo deſecraverit, ſacer eſto!* Parte altera Libri IV per Obſervationes nonnullas character noſtri illuſtratur ac declaratur. Hic Viri Reverendi in multitudine inimicorum, cum quibus in aula conflictandum ipſi perpetuo erat, quorum

quorum facile præcipuus erat Comes Leiceſtrienſis, clandeſtinus Puritanorum patronus, imperterrita libertas cum ſumma modeſtia & reverentia Reginæ conjuncta obſervatur. At memorabile eſt, quod ibidem docetur, naturali quodam ac fere nimio pudore non ſemper expeditum fuiſſe noſtro ſermonem, imprimis ubi inter peregrinos forte verſaretur. Certe id eum ipſum p. 526.
agnoviſſe, teſtantur literæ ejus ad Cæcilium, quibus commercium cum peregrinis, quam poteſt maxime, declinat. Ac fuiſſe quidem in noſtro mentem erga Germanos paulo iniquiorem ex eo patet, quod Sandio, Epiſcopo tum Wigornienſi, poſtea Londinenſi, oborta inter eos aliqua ſimultate, exprobraret *Germanicam indolem.* Cui quidem ille in Literis in Append. p.25 ſervatis, *Non credam*, reſpondet, *te prorſus Germanicam indolem damnare. Germania æque præclaras mentes genuit, ac Anglia noſtra. Ac ſiquidem per has voces nos indigites, qui per aliquod tempus in Germania exulavimus, certe ſunt inter nos, qui non ſint ſuperbo neque rigido animo, quique tibi adeo nullam offenſæ dederint anſam, ut potius alios tui defenſione inimicos ſibi reddiderint. - - - Si ſuſpiciones ſequi ſtatuiſti, facile decipi poteris*, addit, *& ſi liceat pace & bona cum venia tua dicere, ſoles aliquando nimium in eam declinare partem.* Quem tamen, ſi quis eſt, defectum abunde chriſtiana liberalitate, qua profugis ob puriora Sacra Belgis, Germanis, Gallis, Italis, Hiſpanis identidem eum ſuccurriſſe in hac Hiſtoria memoratur, penſavit. Atque ut nunc merita in Eccleſiam ſummo ſtudio gubernatam & perpetuis fere viſitationibus exploratam, in ſedem urbemq; Cantuarienſem ornatam auctamque, atque alia ejusmodi taceamus, non poſſunt tamen a nobis præclariſſima ejus in rem literariam merita ſileri. Auxit illam & ornavit noſter ſcriptis ſuis L.IV c.XLV.
defenſione Conjugii Clericorum adverſus Thomam Martinum, p. 504 ſeqq.
lingua vernacula ſub Regno Mariæ elaborata & A. 1562 ἀνωνύμως publicata, cujus egregia ſpecimina Cl. Strype nobis dedit, Pſalmis Davidis verſu Anglico redditis, ac cumprimis libro eximio: *De Antiquitate Britannicæ Eccleſiæ, & Privilegiis Eccleſiæ Cantuarienſis, cum vitis Archi-Epiſcoporum LXX ejusdem Eccleſiæ.* Hunc c. XXIII.
enim librum, quanquam eum nonnulli Joh. Joſſelyno ejus Amanuenſi adſcribere maluerint, producta tamen ipſius Archi-Epi- 415 ſqq.

Digitized by Google

ſcopi Epiſtola ad Guil. Cæcilium, docet Strypius, Præſulem pro
ſuo fœtu agnoviſſe. Etſi vero titulus hujus libri, A. 1572 editi,
LXX Archi-Epiſcoporum vitas ſpondebat, omiſit tamen tum
quidem Parkerus noſter, qui erat LXX, propriam vitam, quæ
cum poſtea paucis tantum exemplis ſub titulo *Matthæi* impreſſa,
nunc fere diſparuerit, laudabili conſilio tota Append. a p. 147 ſqq.
ad 166 eſt inſerta. Tacemus præfationes aliis aliorum libris a
noſtro præfixas, tacemus quoque curæ ipſius & induſtriæ deberi
editos Matthæi Weſtmonaſterienſis Flores Hiſtoriarum, Mat-
thæi Paris Hiſtoriam majorem, Alfredi Regis res geſtas ab Aſſerio
Schirburnenſi Epiſcopo conſcriptas, & Thomæ Walſinghami Hi-
L.III c.V. ſtoriam cum Hypodigmate Neuſtriæ. Cumprimis enim me-
morandum eſt linguæ antiquæ Saxonicæ ſtudium Præſulem no-
ſtrum unicum fere agnoſcere reſtauratorem, quod publicata A.
p. 535. 1566 Saxonica Homilia antiqua adverſus tranſſubſtantiationem,
procurataque Evangeliorum in eandem linguam translatorum
editione, ac ſtudioſe collectis, quotquot inveniri poterant, ulti-
mæ iſtius antiquitatis monimentis, ita promovit, ut quicquid
ejus ſtudii nunc inter Anglos ſupereſt, id noſtri curæ induſtriæque
unice deberi, fidenter pronuntiaverit celeberrimus inter Anglos
Antiquarius Humfredus Wanlejus. Quantoque in has anti-
quitates amore ſtudioque fervuerit Parkerus, docent identi-
Append. p. 31. dem in hoc opere memorata cum Guil. Cæcilio, plurimisque Epi-
ſcopis commercia ipſius literaria, MSCtorum collectionem fere
ſemper urgentia, docet Matthæus Flacius Illyricus, qui cum
Epiſtola eleganti hic aſſervata rogat, ut ad Catalogum *teſti-
um* veritatis perficiendum ſubſidia ſibi communicet, docent de-
L.III c.XIX. nique ipſius intimi Reginæ Conſilii Literæ patentes, quibus ipſi
p. 263. volenti cura demandatur omnium in Anglia & Hybernia
MSCptorum, quæ ut illi non cunctanter concedantur, omnibus
L.IV c.XLII. imperatur. Denique non ſibi, ſed publico & ſeræ poſteritati ſe
p. 485. iſtos theſauros coacervaſſe, ipſe Præſul demonſtravit, donato Bi-
bliothecæ publicæ Cantabrigienſi inſigni impreſſorum ac MSto-
L. IV rum Græcorum, Latinornm, Saxonicorum voluminum numero,
c. XLVII. præcipue vero legatis per teſtamenti tabulas Collegio Corpo-
p. 518. ris Chriſti ibidem præter impreſſos MSCptis longe plurimis,
omnis

Digitized by Google

omnis Historiæ Eccesiasticæ ejus temporis, qua Angliam spectat, thesauro cum nulla alia Bibliotheca facile comparando, cujus aliquem conspectum dedit Autor loco allegato. Ea enim Bibliotheca, nec non publicis Academiarum, Ecclesiarum Cathedralium & aliarum, urbium item, aliisque Archivis, deniq; privatis Bibliothecis Henrici Episcopi Londinensis, Rob. Harlœi, Thomæ Bakeri, Georgii Holmes, &c. ac ante omnes nominandi summi literarum promotoris, Johannis Mori, Episcopi Eliensis, se adjutum in hoc opere componendo gratus profitetur Autor, nihil non sibi in his omnibus patuisse agnoscens. Quod exemplum quam optandum erat Germanos quoque imitari, ut malint Virorum summorum vitas, ac Historiæ Ecclesiasticæ capita ex latentibus Archivis aliisque monimentis depromi, quam ut ignava invidia vel intempestivo metu adducti eorum possessores porro ea patiantur, ut nimium fere fieri solet, cum tineis & blattis aut tenebris certe colluctari, brevi forte prorsus peritura.

THE CASE IN VIEW, NOW IN FACT, &c.

i. e.

CASUS OLIM EMINUS CONSIDERATI, nunc re ipsa existentis Decisio, probans, continuationem separatæ Communionis absque substitutis in ulla Sedium Episcopalium, invalide depositis nuper Episcopis surrogatis, post mortem Guilielmi Episcopi Norvicensis, esse Schismaticam; cum Appendice, qua probatur, Episcopos istos invalide depositos non habuisse jus substituendi successores, qui possent legitimam reddere separationem, postquam Schisma fuisset abolitum morte ejus, qui ultimus ex illis decessit.

Londini, impensis Sam. Keble, 1711, 8.

Plag. 12.

NOn una nobis obtigit occasio in his Actis Schisma in Ecclesia Anglicana sub Guilielmo III commemorandi, quo tempore sex Episcopi cum Archi-Episcopo Cantuariensi ex Parliamenti decreto jurejurandum cum abjuratione Jacobi conjunctum

præſtare veriti, Epiſcopatibus exuerentur, inque locum eorum alii ſurrogarentur. Quo evenit, ut multi Eccleſiæ Anglicanæ ceteroquin addicti ad horum pariter novorum Epiſcoporum, & reliquorum, qui cum iis communicabant, Communione abhorrentes, ſeparatos cœtus, autoritati illegitime, ut cauſabantur, depoſitorum Epiſcoporum ſubjectos & eorum communioni unice addictos, conſtituerent. Vide imprimis Acta noſtra A. MDCXCIII p. 236 & A. MDCCV p. 132 ſqq. ubi Celeb. Viri Henrici Dodwelli de hoc Schismate ad exteros Parænesin exhibuimus. Duravit vero hæc ſeparata Commumio ad hæc usque tempora, quibus ante biennium & quod excurrit, Guilielmus, exautoratus Epiſcopus Norvicenſis, ante annum vero cum dimidio, ultimus eorum Thomas Ken, Epiſcopus olim Bathonienſis & Wellenſis, (quanquam hic, quod ex hoc ipſo libello p. 6 diſcimus, jam ante aliquot annos a jure ſuo ad Sedem ſuam ejusq; functiones ſe abdicaverit, lubensque id in Succeſſorem politica autoritate ſibi datum devolverit,) ex hac vita exceſſere. Quem eventum proſpiciens modo nominatus Vir Cl. Henricus Dodwellus, communioni abdicatorum Epiſcoporum ipſe quoque addictus, jam antea ediderat libellum ſub titulo: *The Caſe in View*, quo jam tum demonſtrare conatus erat, poſt mortem iſtorum Præſulum omnem deinceps ſeparationem fore illegitimam, nulloque modo excuſandam. At ut fere fieri ſolet, ut non ſubſiſtant ibi, ubi cœperunt ſimultates, ita hoc quoque conſilium Dodwelli paucis ex iſta communione, ſive quod diuturna ſeparatio animos magis magisque a reliquis Eccleſiæ Anglicanæ membris alienos reddiderit, ſive quod ſupereſſent ipſis reapſe ſcrupuli conſcientiæ circa reditum ad illam Eccleſiam, ſe potuit probare. Quamobrem cum iſte eventus jam re ipſa exiſteret, non potuit a ſe impetrare Vir Cl. Henricus Dodwellus, quem hujus quoque libelli Autorem eſſe compertum habemus, quin iterata admonitione fratres ſuos a ſeparatione ulteriori graviter dehortaretur, ſcrupulosque, ſi qui eſſent, ipſis eximeret. Fecit hoc ſcripto, cujus prolixum titulum exhibuimus, paulo ante mortem publicato, ſiquidem eodem anno menſe Junio diem ſuum Vir doctiſſimus in Eccleſiæ Anglicanæ communione, cui, dum hæc ſcriberet, ut ex ipſo libello apparet,

jamdum

Digitized by Google

jamdum erat reconciliatus, obiit. Nititur hic libellus iis, quæ jam antea ſuppoſuerat Autor in Parænesi ad exteros, de Juribus Epiſcoporum divinis, quorum ſynopſin in Actis loco ſupra allegato ſuppeditavimus. Nempe eo nunc rem ſpectare ait, ut, quod antea laica autoritate factum erat, nunc per fratrum horum pertinaciam admittatur, ut in eadem jurisdictione Epiſc. plura uno altari erigantur, rem ut mali exempli, ita periculi vel adoptandæ communionis Pontificiæ, vel tolerandi regiminis Presbyteriani, pleniſſimam. Neque enim eſſe jam Epiſcopum ullum in Anglia a parte ipſorum, vel quenquam alium in ulla alia parte Eccleſiæ Proteſtantium, qui meliore titulo poſſit vindicare ſedes ſine ſchismate, nunc ab Epiſcopis præſentibus in Anglia poſſeſſas. Quo titulo deſtitutus nemo poteſt ex ipſius ſententia in jurisdictione quacunque canonice poſſeſſa ſibi quicquam juris arrogare, niſi ex diſciplinæ, quæ in veteri Eccleſia obtinuit, ratione ipſe velit fieri ſchismatis reus, & ab omnium Eccleſiarum communione excludi. Neque vero, inquit, quiſquam cum tali Epiſcopo communicans ratihabitionem cœleſtem transactionum, nomine divino in terris ab Epiſcopo hujusmodi factarum, ſibi poteſt promittere, neque ullam ſpem beneficiorum myſticorum communionis cum Chriſto obtinendorum cum ratione favere, ſiquidem non ex mandato divino & autoritate cœleſti, ſed, quod gravius eſt, in oppoſitione adverſus eum, qui iſto mandato ſit pollens, a tali Epiſcopo transigatur, quicquid ab illo tentetur. Et hæc quidem ab Autore diſputata ſunt contra eam ſententiam, qua non nemo ex iſtis fratribus crediderat Epiſcopi cujuscunque communionem ipſis ſufficere ad communionem cum corpore Chriſti myſtico, ſive Eccleſia Catholica, ſervandam. Tum vero, ait, ſi Presbyterii tantum miniſterio forte velint eſſe contenti, res adhuc longe erit deterior, neque enim in ſegregatione a communione Epiſcopali ſub Presbyteris conſtabit illis ex principiis veteris Eccleſiæ titulus Eccleſiæ, multo minus privilegia Eccleſiæ concredita, ſpectabit ea res tandem eo, ut in Presbyterio plane acquieſcatur, quod tanto periculoſius illis futurum, quanto acrius hactenus neceſſitatem Epiſcopatus in Eccleſia defenderint. Neque vero rem melius ſibi conſtituram eſſe docet, ſi vel

maxime Episcopis valide ordinatis ac non modo a civili magistratu non prohibitis, sed etiam approbatis utantur, siquidem civilis approbatio non possit legitimam facere in plenas sedes Episcopales invasionem, lege divina illegitimam. Itaque nihil sufficere posse nunc ad excusandam separationem, nisi hoc unicum, ut monstretur vel in una sede ex septem, quibus exuti erant Episcopi, alius, cui depositi isti suum jus, suamque omnem autoritatem expressa consecratione canonica detulerint, qualem, inquit, nullum ostendere queunt fratres isti. At, ait, contendunt illi *satisfactionem* deberi a præsentibus, Episcopis memoriæ depositorum præstandam, qua non præstita religioni sibi ducant cum illis communicare, adduciturque exemplum *Johannitarum*, omnem cum Episcopis, qui in Johannis Chrysostomi depositionem consenserant, communionem detrectantium penitus, antequam memoriæ Præsulis istius ab illis justa essent persoluta. Enimvero magnam hic esse disparitatem docet V. Cl. Chrysostomum ab Ecclesiastica Synodo, septemviros istos Episcopos non nisi a suprema potestate civili fuisse depositos, recte itaque in illo casu ab Episcopis, in hoc nonnisi a Laicis posse peti satisfactionem; Johannitas Episcoporum numerum insignem a suis partibus habuisse, hos nullum nunc habere consentientem ex eo ordine; porro non publica censura, non pœnitentia publica, imo ne quidem confessione injuriæ satisfactum esse memoriæ Chrysostomi, quod pateat ex MSto Barocciano, sed unice restituto in *Diptycha* nomine ejus, ea vero in Ecclesia Anglicana prorsus desiderari, neque nomine Ecclesiæ Anglicanæ vel censura vel excommunicatione quicquam admissum esse contra famam Septemvirorum istorum, quod revocatione egeat. Sed pergunt Separatistæ, *crimen Hæreseos* causantes in plerisque modernis Ecclesiæ Anglicanæ Episcopis, quo quidem satis excusetur ab ipsorum communione separatio. Non negat crimen Dodwellus, imo queritur, nimis notoriam esse assertionem doctrinarum, ipsa fundamenta Ecclesiasticæ & Politicæ constitutionis subruentium, a nonnullis Episcopis factam. At negat, vel hæresin Episcopi excusare subditos ei, si ab ejus se communione separent, antequam ille sententia judiciali collegii Episcopalis fuerit depositus, ac siquis illud

tentet,

tentet, cum Uſæ exemplo abſterrere conatur, vererique jubet, ne Epiſcopi contra illum jure ſuo utentis anathema plenam vim in cœlis habeat. Nempe ne Apoſtolorum quidem temporibus cuiquam exiſtimat licuiſſe quendam excommunicare, niſi ſuperioribus in Eccleſia, ſi vel maxime hæreticus excommunicationem meruerit: ſegregationem vero ab Epiſcopo nihil eſſe aliud niſi excommunicationis tentamen. Prius illud ex Epiſtolis ad Titum & Timotheum probare conatur, quibus unice ea commendentur, quæ ad excommunicationem ſpectent, ut 1 Tim. VI, 20, 2 Timoth. I, 14, Tit. I, 13, II, 15, III, 10, ubi τὸ παραιτεῖσθαι vult notare *ejectionem a corpore Eccleſiæ*, quemadmodum 1 Tim. V, 11 παραιτεῖσθαι χήρας νεωτέρας eſt excludere eas a corpore Eccleſiaſtico viduarum publicis ſumptibus ali ſolitarum. Et Apoc. II, 15 diſerte *ſolum Angelum* taxari, quod permiſerit falſam doctrinam Jeſabelis in Eccleſia ſua diſpergi, reliquis vero membris Eccleſiæ neutiquam id imputari, imo diſerte addi v. 24, 25: ὑμῖν δὲ λέγω λοιποῖς (καὶ enim cum MSto Alexandrino omittendum eſſe putat) τοῖς ἐν Θυατείροις, οὐ βαλῶ ἐφ' ὑμᾶς ἄλλο βάρος, πλὴν ὃ ἔχετε, κρατήσατε ἄχρις οὗ ἂν ἥξω. Sane tempore iſto in conſenſu Apoſtolorum, ætate vero ſequente in conſenſu & traditione omnium Epiſcoporum id creditum fuiſſe criterion conſtare veritatis fidei, ut facile inde concludi poſſit, neminem ſubditorum in Eccleſia ante Epiſcoporum latam ſententiam de hæreſi judicaſſe. Ubi ipſi Epiſcopi inter ſe diſſenſerint, tum quidem integrum fuiſſe unicuique Chriſtiano ſaltim pro ſe, non pro tota Eccleſia judicare, a quibus partibus ſtandum ipſi eſſet. At de cetero neque in Conciliis ſententiæ dicendæ cuiquam præter Epiſcopos fuiſſe facultatem, & donec ab his eſſet Epiſcopus hæreticus dejectus, non magis imo minus licere laicis eum excommunicare vel ab Eccleſia arcere, quam liceat ſubditis civibus Regi ſive ſupremæ poteſtati reſiſtere, contendit. Quare cum non aliud laicis incumbat, ſi quidem hæreticis Epiſcopis Eccleſia opprimatur, niſi ut ſibi ipſis ab erroribus iſtis caveant, eorumque progreſſum docendo, admonendo, orando, apud alios impediant, hortatur hos fratres, ut quam coercitionem nullo mandato divino ſibi traditam eſſe ſciant, eam lubenter omittant,

ex-

Digitized by Google

exſpectent quæ a collegio Epiſcopali, tantoque æquiori animo ad communionem Ecclesiæ redeant, quod hæreſes iſtæ, etſi vel maxime ab Epiſcopis plurimis publice aſſertæ, certe a nemine eorum *conditionum mutuæ communionis* inſtar fuerint impoſitæ. Imo longius progreſſus, ipſam veram fidem maximo ſtudio zeloque ſervatam nihil prodeſſe, niſi in vera & quidem externa communione cum corpore Chriſti myſtico exiſtas, & hanc multo illa præſtare non cunctanter affirmat. Denique ſub prætextu defendendæ in uno forte capite de civium erga Principes obedientia fidei, multo graviores magisque fundamentales fidei articulos hoc ſchismate ab ipſis violari exiſtimat, quales ſunt: ſalutem non poſſe obtineri, niſi per novum fœdus Evangelii: nemini ad hoc fœdus eſſe jus, niſi qui habeat ejus *σφραγῖδας*: eas eſſe duo Sacramenta: neminem has *σφραγῖδας* dare poſſe niſi qui autoritatem a Deo acceperint eas adminiſtrandi & nobiscum ipſius nomine transigendi, ut obligarent ipſum in cœlis ad ratihabenda, quæ ipſi tranſigerent in terris: hanc autoritatem, datam primo Apoſtolis, non potuiſſe ad noſtra usque tempora deſcendere, niſi per ſucceſſionem perſonarum, quæ omnibus ætatibus intermediis eam acceperint, donec perveniatur ad eos, quibus Apoſtoli ipſi eam tradiderint: talem ſucceſſionem quod oſtendere poſſit hominum genus præter Epiſcopos eſſe nullum: beneficia ergo communionis myſticæ non poſſe exſpectari in ſtatu voluntariæ ab Epiſcopis ſegregationis. Hæ, inquit, omnes doctrinæ *maxime fundamentales* violantur, ad defendendam aliam ſecundariam, cujus neque abnegatio inter terminos communionis eſt relata, neque ab Epiſcopis unquam *autoritate Synodali* decreta. Quod enim urgetur, Epiſcopos conſenſiſſe in ſententiam a ſuprema Curia Parliamenti latam A. MDCCX die 23 Martii, ut Decretum Academiæ Oxonienſis, quo ſana circa Non-Reſiſtentiam doctrina continetur, A. MDCLXXXIII die 26 Julii publicatum, manu carnificis publice combureretur, id quidem ad *Synodalem autoritatem* vel *canonicam condemnationem* veræ doctrinæ referri poſſe negat & pernegat. Non in id votis ſuis conſenſiſſe Epiſcopos, niſi quatenus eſſent *Pares Regni*, incluſis votis eorum in numero majori Parium reliquorum, nec id decreviſſe

Epiſcopos

Digitized by Google

Epiſcopos in *Synodo* ſeorſim congregatos docet, quo modo unico rationem Eccleſiaſtici Decreti aliquid poteſt habere, cum ipſis legibus & ſtatutis Angliæ ne *toti* quidem *Parliamento*, nedum *uni* tantum illius *Curiæ* novum fabricari fidei articulum ullo modo ſit conceſſum. Denique ad præcipuum devolvitur ſcrupulum, qui naſcitur Separatiſtis ex *formulis precum Liturgiæ Anglicanæ* undique *inſertis*, quæ contra jurejurandi præſtitam olim fidem orare conſcientia refragante, & tacite hæreſin de licito Principibus reſiſtendi attentato profiteri ipſos adigant. At non poſſe has quidem formulas communioni mutuæ obeſſe magis, exiſtimat Dodwellus, quam obſint ſimiles formulæ precum peregrino in ditionibus hoſti Principis ſui ſubditis verſanti, quo minus cum ea Eccleſia ibi communicet, imo neminem cogi, ut ad has formulas addat Amen, & nemini probationem dogmatum incumbere, quibus nitantur, illosque ipſos, qui bona fide eis utantur, peccare quidem, ſed non hæreſeos crimen committere, ut hanc quidem ob rem communionem cum ipſis detrectare nullo modo liceat. Poſtremo, num ſeparationi huic faveat *Concilium Conſtantinopolitanum* A. C. 861 ſub Photio celebratum, cujus Canone XV illi, qui Patriarcham publice hæreſin docentem, etiam πρὸ συνοδικῆς διαγνώσεως deſerant, non modo non deponendi, ſed potius laudandi dicuntur, diſquiritur. Enimvero hunc Canonem ab Alexio Ariſteno in illum commentante ita acceptum fuiſſe, quaſi ſermo ſit de hæreſi *jam condemnata* ὑπὸ συνόδου ἢ ἁγίων πατέρων, idque convenire cum Canone XIII ejusdem Concilii, cum Photio in Nomocanone Tit. XII, eundemque eſſe haud dubie ſenſum Canonis Apoſtol. XXXI, quo ſubjectis ſeparatio ab Epiſcopo permittitur δι᾽ ἀδικίας καὶ ἀσεβείας, docetur. Denique quod non receptus in Eccleſia Occidentali canon fuerit, equidem non aliter niſi paritate rationis rem poſſe excuſare monet; quæ vero hic ſit maxime diſpar. Appendice ſubjuncta id ipſum quoque, quod antea conceſſerat Vir eruditus, tollitur, nempe ne ipſos quidem depoſitos Epiſcopos potuiſſe legitime Schiſmatis continuationem, ſurrogatis, qui ipſis poſt mortem ſuccederent, aliis, promovere. Quippe hoc ipſo momento quo vel voluntaria abdicatione vel morte ſedes ipſorum

vacua facta fuerit, confeſtim ſchismaticum hactenus Epiſcopum priorem titulum, potius jus, præ omnibus aliis habuiſſe ad iſtam ſedem, omnibus vero iſtis mortuis, omnes jam legitimos poſſeſſores eſſe ſedium ſuarum, neminem eorum *Schismaticum Principalem*, neque adeo omnes amplius ex contagio poſſe haberi pro *Schismaticis*. Cui juri non potuiſſe depoſitos quicquam opponere, imo ne debuiſſe quidem, docetur, cum Schisma niteretur *perſonali injuria* ipſis unice illata, cujus memoriam, morte perſonæ, cui injuria facta eſt, exſpiraturam, data opera continuare & exaſperare, iniquiſſimum penitus fuiſſet.

A. C. ZALUSKI EPISTOLARUM Hiſtorico-Familiarium Tomus II.

Brunsbergæ, 1711, Alph. 10 $\frac{1}{2}$.

UT promiſſo ſatisfaciamus, quo nos, dum Menſe Jul. p. 296 ſeqq. primum hujus Operis Tomum excerpebamus, obſtrinximus, alterum nunc ſiſtimus, cujus initium fit ab A. 1696, in quem morbus & mors Johannis III incidit, ubi quæ ſingularia
p. 1. narrentur, breviter explicabimus. In Senatus-Conſilio quidem omnes decreverant, Regi non poſſe licentiam denegari, valetudinis curandæ cauſa, extra Regnum ad Thermas proficiſcendi, ſed cum vires ad tantum iter defecerint, medicamentis domi, a variis,
5. & forſan nimis frequenter oblatis, uſus eſt, & ſumto Mercurio, inter dolores animi & corporis ingemuit: *& nullus erit, qui*
7. *mortem meam vindicare volet?* Autor quidem, volente ita Regina, conſilium ſuggeſſit de teſtamento, litium, quæ in domo Regia futuræ prævidebantur, averruncandarum cauſa conficiendo, ſed nullum facere voluit, præ indignatione in hæc erumpens verba: *Conflagret igne terra, me mortuo, omnia iſta nihil curo*; quoniam ſcilicet executores Teſtamentorum ultimas diſpoſitiones, etiam ad pias cauſas, & quovis meliori modo factas, eludere ſolent. Ingraveſcente denique morbo ad ſpiritualia media deven-
13. tum eſt. Sed quoniam Aulici omnes, qui ad ſervitia agonizantis
14. heri advocabantur, ebrii accedebant, & Eccleſia Parochialis

Villænovæ

Villænovæ clauſa erat, nec Parochus inventus, nec clavis, viatico, quod vocant, S. Cœnæ inſtrui non potuit. Orbiculæ vero cereæ ab Innocentio XI conſecratæ (*Agnus-Dei* vocant) particulam noſter Autor propinari juſſit, contra apoplexiam, qua Rex ſæpisſime tangebatur. Sic brevi poſt confeſſionem & extremam unctionem, præſentibus Poſnaniæ, Livoniæ, & Varmiæ Epiſcopis, diem obiit ſupremum, eadem ipſa Sanctiſſimæ Trinitati ſacra die, p. 15.
qua A. 1674 in Regem fuerat electus. Corpus exenteratum manifeſta ſigna nimii Mercurii, perperam a Judæo Medico parati propinatique, præ ſe tulit, ut ita videatur Rex Judæorum manibus occiſus, in quos ſingulari gratia non ſine admiratione aliorum ferebatur. Jacobus Princeps natu major theſauros ſtatim obſignat, & arcem Varſavienſem occupat, corpus Regis, matrem Reginam, fratres & Senatores intrare initio prohibuit, tandem perſuaſionibus Senatorum victus valvas portarum aperiri juſſit, cum Matre tamen acerbas rixas habuit, ex quibus magnæ ſimultates ortæ, & altercationes de juribus Reginæ & Principum filiorum quoad bona derelicta, de quibus v. p. 102. Autor intempeſtivam Reginæ ſeveritatem erga filium dolori ex morte Regis concepto adſcribit, & amice excuſat, imprimis quando in hæc Regina prorupit verba, præſentibus pluribus ex Senatorio & Equeſtri ordine, quæ poſtea mutato conſilio & animo non dicta fuiſſe voluit: *Domini Poloni, ſcitote, quod ego, quanquam non ſim natione, ſum tamen ex toto corde Polona, & magis hoc Regnum amo, quam propriam meam domum, ideoque effundo cor meum coram audientibus me. Conſiderate, perpendite amorem Patriæ, quem eligere in locum mariti mei deſideratiſſimi debeatis: inclytum hoc Regnum brevi immaturi juvenis temeritate cadet.* Ad hanc animi acerbitatem etiam ſpectat, quod Autor p. 181 recenſet, neque adeo probat: Reginam iconem ſuam manu pictoris periti egregie depictam, quam quondam dono dederat Abbati de Polignac, Legato Galliæ, ab eo repetiiſſe. Cum vero ille ſe honeſte excuſaret, quod hæc ſuæ Regiæ Majeſtatis effigies magno honori & ornamento ſuæ Reſidentiæ, ut vocant, eſſet, neque reſtituere vellet: Reginam, cum comperiſſet, Legatum domo ſua abeſſe, ipſam illuc ſe contuliſſe, & ex pariete imaginem abſtrahi, auſſeri & a tergo repertas

ſcripturas revideri juſſiſſe. Quam inſolentes ſint tempore interregni Polonorum voces & quam libere etiam ipſe Autor aliquoties locutus ſit & ſcripſerit, Lectores ſtatim deprehendent, & ex hiſce, quæ ſubjungemus, apparebit; imprimis plura paſſim ſcommata in Reginam, Cardinalem Primatem, Stanislaum Jablonovium, Exercituum ſupremum Ducem,& Caſtellanum Cracovienſem, Horodinium aliosque, a variis dicta ſcriptaque reperies. Sic Duninus aliquis mero fervens, lectum Reginæ le-
p.79. ctum totius Reipublicæ nominare auſus fuit. Cum ad moni-
121. tum Autoris in confœderatione urgeretur, ut tam Rex quam Regina Catholici eſſent vel profeſſione vel vocatione, Joannes Potockius, Kaliſienſis Capitaneus, contra pactum illud proteſtatus fuit, & Palatinus Trocenſis, Unichovius, dicere auſus, quod conveniens eſſet Reipublicæ, ut aliquis ex diſſidentibus (ſic vocant Acatholicos in Conſtitutionibus Regni) in Regem eligeretur, qui Clerum coerceat: quo audito Autor, Eccleſiaſtico fervore actus exacerbatusque, virum honeſtum talia proferre non ſolere, dixit. Quando Epiſcopi, Cujavienſis,& Uladislavienſis, qui pro tentanda reconciliatione Principis Jacobi Reginam in via convenerant, ſe offenſos eſſe querebantur, quod larvam quam ad Solis ardorem arcendum portabat, non detraxerit, ipſosque & Principem F. Jacobum in aperto campo valde indigne exceperit, hæc pauca tantum dicens: *Abeo* & *facio*, *quæ Filius jubet*, multa injurioſa coram Regina dixerunt, de quibus vide Epiſtolas has pag. 34. & ſeqq. Inter alia Cujavienſis indignitate rei permotus, hæc dixiſſe narratur: *Sereniſſima Majeſtas Veſtra ſatis habet hoſtium in Polonia, ſatis invidiæ, ejusmodi tamen modo agendi nobiscum plures habebit male affectos, cum neque Principem filium, neque nos, ea qua par eſt tractet ratione. Impendimus Majeſtati Veſtri omnem venerationem & obſequium, quousque Regni ſociam habuimus, verum nunc, poſtquam non amplius regnat, ſed in tutela Reipubl. eſt, aliter venerabimur.* Hos ſalſe aliquis literis perquam acerbis perſtringit, inter alia monens, quod non deberent Epiſcopi vultus fœminarum apertos appetere,& quod Regina Vidua velo quaſi uſa fuerit, ne emacera-
72. ta luctu faciem revelaret &c. Quanta autem fuerit invidia in

Reginam

Reginam, imprimis etiam patet ex his, quæ inter *metuenda*, *cavenda & optanda Reipubl.* ſtatim in initio Comitiorum, quæ vocant, *convocationis* allegantur: ſc. *I Ne proprietatem ad Thronum prætendat domus Regia neque Regina vidua: II Ne eadem Throni & Thori ſocia velit imperare, neque Elector Bavariæ promoveatur*, qui filiam ejus habet in matrimonio: *III Ne Regina Varſaviæ manens, conſiliis ſe immiſceat, eumque in finem C ab Urbe lapide abeat.* Qua de re plura pag. 96, 122, 125, 313. At in Ep. XXXIII Autor non minus Regem quam Reginam adverſus varias accuſationes defendit, dumque de pactis conventis loquitur, a Rege Johanne III non ſervatis, nullum ait exitiſſe Regem, qui id ſervaverit ad amusſim, quod Reipubl. promiſerat, pactaque illa conventa ſervari & adimpleri, quantum fieri poteſt, atque eo jure eſſe cenſenda, ac illa, quæ Rex Mexicanus, dum conſecratur, promittit, quando in hæc verba jurat: *conſtanter & perpetuo ſe juſtitiam adminiſtraturum, fortem & felicem bello futurum, effecturumque, ut Sol curſum ſplendoremq; ſuum teneat, nubes pluant, rivi currant, & terra omne genus frugum producat*, ac ſimilia quæ non ſunt in ejus poteſtate ſita. Quod fortalitia, ut promiſerat, non erexerit, ita excuſat, antiqua potius in Polonia diruenda, quam erigenda nova, quod propter disjunctionem & egeſtatem Pol. nulla prorſus munitio in ordine conſervetur, eæque ab hoſtibus nullo negotio occupentur, unde non niſi magnis ſumtibus, quos copiæ auxiliares abſumunt, deturbari ac ejici poſſent. Addit etiam, quod proles Regia, quæ ſemper hactenus Reipublicæ proventibus alebatur, nunquam oneri fuerit Reipublicæ, privatis Regiæ domus impenſis educata. Ob velum Regium, *Baldachinum* barbare vocant, quo in Senatorio conclavi utebatur Cardinalis Regni Primas, ingens fuit contradictio, omnibus *ad æqualitatem* (quæ ſolennis in ſimilibus occaſionibus vociferandi formula eſt) & plura contra faſtum tumentem Cardinalis & Tobianskiæ artes clamantibus. Unde disruptum illud denique & ſublatum eſt. Ipſe vero Cardinalis, errorem agnoſcens, ita ſe excuſare annifus fuit, 1 præter ejus juſſum velum hoc fuiſſe extenſum: 2 dignitati Reipubl. quæ tempore interregni *Sereniſſima* vocari geſtit, illum apparatum bene convenire, ut per eum exteris præcipue inſignia

p. 72. 188. 189. 75.

Digitized by Google

Majeſtatis demonſtrentur: 3 voluiſſe Cardinalem altare ſub Baldachino exſtruere ad implorandum Numinis Divini adjutorium pro felici comitiorum ſucceſſu. Ceterum in Eccleſia hoc ornamenti genus quiete retinuit, quo Epiſcopos omnes in cathedrali ſua, nedum Primatem aut Cardinalem, ſecundum Ceremoniale Romanum uti licet. Paſſim & literæ exſtant, ab Autore ad Cardinalem Barberini Protectorem Poloniæ Romam ſcriptæ,
p. 107. in quibus ei Orationem, quam pro maturanda electione habuit, aliaque transmittit, & quæ poſt mortem Regis acta, perſcribit. Queritur hic, quod, quæ una die exſtructa, ſecunda ſoleat evertere in comitiis. Appellat ea *lerneam confuſionis paludem, non*
109. *publicæ ſecuritatis theatrum: ſi videres* (ad eundem Purpuratum ſcribit) *eſſent in quibus rideres, eſſent in quibus indignareris, imprimis, quod nonnulli, qui nuncios ad audacius loquendum incitare cupiunt, in ipſo conclavi per fœcundos calices & lagenas vini Hungarici clam ſuppoſitas, & ſemotis arbitris propinatas, eos faciunt non tam eſſe diſertos, quam clamoſos, & loquaces.* Dum Cardinali
241. Barberino ſenſum ſuum & aliorum de candidatis explicat, e re publica eſſe ait, ſi eligatur 1) qui longius abeſt, nec ullam habet cum Regno Polonico communicationem, nec cum vicinioribus familiaritatem, ne ad interitum libertatis, quod Hungaris acciderit, adducat, cum poſſit exercitus in viſcera Reipubl. facile induci. 2) Ut bellicos habeat ſpiritus, & ſufficientes opes avulſa recuperandi, & beneficiis ſibi Senatores devinciendi. Ceterum pecunias Polonos accipere fatetur, raro facere, quod promittant. Ut ad electionem novi Regis redeamus, Princeps Badenſis, quem pecuniis Anglorum & Batavorum fultum (falſo quidem) dicit, nimis ſuperbus Polonis videbatur. Præterea Comitiola Varſavienſia excluſionem Principis Contii, & ut Legatus Galliæ per publica Lauda Varſavia expellatur, ſed irrito conatu urgebat, ubi nonnulli inter pocula clamabant: Gallus amat Polonos, non amat Polonia Gallos. Ubi de mediis inveniendis ad diſſolvendam
170. Confœderationem militum, ob mercedem non ſolutam tumultuantium, ut ſcilicet tributa & vectigalia cereviſiæ, ſali, molendinis imponantur, & commiſſarii ad cogendas pecunias nominentur, conſulit, repertum ait Autor, calculo inito, 33 milliones

&

& 446 fl. deberi militibus a Republica. Verum in eo a Senatu peccatum eſſe ait, quod conſtitutione facta permiſerint rationes haſce per juramenta deputatorum ex ſingulis cohortibus corroborari, cum magnum militum numerum in charta deſignatum nunquam in campo ſiſtere potuerint, eoq; tot perjuriis anſa data fuerit. Dum porro de iisdem militibus confœderatis in ſuæ diœceſeos prædia graſſantibus agit, inter omnes omnino gentes, etiam barbaras, nullam eſſe queritur, quæ durius agere ſoleat cum eccleſiaſticis quam Polonos, ſub prætextu, quod Eccleſiaſtici non habeant uxores, liberos, adeoque non indigeant tot reditibus. *Hoc qui faciunt*, ait, *quid aliud agunt ſacrilegi, quam ſi immergant manus ſanguini Chriſti? caveant proinde, ne poſt bucellam panis Eccleſiæ intret in eos ſatanas, & maledictio, & rei gehennæ fiant.* Minatur poſtremo: *Epiſcopi interdictis ſacris eos excommunicabunt, vel potius jam innodatos anathemate, Bulla in Cœna Domini per omnes Eccleſias declarabunt, Miſſas coram eis celebrari, Sacramenta eis adminiſtrari, mortuos ſepeliri, imo omnem converſationem cum illis inhibebunt. Denique etiam omnes Eccleſias claudent, & divinis interdicent.* Pſal. 78 & 108, *contra eos quotidie decantari mandabunt, ut olim Epiſcopi Galliæ. Quodſi aliqua ineſt fidei ſcintilla, evigilabunt ad hæc fulmina. Imo ſi Deum non timerent, homines reverebuntur. Omnis enim populus conſurget contra eos*, &c. Tacemus alia, quæ Autor de pertinacia militum confœderatorum p. 247, 286, 316 ſeq. memorat. Tandem ſuccedit hiſtoria electionis, quæ 15 Maji die initium ſumpſit, qua poſt miſſam de S. Sancto a Nuncio Davia cantatam, Autor noſter ſermonem habuit in Collegiata Varſavienſi lingua Polonica ad verba Joſuæ XXIV: *Optio datur vobis, eligite*, quem Latinitati donatum exhibet p. 368. Deſcribitur campus Electoralis, qui eſt prope Varſaviam in Villa *Vola*, ubi *Szopa* pro Senatoribus eſt, ædificium tectum: Equeſtris ordo ſive Nobiles ſub dio in campo ſatis arenoſo conveniunt, ſellis campeſtribus, ſi quas equites apportarunt, vel apportari curarunt, inſidentes; Mareſchallus convocationis ibi his fere verbis ſermonem exortus: *Sicut Deus & natura avibus aquilam, brutis leonem, piſcibus cete,* (vel Delphinum:) *præpoſuit, ita Regno Poloniæ Regem eſſe eligendum,*

fieri

Digitized by Google

fieri autem hoc rite non poſſe, niſi comitiis hiſce Electionis alius Mareſchallus ſine omni nævo præficiatur. Quando ad electionem illius Mareſchalli procedi debuit, intra vallum deputati Palatinatus Siradienſis equites ingredi voluerunt, ſed clamore totius conſeſſus repulſi, pedites poſtea magno cum tumultu & furore intrarunt. Eodem die accurrunt alii ex Palatinatu Sendomirienſi evaginatis gladiis, qui plura ſcommata non tantum contra milites qui, cuſtodiam loci (*Kollo*) habebant, ſed & contra Senatores præſentes effutierunt, additis minis diruendæ *Scopæ* & evertendi valli, vino quippe magis quam recto conſilio ad hæc excitati. Die 16 Maji Mareſchallus Reg. ſupremus Lubomirius hac de re graviter expoſtulavit, quod milites illi ſua & Reipubl. autoritate pro ſecuritate publica illic poſiti fuerint. Illi reſpondere, ſe cum Cracovienſibus ad ſuffragia pro electione Directoris & Mareſchalli viritim danda acceſſiſſe, ſeque petere, ut Senatores tot aſſeclas (quos *aſſiſtentias* Poloni vocant) relegent & dimittant, quod in oppreſſionem libertatis eos conductos credebant. Palatinus enim Vilnenſis, 1550 militum ductor, decem millibus ſtipatus acceſſerat. Die 17 pauci Senatores in campo comparuerunt, quia male ſibi conſcii impetum Sendomirienſium timebant, ad quos viginti millia propemodum ex aliis Palatinatibus propius ad *Szopam* convenerant, quorum injurias diſſimulare & Senatorius & Equeſter ordo debebat. Lithuani, jugum ſuperbæ dominationis domus Sapihæ excutere volentes, coæquationem petebant, ut omnes Lithuani Polonis per omnia eſſent æquales, & inquiſitio in Autorem confœderationis militum urgebatur, cujus rei ab aliis Regina & Princeps Jacobus, ab aliis Horodinius inſimulabatur. Hancq; ſuſpicionem ut Regina, jam tandem abire volens, a ſe amoveret, pecunias Caſtellano Cracovienſi mittit inter confœdaratos diſtribuendas, cadavere Regis prius transportato ad Eccleſiam Patrum Capuccinorum ſuæ fundationis, ubi ad hunc usque diem inſepultum jacere fama eſt. Eligitur tandem Mareſchallus Electionis Bielinsky Gallicæ factioni adhærens, & judicia *capturalia*, quæ vocant, inſtituta in omnibus Palatinatibus ad notionem & deciſionem cauſarum, quæ tempore interregni naſci poterant. Diſputatum inde adhuc

p. 340 ſeqq.

fuit

fuit acriter de confœderationis autore, ut ad arma etiam veniretur & aliqui læderentur. Neque prius agitatio iſta ſubſidebat, p. 347.
quam Legatus Imp. a Senatoribus audiendus procederet. Ei, cum credentiales literas traderet, lis a nuntiis mota, quod *inclytæ Reipublicæ* fuerant inſcriptæ, quam illi volebant *Sereniſſimam* vocari. Equidem Legatus antiquæ domus Auſtriacæ conſuetudinem urgebat, qua *inclytæ* ſolum titulus *Reipubl.* datus fuerit. Aſt reſpondebant Poloni, Rempublicam ſuam hucusque tituli diminutionem eſſe paſſam, cum obligata fuerit per certum ſcriptum ſub tempus Suecici belli, ob ſubſidium ab Auſtriacis latum, ad aliquem ex iſta domo in regali ſolio collocandum, quod promiſſum cum nondum impleverint, noluiſſe controverſiam movere: verum poſt Viennenſem expeditionem redditum Reipublicæ ſcriptum hoc eſſe, quare nunc de tituli dignitate nihil ſit conceſſura. Quibus adductis conſenſit Legatus, & in oratione ſtatim habita *Sereniſſimæ* appellationem valde cumulavit. Sed vix ſermone, ut a longo tempore Legati Imperatoris conſuevere, prælecto, maxima ſanguinis quantitas ei ex naſo cœpit profluere, quapropter brevi & generali tantum expectato reſponſo abire fuit coactus. Ejus 351.
orationem, qua Jacobum Principem commendabat, ſequuntur 353.
propoſitiones a Jacobo Reipubl. factæ, ut & Gallorum pro Con- 354, 356.
tio, Electoris Palatini pro Neoburgico, Reginæ Eleonoræ pro 358.
Duce Lotharingico pollicitationes, & quæ deniq; Rex Auguſtus Reipubl. præſtare promiſit. Deinde, quæ ipſo electionis die acta 364.
ſunt, referuntur, ſcilicet, primo Palatinum Cracovienſem contra 365.
Contium fuiſſe proteſtatum, Caliſienſem Caſtellanum, per crucis ſignum, quod in pectore palam geſtabat, ad unionem exhortatum ſuos, Contium nominaſſe, Palatinum Auguſto Regi ſuffragium dediſſe, quæſitumque a Poſnanienſibus & Caliſienſibus, utrum vere Catholicus ſit Elector Saxoniæ, reſpondiſſe, quod Nuntius Papæ & Cardinalis Saxo-Cizenſis id teſtimoniis ſuis confirmaverint, Plocenſes præeunte Autore Contium proclamaſſe, 366.
adſtipulantibus Ravenſibus univerſis & magna parte reliquorum Palatinatuum, in quibus omnibus tamen, præterquam in Plocenſibus & Ravenſibus, ſciſſiones fuerint obſervatæ. Confici eo die negotium pro Contio potuiſſe, memorat Noſter, ſi Primas natu-

ralis tarditatis oblitus fortiter inſtitiſſet, cum contra per procraſtinationem, Galliæ Legato nihil quod daret habente, multum
p. 367. ejus factioni roboris deceſſerit, ſic ut ſequenti die, auctis Electoris partibus, hic ab Epiſcopo Uladislavienſi, Contius a Primate nominaretur, cum nequicquam ſuaſum fuerit utrique,
435. ut a Candidato ſuo recederet. In cenſura Candidatorum adducitur imprimis, eandem rationem, qua olim Poloni Principem Condæum excluſerint, ne Regnum externis factionibus & bellis involveretur, contra Principem Contium hodie quoque militare; quippe qui Polonia uſurus ſit tanquam inſtrumento
439. nocendi hoſtibus Patriæ ſuæ, &c. Cum de pactis conventis edendis & confirmandis ſermo eſſet, Prebendovius jurato aſſeruit, ſe originale exemplar reperire non poſſe, qua occaſione
442. multa contra eum opprobria jacta, poſtulatumque, ut quia in plura, quam expediebat, ſe ingeſſerit negotia, formato proceſſu
449. ab aula & miniſterio removeretur. Incipiunt hinc Acta prope Gedanum cum Principe de Conti, ubi referuntur primo loco p. 451 Literæ ad ordines Regni ex oneraria ſub Oliva die 15 Octobris datæ, quarum initium: *Franciſcus Ludovicus de Bourbon, Princeps de Conti, Dei Gratia, & affectu Inclytæ Nationis Poloniæ & M. D. L. in Regem electus, &c.* Quibus maſcule & acute a parte Saxonum reſponſum eſt, ut patet p. 453. Allato nuntio adventus Principis, Autor cum literis, a Cardinale Primate theſaurariis & Senatoribus nonnullis ad Contium Principem ſcriptis, Gedanum non tam ivit, quam volavit, perſuaſionibus & promiſſis Abbatis de Polignac calcar addentibus, habere ſcilicet Principem & copias, & nervum rerum gerendarum; ob lucrum itaque, quod ſperabant, primus quisque obſequia novo Domino probare geſtiit; uti enim libra in eam vergit partem, ubi plus apponitur, ſic nonnullos Polonos nunc huic nunc illi favere, qui
470. plus offerat, Autor ipſe teſtatur. Sermones, quos Autor, Caſtellani item Siradienſis & Caliſſienſis, plenos adulationis & jactantiæ de gloria originis & geſtorum gentis Polonæ ad Contium habuerunt, legi poſſunt p. 456 ſqq. Conſilia vero, quæ Autor ſuggeſſit, eo redeunt: ad Moſcum imprimis, Suecum, Brandeburgenſem, aliosq; Principes, partim legatos mittendos, partim

literas

Digitized by Google

teras ſcribendas, quin & ad Capitula & ad Superiores monaſteriorum utriusq; ſexus, quia hoc genus devotum ad bonum æque ac malum in Polonia multum cooperari poſſit. Ipſe Princeps *dulciores Schedas* (ſic vocari *billets-doux* a noſtro Epiſcopo primum didicimus p. 470) propria manu ad aliquas *Senatrices* exarare debuit, ut quædam maritos, nonnullæ amicos in ejus partes pertraherent. Verum nec 4 millia thalerorum obtineri poterant ad iter Varſavienſe, & pro Theſaurario Lithuaniæ, aliisque emiſſariis, qui in provincias ire debebant, ut populares donis, bonis verbis, & promiſſis devincirent, nullæque aſſignationes, Autori a Legato Gallico factæ, ſolvebantur, etſi tot ipſe p. 471. ſumptus feciſſet. Autor enim omnia toto cœlo diverſa reperit ab iis, quæ Legatus *pro redemptione Iſraelis* promiſerat, qua de re Epiſtolam ad Regem Chriſtianiſſimum ſcriptam vide p. 464. Princeps enim parum inſtructus acceſſerat, quoniam Primas & Legatus ei fidem dederant, quod ad litus tot milites exercitus Polonici & Lithuanici ſit reperturus, quot tuendæ ejus Majeſtati ſufficerent. Quare Princeps non ſemel dixiſſe fertur: *Exercitu Polonico promiſſo tantum opus eſſe, ſe ſolum ſine conſultoribus cogitaturum, quid poſtea facto opus, & quibus pecuniæ erogandæ eſſent*. Nec currus, nec equi, nec argentea ſupellex, nec alia deniq; ad aulam Regiam neceſſaria emebantur, (in ſtanno enim comedebatur) nec ulla res ordine, quo decebat, ſuſcepta. Accedebant his & aliis defectibus & vanis promiſſis ſermones inſolentiores Gallorum, quos ſtultitiæ lacte nutritos dicit Noſter: *Poloniam non eſſe dignam tanto Principe*, qui nihil ſibi ſumere, ſed a ſervitute Poloniam vindicare geſtiat, quæ animos Polonorum tantum abeſt ut conciliarent, ut alienarent potius penitus. Tandem cum & Polonicus & Saxonicus exercitus appropinquaret, Autor poſtquam per quatuor ſeptimanas, fruſtra conſumto peculio ſuo, ſe ſudaſſe & alſiſſe, pag. 489 literis ad Cardinalem ſcriptis queritur, non ſine lacrymis, uti ipſe refert, his verbis Contio valedixit: *illum quidem Regno eſſe dignum, Polonos vero ex permiſſione Divina tanto Principe indignos eſſe*; nec multo poſt Contius conſcenſa poſt inanes conſultationes nave ad ſuos rediit. Hinc 467. Gedanenſes, quod adverſas partes tueri crederentur, indignationem Gallorum incurrebant & naves eorum detentæ ſunt a Gallis,

Digitized by Google

cumque illi viciſſim Gallorum in civitate bona obſignaſſent, Ab-
bas de Polignac literis ad urbem datis, quæ exſtant p. 468, fulmi-
p. 552. nare & extrema omnia urbi minari viſus eſt. Nec forte de Ge-
danenſibus prætermittendum, quod, cum orator urbis in oratio-
ne, qua Auguſtum Regem ante portas excipiebat, Senatus Geda-
nenſis feciſſet mentionem, Magnus Regni Cancellarius ſtatim il-
lum interpellaverit his verbis: *Non dicite Senatus, ſed Magiſtra-*
tus: Senatus enim nomen ſibi ſolis competere, Regni Senatores
exiſtimant. Dum deinde ad res Anni 1698 pergit Noſter p. 481,
493, in Regem Auguſtum multo pronior videtur, quod imprimis
certis indiciis accepiſſet, Regem Galliæ ne quidem audire amplius
502. velle de rebus Polonicis. Hinc primus Regis Auguſti in Varſa-
viam ingreſſus deſcribitur, notaturque, eodem die, quo Rex ur-
bem ingreſſus, eundem viduam Regiam in Mariævilla viſitaſſe, ac
512. 3 horis, ſemotis omnibus, cum illa fuiſſe collocutum. Admiſ-
ſus inde ad alloquium Regis ipſe Autor, virtutes ejus heroicas ac
ſapienter dicta ſummis laudibus evehit. Plura imprimis dixiſſe
Regem ait de diſtributione dignitatum, qua cum omnibus ſatiſ-
fieri non poſſit, ſæpius animos ſubditorum a Regibus averti.
Suaſit itaque Noſter, eas digniſſimo & ſine mora conferendas
eſſe: quo magis enim differatur collatio, hoc plures competitores
513. adfuturos. Quod ad negotiorum molem, quibus ſe obrui Rex
querebatur, cum aliud ex alio naſcatur, id conſilii Autor ſuggeſ-
ſit, ut aliquot Senatores eligat, qui mutatis vicibus penes Regem
reſideant, quibusque tam externa quam domeſtica negotia com-
mitti poſſint examinanda, referenda, & decidenda; ſic Regem
tædio laborum levatum coram Republica, utcunque res cecide-
514. rit, facile ſe excuſaturum. Ad quæſtionem Regis: *Utrum Se-*
niores an Juniores ex Polonis aptiores eſſent ad conſilia? reſpon-
dit Noſter, a ſenio quidem *Senatum* nomen habere, non tamen
alba canitie mentum, ſed mentem conſiliis beatam, prout in A-
519. polline imberbi, reſpiciendam eſſe. Quantopere vero Regis ani-
mum ſibi devinciverit Autor, mox patuit, cum Epiſcopatus War-
mienſis, quem & Cardinalis d'Arquien & Epiſcopus Jaurinenſis
ambiebant, ipſi fuerit collatus, qui nihilominus alienioris a Rege
animi ſigna paulo poſt plura dedit, ut apparet e pag. 632 & 732.
Poſtulata

Digitized by Google

Poſtulata Reginæ & Principum, qui ſub velo, quod *baldachinum* p. 499.
vocant, ſedere ad latus Regis in templo, ut tempore Regis de-
functi conſueverant, ac poſt Mareſchallum immediate Regi præ-
cedere, ſive curru ſive pedibus, optabant, ipſo ſilentio fuerunt
ſoluta, cenſitumque, poſſe Regem privatim Principibus affectum
demonſtrare, verum quartum Principum ordinem in Republica
admitti haud poſſe. Quare Regina tandem abiit Romam, ubi 603.
adhuc commoratur, Princeps Alexander vero officio ſatis hono-
rifico, a Rege collato, quaſi id ſibi indecens foret, ſponte ceſſit.
Quantum ad negotium conciliandi cum Rege Cardinalis, refert, 506.
Epiſcopum Jaurinenſem cum Theſaurario Lithuaniæ, Lovicium 514.
ad Cardinalem de *ceremonialibus* & *crumenalibus* tractandi cauſa
miſſos, retuliſſe, ſi pecunia a Gallis credita 150000 fl. pro ſumtibus
in ſciſſionem, Rokosz vocant, expenſis a Rege refunderentur, ſe
omnia in ejus rem facturum, ſin minus, ſe ordinem Equeſtrem Lo-
vicii ad continuationem ſciſſionis convocaturum. Tandem vero
cum pecunias, quas pro ſe & domeſtica ſua (ſic Caſtellanam Len-
cicienſem Tobianskiam vocavit) petebat, obtinuiſſet, concordia
deniq; ſtabilita eſt certis conditionibus, per commiſſarios Regios
promiſſis, & Cardinalis ad alloquium Regis in cubiculo marmo- 566.
reo cum exiguo comitatu admiſſus obedientiam juravit, tradito
etiam ſolenni electionis Diplomate. Id vero Autorem valde uſſit, 774.
quod tanta pecuniæ vis ex Regis ærario in domum Purpurati ma- 497.
naret, eumque proinde enormis avaritiæ accuſat, vanumque ejus
& elatum nimis animum arguit, qui nonniſi interventu ſummi
Pontificis, novique Nuntii, ideo in Poloniam miſſi, Regi recon-
ciliari voluerit. *Vidi*, inquit, *Cardinalis propoſitiones, quæ omnia* 492.
in rem ejus, nihil in rem noſtram continebant; non quærit, quod
multis utile, ſed quod ſibi. Semper pro domo ſua calidiſſime, nun- 741.
quam pro Eccleſia loquitur. Subdolam vero & peſſimam illam 482.
fœminam, ſatyra quam panegyri & præmiis digniorem vocat,
cui diſplicere ſibi gloriæ ducit, quamque, quod pretioſam ſupel- 542.
lectilem, gemmis & unionibus conſtantem, quæ, donec pecuniæ
promiſſæ exſolverentur, ap. ipſam depoſita fuerat, curioſius per-
quiſiviſſet, acriter perſtringit. Sequuntur inde Literæ ipſius ſum- 515.
mi Pontificis, Regis, & Epiſcopi Uladislavienſis & reſponſoriæ 520 ſq.

Digitized by Google

Cardinalis, pro conciliandis animis ultro citroque ſcriptæ, tum
p. 564. & oratio admodum παθητικὴ Mareſchalci Bielinsky, qua in-
tercedente Fabricio Paulucio, Pontificis Nuntio, ſciſſio,
557. quam *Rokoſz* vocant, tandem finiebatur. Anno 1699 d. 16 April.
prima Comitia a Rege celebrata, moxque iterum rupta ſunt. Po-
559. tiſſimum vero Literæ Regis pro reconciliandis Lithuanis ſcriptæ
561. lectu dignæ, in quibus declarat, quod, qui Electioni ſuæ faverant, tanquam primogeniti ſingularem affectum & gratæ mentis documentum jure meritoque exigant, ceterum malle ſe apertam hoſtilitatem experiri quam multas audire affectus ſignificationes, quibus ipſa res plerumque repugnet. Interim a refractariis ut amplius ſibi illudatur, ſe minime paſſurum, cum non deſint media illos in officio continendi, & qui Regem in thronum evexit, in eodem eum ſit conſervaturus. Fere in eandem ſententiam iiſdem rationibus allegatis uſus eſt Stephanus Bathori, in oratione, cujus A. 1703 p. 182 in his Actis mentionem injecimus, quando Li-
604, 605, teras Sigiſmundi Auguſti recenſuimus. Sequuntur variæ Epi-
607, 507. ſtolæ & reſponſa Cæſaris, Regis Angliæ, Reipublicæ Polonicæ,
627 ſqq. de pace præſertim cum Turcis concludenda: ipſumque mandatum Malachovio, Palatino Poſnanienſi, Legato Polonico ad tractatus Pacis, concreditum, quo ei injungitur, ut ante omnia reſtitutionem Camenecii & Moldaviæ urgeret, ut pelles ſive Coszuchæ, quod tributum Poloni Tartaris olim quotannis pendere conſueverant, abolirentur; Leopold. vero Imp. permovendum, ut damna hoc bello Polonis illata reſarciri curet, quo penſetur jactura, quam Poloni fecerunt, dum Rex Johannes III A. 1686, in gratiam ſancto fœdere junctorum Principum, ad Ruſſorum Imperatorem in ſocietatem pertrahendum, Kiovia, Smolenskio, Czernikovia, omnique Zaparoviorum & Coſacorum terra trans Boriſthenem ipſi ceſſit; tum ob utiles & Reipublicæ oneroſas expeditiones a Polonis in gratiam ſancti fœderis factas; denique ex capite retentarum vel alio diſtractarum decimarum, quæ ex Regno Neapolitano & Siciliæ Regi Poloniæ ex fœderis le-
677 ſqq. ge debebantur. Aliqua fuerat controverſia in tractatibus pacis Carolovicienſibus de præcedentia inter Moſcoviticum & Polonicum Legatum. Verum tandem is ordo ſervatus, ut prout quisque ad ſacrum fœdus acceſſit, eo etiam

ordine

Digitized by Google

ordine ingredi deberet ; hinc figura quadrata Caſtrorum per Comitem Marſilium propoſita placuit, nulla præcedentiæ lite relicta, qua de re declaratio Legatorum Cæſareorum exſtat p. 690.
Deſcribitur porro colloquium & diſputatio Legati Poloni cum p. 678.
Reiseffendio & Mauro Cordato de reddendo Camenecio, qui tandem declararunt, quod Turcarum Imperator pro generoſitate ſua & memoria antiquioris futuræq; amicitiæ in id condeſcendat, modo Moldaviam Poloni relinquere, &, ut ex Camnecio propter ſancitum Mahumetanæ Religionis tormenta bellica Turcarum educerentur, concedere vellent, & fortalitium S. S. Trinitatis deſtruere; pelles Tartaris olim conceſſas pro præterito dimiſerunt, non pro futuro. Inter proponenda in favorem Religionis Romanæ ab Oratoribus hoc imprimis Portæ Ottomannicæ fuit, ne Catholici & uniti Græci ritus homines, non tam miſſionarii ſed omnes in terris Turcicis degentes Chriſtiani, juriſdictioni Patriarcharum vel Epiſc. Græci ritus ſubmitterentur, utque reſtitueretur Patriarcha Sorianorum ob calumnias Schiſmaticorum ejectus, loca terræ S. a Romanis non Græcis cuſtodi-
antur & captivi Chriſtiani liberentur. Ut deinde de pace tracta- 691.
tum fuerit, tum ex propoſitionibus a Cæſareis exhibitis tum ex
ipſo Inſtrumento pacis cum Polonis facto, quin & literis Pageti, 764.
Anglici, & Mauri Cordati, Turcici miniſtri, de Tartarorum incur- 768.
ſione in Poloniam, durante tractatu pacis facta, patet. Quæ deinde multa Autor de exercitus Saxonici nimia licentia, vera an falſa, deq; Polonorum indignatione narrat, ea vix relatu digna exiſti-
mamus. Poſt Elbingam invito Rege ab Electore Brandenbur- 642.
gico captam, cujus jura examinantur, ac beneficia in Electorem a Republ. Polona collata, imprimis ſupremum in Pruſſia domi-
nium pro hac prætenſione conceſſum, exprobrantur, Cæſaris, Re- 884, 889.
gum Galliæ, Daniæ, Sueciæ, tanquam evictorum Pacis Olivenſis,
mediatio per literas imploratur, & Gallecius, Senator Polonus, 706, 707.
ad aulas horum Principum ablegatur, quorum reſponſa varia v. p. 704, 734. Tandem tamen Elbinga ab Electore Brandenburgico Reipublicæ redditur, ſuppeditatis pignoris loco variis
clenodiis ex Reipubl. theſauro, & territorio Elbingenſi per Tra- 895.
ctatum conceſſo. Edicta quoque & ſtatuta de non tolerandis in 741.
Polonia

Digitized by Google

Polonia hæreticis Autor exhibet varia,& p. 525 conqueritur,hæreticos Varſaviæ in foro templum habere, & puritatem aeris Po-
p. 780-883. lonici inficere. Succedit ampla diſputatio, in qua Jus patronatus in Abbatias contra Aulam Romanam & Monachos in Po-
931. lonia Regi aſſeritur. Occaſione electionis Clementis XI, præter omnium opinionem factæ, refert Noſter, quod, cum poſt fata Innocentii XII ſchedulis omnium Cardinalium nomina inſcribi,& per Nepotem puerum quinquennem illas ex urna extrahi juſſerit, trinis vicibus *Franciſci Albani*, moderni ſummi Pontificis, nomen a puero arreptum fuerit. Quo referri poteſt, quod & Autor libri: *Conjectures du Conclave apres la mort d' Innocent XII* Albano, etſi non cano, ob ſummam rerum gerendarum peritiam, hanc dignitatem quodammodo prædixit. Ceterum variorum hic paſſim Principum & illuſtrium Virorum elogia leguntur, ut Regis Joh. III p. 12,34, ejusque filiorum Jacobi, Alexandri & Conſtantini p. 18, Regis Auguſti p. 591, Primatis p. 504, Card. Denhoff p. 404, Jablonovii p. 10, 247. 263, Palatini Belſenſis p. 506, Schukæ Referendarii Regni p. 439 & 518. Quod vero Stanislaum Lesczynſki, Pocillatorem Regni, ubivis ultra modum laudat, uti p. 82, 438, facile quis credere poſſet, illum, poſtquam Stanislaus a Suecis Rex Pol. declaratus, hæc elogia pro captando favore ejus ſuperaddidiſſe.
491. Quin & paſſim occurrunt, quæ ad ipſius Autoris laudem ſpectant, & ipſe aliquo in loco jactantius ſcribit: *Loquentur me mortuo acta mea, & obſcurum poſteris non ſinent nomen meum.* Supereſt, ut Lectori ſignificemus, ea quæ perperam Autor in hoc Tomo II p. 525 de eo, an Conſules & Præſides Civitatis Gedanenſis Senatus vel Magiſtratus nomine appellandi? tum & quæ p. 749 de juribus diſſidentium, quo nomine in Polonia Græcæ, Lutheranæ, & Reformatæ Eccleſiæ addicti veniunt, tradidiſſe fertur, a Gratiano Severino Lipinsky (i. e. Adriano von der Linda, Conſule nunc Gedanenſi) in *Sicilimentis, quæ in loca nonnulla harum Epiſtolarum Familiarium, terras Pruſſiæ, ſpeciatim Civitatem Gedanenſem, afficientia*, 1712, in 4 publici juris fecit, p. 68 & 79 fuſius refutari. De Tomo II, harum Epiſtolarum, ne nunc prolixiores ſimus, alibi dicemus.

D. MA-

D. MAXIMILIANI PREUSSII PROTO-Phyſici Vratiſlavienſis & Academici Naturæ Curioſi Leopoldino-Imperialis, Agendorum apud ægros Ilias in Nuce, ſeu, Artis medendi ampliſſimæ compendioſa ad Praxin Applicatio, uno quaſi conſpectu in Tabula Synoptica dilucide exhibita.

Vratislaviæ, ære & ſumtibus Baumannianis, 1712, f. chart. aug. Plag. 4.

QUemadmodum Experientiſſimus *Autor* plura, quæ in dijudicatione conſcientioſa læſionum violentarum & externarum veniunt conſideranda, in Sciagraphiam breviſſimam, a nobis *Menſe Auguſto* p. 356 commemoratam, accuratiſſime redegit, ita & numeroſa ſatis, quæ apud ægros haud ita paucos, unius ſæpe Medici curæ ſimul commiſſos, agenda ſint & cavenda, omni itidem ope anniſus fuit in præſenti Tabula Synoptica, ceu Iliada in nuce, exhibere. In Præfatione namque, qua Tabulam hanc Illuſtri Academiæ Naturæ Curioſorum Leopoldino-Imperiali nuncupat, videtur eandem loco Directionis aut Methodi medendi generalis quodammodo habere, dum talem æque ac ſpecialem, ſtatam & uniformem amplius nullam ſupereſſe, cum Celeberr. *Baglivo* admodum conqueritur, hincque communi ac univerſali Academiarum Practicorumque celebriorum & doctiorum forte etiam conſenſu & approbatione (modo ob innumeras nunc contrariasque ſæpe invicem hypotheſes, utplurimum præconceptas, hoc poſſibile adhuc) aliquam iterum formandam & introducendam quam maxime optat, poſteaquam Galenica univerſali fere omnium Dogmaticorum harmonia olim recepta, ſecundum quam, ceu regulam ſaltem ordinariam, omnes ægri dijudicabantur, tantum non ubique damnata hactenus deletaque prorſus exulavit. Hujus inſuper Tabulæ adminiculo morbos ægrosque ſimul plures uno eodemque tempore vel die, remotis etiam omnibus fere libris, alias minus negligendis, ſi neceſſitas quandoque ita tulerit, exacte indagari, imo haud difficulter curari ſive tractari poſſe a Medico, cuicunque fere hypotheſi etiam addicto, propria eaque longa & multiplici experientia edoctus, affirmare

haud dubitat. Facillimum quippe modum tradit per quæſtiones aliquot indagandi naturam affectus, ejusq; ſedis propriæ ac fontis, cum cauſis ipſaque cura, in quantum cuncta fere auxiliorum genera ſuggerit, e quibus magis huc quadrantia mox reperiri & eligi poſſint, tam in diffuſo juxta ſecundum Tabulæ latus, quam in contracto, juxta tertiam ejus paginam, ſive ſub ordine concinno & diſtincto maxime indicationum & diſtinctionum reſpectuumque breviſſimorum individualium, nec non remediorum pauciorum ſelectiorumque mox illi applicandorum, etiam contra ſymptomata urgentia & ſoporoſa potiſſimum. Quæ omnia planiora & clariora fient, ſi ſumma nunc capita, cum agendorum ex Tabula ipſa, tum obſcuriorum declaratorum ex Notis ſub calcem annexis, ſtrictim attingamus. Inter quinque videlicet apud ægros *agendorum* genera I *ſciſcitandum* quærendumque ratione affectus morboſi, (ubi ſimul pulſuum doctrina breviſſime proponitur) partium affectarum & cauſarum morbificarum, inprimis temperamentorum ſuccincte hic traditorum. Reſponſa vero ad hæc promtioris faciliorisque mox applicationis gratia, ex oppoſito ſtatim ad marginem, ab aliis prorſus vacuum, literis typi rubris, pro meliori a reliquis diſtinctione, expreſſa habentur. II *Succurrendum* ſecundum Indicationes 1) cauſæ proximæ affectus, vel occaſionali tollendæ & evitandæ poſthac præſervative, vel antecedenti curandæ quantocyus, 2) ſymptomati partive principaliori &c. ac 3) viribus debiliſſimis. III *Conferend.* cauſæ moventes ſive occaſionales & antecedentes, cumprimis: α) temperamentum, idioſyncraſia, ætas, ſexus &c. β) naturæ vires ac ſufficiens ſubinde actio & potentia ſola medendi quibusdam morbis, γ) cautelæ dubiorum & generoſiorum ſive periculoſiorum præſertim mediorum; ibique ſuadetur in ſcientia & conſcientia dubia aut probabili ſaltem, eligendas opiniones & auxilia non probabiliora ſolum, ſed & tutiora ſimul multoque uſu probata, præcipue a nobismet ipſis, malisque majoribus & urgentioribus ſubito, ſive enecantibus citius, evitandis aut removendis oppoſita & adæquata magis, vel a pluribus indicantibus & permittentibus indigitata, reſpectu pauciorum & magis ſecundariorum contraindicantium, ac minorum inde ſive leviorum &

bre-

Digitized by Google

breviorum facileque iterum reſarciendarum noxarum; δ) ſuavitas & celeritas auxilii magis adæquati morbo ejusque cauſæ. IV *Intimand.* potiſſimum cum modo adhibendi ordinata α) remedia ex pharmac. chirurg. & diæta conveniente, vel tenui, mediocri aut plena, breviſſimis hic deſignata, una cum reliquarum ſex rerum non naturalium uſu; β) prognoſis eventus, ejusq; modi facile prævidendi prædicendique; γ) ſymptomata facile ſecutura, inprimis criticæ mutationes propediem futuræ, præſentibus ſc. ſignis coctionis materiæ morbificæ, e.g. craſſitie & turbatione urinæ, vel ſputo albo, levi facilique ejectu per tusſim & exſcreationem &c. V. *Repetenda* priora, paulo aliter mutata, viſitationibus ſive acceſſibus & diſceſſibus reliquis &c. In Notis autem demum obſcura & brevius in Tabula tradita pluribus declarantur & ſingularia quædam intermiſcentur, v. g. 1) *de morbo ſeu affectu morboſo*, per quem ſymptoma cauſæ communiter ita dictum, ſive functio & qualitas læſa intelligitur, cum morbus (ſive differentiæ morborum eſſentiales, Intemperiei videlicet, Magnitudinis, Numeri, Figuræ, Situs & Continuitatis læſæ) Veteribus potiſſimum ita dictus, ad cauſam potius formalem & proximam cum nonnullis rectius & diſtinctius referatur; 2) *de parte ſolida interne affecta*, cujus indagatio tam anxia & ſcrupuloſa (ſi obſcura, latens aut dubia ſubinde nimis ſit ob plures in una eademque regione corporis ſitas ac latentes hincque non adeo facile dignoſcendas aut diſtinguendas ſemper) non adeo usque neceſſaria eſſe innuitur, cum medicamentum ſolubile quodcunque vi circulationis ſanguinis & humorum ad quascunque corporis partes etiam latentisſimas deferatur, cauſamque morbi, humoroſam utplurimum, modo contra hanc probe directum, ubicunque illa hæreat, corrigere vel tollere valeat, prout *Noſter* pluribus jam olim §. 71 in propria *Diſſertatione* ſua *de parvis magnorum morborum initiis* A. 1676 ſub umbone ſolum D. Michaelis Ettmülleri, Patris, habita, poſtmodumque aucta docuerit; 3) *de uſu cauto & legitimo* quorundam adſtringentium, tonicorum ſolum, totaque ſubſtantia potius ſpecifice agentium, e. g. chinchinatorum febrifugorum, calculum pellentium, item opiatorum & qualitatibus quatuor primis ita dictis oppoſitorum, propter abuſum

quorundam non prorsus rejiciendo & e foro medico-practico cum rigorosioribus nonnullis exturbando, monita quædam proponuntur.

JO. MARIÆ LANCISII DISSERTATIO DE Romani cœli Qualitatibus, cum Historia Epidemiæ Rheumaticæ &c.

Romæ, apud Fr. Gonzagam, 1711, 4.

DE priori Operis Parte diximus *Mense Julio* p. 326. In Parte secunda ad adventitias cœli Romani qualitates explicandas dum pergit Autor Clar. duas earum constituit classes, alias scilicet, quæ a noxiorum effluviorum ex inductis prope vel intra urbem stagnis, paludibus, cœnosisque locis, obstetricante præsertim per æstatem Austro, egredientibus oriuntur; alias, quæ Aquilonari, nimiumq; rigidæ intemperiei, repente invadenti ac præter morem, hyeme potissimum aut vere pertinaciter duranti, cui postmodum Australes venti e vestigio succedant, in acceptum sunt
p. 1. referendæ. Ostendit igitur adventitiam labem ex aquis stagnantibus Romano cœlo in infantia æque ac maturitate Imperii fuisse familiarem, summumque propterea studium purgandis cloa-
2. cis priscos adhibuisse; artemque docet, qua olim, deductis in
3. libertatem aquis, Romana salubritas servabatur, atque seculum Romanorum Pontificum commemorat, quo ex palustribus aquis
4. huic cœlo adventitia labes accesserit; tempora insimul recenset, quibus Roma Pontificum cura exsiccato solo ad pristinam salu-
5. britatem revocata fuit. Et quanquam sint, qui in solam incolarum infrequentiam adventitiam Romani aeris insalubritatem rejiciant, eosdem tamen refutat Autor, dicendo, populi multitudinem salubritatem non inducere, sed partam jam antea conservare, quatenus incolæ accensis perpetuo ignibus, consitis adversus pravos ventos arboribus, excitatis ædificiis, constratis viis, vociferatione atque halitibus partim custodiunt aerem, ne aliunde inquinetur, partim motu solvunt, ac purgant, partim denique benigno sale volatili implent ac vivificant. Nec fre-
p. 6. quentes thermas & Naumachias Romano aeri obfuisse unquam putat, quia non influentium aquarum copia, sed hærentium & stagnan-

Digitized by Google

ſtagnantium pernitioſa eſt. Multo minus venas vitrioli, ſul- p. 7.
phuris, aliorumque Mineralium, quæ in agro Romano patent, ejusdem aeri labem aliquam affricare docet, niſi ſtagnantibus aquis corrumpantur; adeoque timorem pernoctandi in ſubur- 8.
biis anilem eſſe. Siquidem vitæ periculum, quod quandoque civibus imminet, non ab aeris labe, ſed ab erroribus in ſex rebus nonnaturalibus, qui occaſione ruſticandi committuntur, dependeat. Venti equidem Auſtrales, quos Romanus ager facile ex- 9.
cipit, ac ſiſtit, aeri labem aliquam affricant, ſed ex nulla alia cauſa, quam quod paludes cœnoſamque terram inveniant; caligines vero & frequentiores nebulas partim a Tiberi, partim a caminis, qui plurimi in urbe ſunt, elevatæ ſalubritati nihil derogant, niſi aliud vitium ex mortuis præſertim aquis, atmoſphæram inquinantibus, acceſſerit. Quoniam Tiberis inundatio una ex cauſis adventitiæ inſalubritatis Romani aeris exiſtit, multus Autor noſter eſt in ea deſcribenda. Fluvius enim hic cre- 10.
bris ac ſubitis incrementis nusquam ſuis aquis magis quam in ipſa urbe exundat atque reſtagnat; cujus cauſæ ſunt vel aucta moles aquarum influentium, vel earundem motus retardatus atque exoneratio. Aquæ influentes & Tiberim augentes ſunt vel peregrinæ, a pluviis pertinaciter cadentibus altis potisſimum ac remotis de montibus, aut repente ſolutis nivibus, quin imo a fortuito erumpentibus ſereno etiam cœlo ex terræ ſinubus aquarum voraginibus collectæ; vel urbanæ, non modo ex pluvia ſeptem e collibus & ex tam lata planitie affatim in fluvium præcipitante, ſed potisſimum ex jugibus aquis trium magnorum fontium, Trivii ſcilicet, Thermarum & Janiculi, nec non torrentis Mariani influentes. Quæ minuunt & impediunt velocitatem atque exonerationem aquarum in mare bifariam ſunt conſideranda; vel enim de novo adveniunt, vel firma & perpetua ſunt in Tiberis alveo. In ter priora accuſantur impetus maris, quo flumini renititur, Auſter vehementior, Tiberinæ aquæ tenacitas, fermentatio ab Auſtro in Tiberi ſæpe excitata, & ſemiobſtructa Tiberis oſtia. Inter poſteriora vero recenſentur anguſtia alvei ex pontibus, fundi inæqualitas ob moles pontesque dejectos, moletrinæ flumini innatantes, pilæ ſtaffilariæ dictæ. Quanquam igitur Tibe-

Digitized by Google

ris exundatio inter futurarum calamitatum portenta non ſit reponenda, officit tamen illa, non tantum quatenus moræ & corruptioni aquarum anſam præbet, verum etiam quia cum Tiberis ad ſuum alveum recurrit, tunc lateritios ac tophaceos domorum parietes ipſaque pavimenta madefacta relinquit, ac proinde ſi incolæ udas adhuc repetant ædes, propter præpeditam transſpirationem juxta varios, quibus iidem donantur, corporum habitus, pravasque plus minus, quibus inquinantur, fluidorum diſpoſitiones, varia itidem, currente eademmet hyeme, malorum genera contrahunt, quæ inter frequentisſimæ ſunt febres acutæ, vel chronicæ, viſcerum obſtructiones, rheumata tum ſimplicia, ut dolores articulares & pectoris, catarrhi & tuſſes; tum compoſita, ut ſpuriæ pleuritides, peripnevmoniæ, ſopores, apoplexiæ, paralyſes & ſimilia; quæ eo felicius ſolent accidere, quo magis poſt has inundationes vel Boreas flaverit, vel ninxerit. Poſt

p. 12. paluſtres aquas repentinum, pertinax, intenſumque frigus inter adventitias Romani cœli qualitates recenſendum venit. Cum enim ſitus urbis ad meridiem plurimum obverſus ſit, ventoque Auſtrali, nullis montibus aut ſylvis in agro interjectis, maxime pateat, eo fit, ut Romanorum corpora aliquanto laxiora ſint, porisque hiantibus tum ad interna extrudenda, tum ad extranea effluvia excipienda; ac proinde repente vel furentibus ex Borea ventis, vel nivoſis urgentibus conſtitutionibus promtius faciliusque offendantur, quam illorum, qui adverſa ad ſeptentrionalem plagam fronte poſitas inhabitant urbes. Quamobrem lympha apud illas præſertim partes, quæ immediato atmoſphæræ contactu pulſantur, ſubſiſtit & cogitur; unde epidemici naſcuntur morbi, quorum prodromi plerumque ſunt coryzæ, eæque admodum fraudulentæ, cum minimo negotio in anginas ac peripneumonias ſoleant degenerare. Non uno vero eodemque modo ſemper, ſed duplici potisſimum ratione populum Romanum algidæ hæ conſtitutiones divexare ſunt ſolitæ; altera, cum media hyeme, ſicco ſolo, purgatis cloacis, viarumque immunditiis, tandem nulla urgente annonæ caritate, cives bonis ſuccis abundant; & tum confluentes rheumaticæ pasſiones, acutæ quidem, ſed non malignæ ſunt, ac proinde ſanguinis misſione

non

non infeliciter curantur; altera vero, cum vere exeunte aut quod gravius est, per æstatis initia, postquam diu Austri flaverint, pluviæque deciderint, neglecta viarum cloacarumque cura, & præsertim invalescente fructuum copia simulque utilium ciborum penuria, plebejorum præcipue corpora cacochyma fiunt, seu pravis humoribus una cum lumbricis scatent; in qua constitutione ut plerumque malignæ vagantur pleuritides; ita discriminis plurimum habet venam incidere. Usus potius erit experimentis probatus potionum diaphoreticarum, & alexipharmacarum, oleorum recentium amygdalarum dulcium, & lini cum antipleuriticis & anthelminticis. Juvabunt quoque vesicatoria, ac si dolor lateris anodynis, imo nec alexiteriis topicis ex oleo præsertim Matthioli paratis cesserit, admotæ parti laboranti cum scarificatione cucurbitulæ. Quanquam igitur Autor ejusmodi a summo frigore ortas constitutiones pluries decursu annorum 35 Romæ viderit, nihilominus tamen cum nulla gravior obtigerit ea, quæ universæ pene Europæ communis sub A. 1709 crudeliter afflixit; idcirco hujus historiam, tanquam omnium ideam, Lectorum oculis subjicere operæ pretium duxit. Addidit enim huic tractatui Epidemiæ rheumaticæ istius historiam, quam inter ipsos morborum impetus Italico sermone, re tunc exigente, conscripserat, nunc Latinam redditam, ut communi cum reliquo opere lingua cohæreat, non sine spe publicæ utilitatis.

Beschreibung des Schlesischen Massel.

i. e.

LEONHARDI DAVIDIS HERMANNI,
Pastoris Maslensis, Maslographia.

Vratislaviæ, apud Christianum Brachvogeln, 1711, 4.
Alph. 1 pl. 20 cum multis fig. æn.

MAslographiam hanc Cl. Autor in tres Partes divisit, quarum prima explicat antiquorum ritus, qui in funeribus obtinuerunt, & varias reliquias montis, quem vocant Töppelberg. Secunda fusius de operibus naturæ agit, inprimis terræ inferioris, quæ admiranda atque insolita ratione efformata atque elaborata ad

Maslum (Maſſel) reperiuntur. Tertia illius monimenta recenſet, quæ in memoriam ſummorum Virorum, & aliorum qui meritis clari fuerunt, condita ſunt. Præmiſſa igitur verboſiore diſſertatione de veterum funeribus, monet P. I Lib. II cap. I de monte Töppelberg / quod iſte non ſit pagus, ut plurimis viſum, ſed hoc nomen acceperit ab urnis, quæ olim ibi fuerunt repertæ, atque adeo idem ſit, ac Töpfferberg. Quod lucus ibi a paganis conſtitutus fuerit, qui cultui religionis eorum inſerviret, vero proximum eſſe putat, de quo ideo capitibus, quæ ſequuntur, diſſerit. Libro III de aliis paganorum ſepulcrorum reliquiis agit, quorum adhuc veſtigia in monte Töppelberg ſuperſunt, easque ex hiſtoriis antiquitatum multum illuſtrat. Sic cap. I de variis ſepulcrorum generibus loquitur, quorum alia tota, alia vero quoad partes tantum ex lapidibus fuerint condita. Cap. II ſepulcrorum altaria tractat, quæ olim in lucis ad Maslum fuerunt, quæque ex multum cumulatis lapidibus condiderunt, in eum quippe finem, ut ibi ſacrificia Diis Manibus offerrent. Cap. III de vaſis diſſerit, in quibus oſſa defunctorum recondita ſunt, eorumq; varia genera memorat, quæ & magnitudine & forma multum inter ſe differunt, licet vetuſtate corrupta aſpectui quidem minus ſe ipſa commendent. His addiderunt antiqui alias minores urnas, figura inter ſe diſcrepantes, quæ partim arenam continent, partim vero vacuæ ſunt. Num vero iſta tam majora quam minora vaſa, quodſi uno loco conjuncta reperiantur, teſtimonio eſſe poſſint, quod hic monimentum totius cujusdam familiæ erectum fuerit, cap. V Autor explicat. In ea verſatur opinione, quod Germanis ſepulcra totius familiæ condere haud ſolemne fuerit, quippe qui, teſte Tacito, ſæpius ſedibus ſuis habitandi dejecti fuiſſent. C. VI contra eos diſputat, qui opinantur, quod urnæ, quæ adhuc inveniuntur, ope naturæ non autem artificis cujusdam formatæ & compoſitæ ſint. Nam ipſa earum natura tam ratione materiæ, quam formæ ſententiæ illorum refragatur, quod inprimis de illis, quæ ad Maslum ſunt, affirmari poteſt. Nec illa vaſa uſui ſuppellectilis deſtinata fuiſſe apparet, multo magis eorum conditioni repugnare, Autor exiſtimat, ſi iſta vaſa lacrymarum appellare vellemus. Germani quippe defunctos lacrymis, dolore aut triſtitia proſequi

Google

Cit. pag. 473.
M VALERIVS CORVINVS
ROMA
Rhein. Zoll

proſequi, mollitiei fœmineæ eſſe credebant, adeoq; inhoneſtum, funerum nimium cultum atque ambitionem obſervare. Qua de re videntur eſſe vaſa, quorum ope Diis Manibus ſacrificia veteres obtulerunt, quæque deinceps apud ipſum altare relicta ſunt, locum veluti ſanctum. Secundam partem operis hujus quod attinet, argumentum ejus ſunt varia corpora, quæ ad regnum, ut vocant, animale, minerale & vegetabile pertinent, quæque ad Maslum reperiuntur. Inprimis lectu digna ſunt, quæ cap. II Autor de foſſili arboreſcente ſtilo conſignare voluit, cujus mirifica & ſingularis vis multo uſu ſatis jam confirmata fuit. Vires quippe ſanitatis rectores exſiccandi, adſtringendi, acrimoniam abſorbendi, ſudorem commovendi in eo obſervarunt. Quoad colorem ejus cretæ perquam ſimilis eſt, ac ſemen ejus, e quo generatur, arenam eſſe ſibi perſuadent. De terra ſigillata, quam Autor ad Maslum deprehendit, cap. III agitur, quæ ſpecies eſt terræ gravioris, unctuoſæ & pinguis, omni quanquam arena ſeparata. Cap. V mentio fit fontium, quorum aquam tempore hiemis ſatis calidam, æſtatis vero frigidam cognoverunt, cujus aquæ ratio bonæ notæ, ſapor autem acidus eſt. Pars ultima de ipſo pago Maſſel agit, qui nominis ſui originem a Polonorum lingua ducit, qua Maslo, id eſt butyrum, ob fœcunditatem olim appellatus fuit. Sedes eſt nobilium antiqua, ditionis autem Principis Caroli Bernſtadii, prout cap. I & II monet. Ceterum ab amœnitate, terræ feracitate, aeris optima & ſalubri natura maxime commendatur. De templo ejus, & qui cultum ſacrum adminiſtrarunt, item monimentis ſepulcrorum reliquis capitibus diſſerit, quæ ipſe Lector introſpicere poterit.

Adhæc Cl. Autor multas tabulas æneas ſubjecit, quæ figuras variorum monimentorum exprimunt easque repræſentant. Sufficiat unius, quintæ ſc. numero, illuſtriora & quæ ſcitu digna ſunt perluſtrare. Ibi occurrunt varia genera vaſorum, quæ *crepitacula*, item *crepundia* vocare ſolent, quo figuræ ſuperiores n. 1, 2, 3, 4 ſpectant; illas autem n. 5, 6 Autor thuribula exprimere opinatur. Num iſta, quæ numero 7 ſubnotatur, effingat figuram lampadis ejusque receptaculi, adhuc ſubdubitat. Porro deprehendimus numos, quorum alii ex auro, ut lit. a, alii ex TAB. V.

Digitized by Google

argento, ut lit. b, d, e, f, g, h, i, k, alii vero ære, ut lit. c, compoſiti, ad Maslum ipſi Autori ſtudioſe omnia inquirenti ſeſe obtulerunt. Numi, qui litera b ſubnotatus eſt, altera pars *Curtii* Dictatoris imaginem; altera currum triumphalem addita voce ROMÆ præ ſe fert. Reliqui ſunt bracteati, ut vocant, quanquam earum figurarum ſenſus implicatus eſt, idque ob vetuſtatem, quæ multa in illis corrupit, ut dignoſci nequeant. Numum autem æneum quod attinet ſub lit. c, ille hiſtorias illuſtrat, quæ de *M. Valerio* commemorant, quod ope corvi cujusdam hoſtes ſuos devicerit, ut exinde ei nomen CORVINI inditum fuerit, de cujus cognominis origine Livius quoque ſuo loco diſſerit. Tandem ultimo loco tabulæ noſtræ æneæ varias ſpecies expreſſas eſſe cognoſcimus lapidum, quos dicunt fulminares, de quibus Autor refert, quod ad Maslum in monte Töppelberg ſuperfuerint.

MEDIOLANUM SECUNDA ROMA Diſſertatio Apologetica JUSTI VICE-COMITIS.

Bergomi, apud Rubeum, 1711, 8.
Plag. 7.

QUi nonnullis urbibus, *Conſtantinopoli* in Oriente, in Gallia *Arelato*, in Germania *Auguſta Trevirorum* & *Aquisgrano*, in Italia *Mediolano* honor obtigit, ut ob amplitudinem ſuam vel quod ſedes Imperatorum eſſent, *Roma nova*, *Roma ſecunda*, *Roma altera* ſint appellatæ, eundem Papienſibus ſuis ante annos aliquot vendicare voluit Vir Clariſſ. *Antonius Gattus* in Gymnaſii Ticinenſis, in quo Anteceſſorem agit, Hiſtoria, quam in his Actis A. MDCCV menſe Septembri pag. 594 ſeq. recenſitam dedimus. Quæ res adeo male habuit Virum doctiſſimum [*Juſtum Vice-Comitem*, quo nomine latere voluit *Joannes Paulus Mazzuchellius*, e Congreg. Somaſchor. Cler. Reg. Vir in poeſi & antiquitate non mediocriter verſatus, ut diem dicendum *Gatto* ejusdemque auſus in herba, quod ajunt, ſuffocandos ſibi ſtatuerit, veritus, ne ſi in tam venerandi nominis ſocietatem Ticinenſes admitterentur, hoc ipſo avitæ Mediolanenſium gloriæ famæque immane quan-

tum

Digitized by Google

tum detrahatur. Labor fere bipartitus eſt. Poſtquam argumentis Gatti, quæ ille pro cauſa Papienſium adduxit, ſatisfeciſſet, prærogativam *ſecundæ Romæ* Mediolano ſuo adſtruit. Gatti ſententia, quæ Ticino Regio *ſecundæ Romæ* appellationem tribuit, (vid. Hiſt. Gymn. Ticin. cap. I p. 6 ſeq.) tribus auctoritatibus innititur. Prima petitur ex carmine *Alcuini* ad Carolum M. quod ex Caniſio refert Duchesnius T. II p. 190:

Rex Carolus caput Orbis, Amor populique Decusque,
Europæ venerandus apex, Pater optimus, Heros
Auguſtus, ſed & urbe potens, ubi ROMA SECUNDA.

Secunda ex Epigrammate Leonino, quod marmore inciſum in ingreſſu Pontis ad dextram apud Ticinenſes viſitur.

Quisquis in hanc intrat deflexo poplite, dicat
Dic prope, qui tranſis, qui Portæ limina tangis
ROMA SECUNDA *vale, Mundi caput Imperiale &c.*

& ne forte quis *Bernardi Corii*, rerum Mediolanenſium Scriptoris præcipui, auctoritatem ſecutus, hoc elogium ad laudes Mediolani transferret, lapidemque illum a *Johanne Galeatio* Vice-Comite Papiam tranſlatum temere autumet, epitaphium, quæ tertia ratio eſt, *Manfredi de Beccaria & Fratrum*, Principum & Dominorum Papienſis Urbis & Provinciæ A. 1322, quod fuit in æde Cathedrali ibidem & a *Schradero* in Monumentis Italiæ pag. 335 refertur, adducit:

Tres ſucceſſive Cives genuiſſe refertur
ROMA SECUNDA *ſibi claros, quos protulit Urbi*
Ordine quemque ſuo MURRUM, CARUM*que ſecundo,*
Terno Manfredum, quos omnes de Becaria
Protulit unica ſtirps &c.

Oſtendit autem Antagoniſta, verba Alcuini (ſi modo illius ſunt) non ad Papiam ſed Aquisgranum pertinere, quem locum ob thermarum ſalubritatem ſedem Imperii elegerat ultimis annis Carolus, ut in vita ipſius notat Eginhardus. Et fatemur, huic ſententiæ tum alia, cum hæc ejusdem Poetæ verba optime convenire: p. 6.

Hic alii thermas calidas reperire laborant,
Balnea ſponte ſua ferventia mole recludunt.

Porro quam parum ejusmodi Epitaphiis, aut rerum ignorantia aut adulandi studio & libertate quadam poetica confectis, interque illa huic Beccariorum Principum, inficeta præterea Latinitate donato, tribuendum sit, edocet. Plane si talia autoritatem faciant, Avenionem etiam *alteram Romam* nominandam esse, cum in eam luserit Scaliger:

p. 16. *Vivendi ratio cum libertate receptæ*
Efficiunt, ut sis ALTERA ROMA *tibi.*

Ut dicamus quod res postulat, probe a se invicem separandi sunt tituli arbitrarii, qui ab Encomiastes ingenio dependent, ab illis, qui publica autoritate determinati reperiuntur, neq; illi his illico accensendi veniunt. Ad Marmor denique Papiense se convertit Vir Clarissimus, & postquam Mediolanum suum *Romam secundam*
23. salutatam in Monumento sub marmorea statua *Martini V* Pontificis Max. in Metropolitana civitatis Basilica, ab optimis itidem Scriptoribus, *Corio*, *Bossio*, *Isolano*, *Litta*, *Bugato*, *Castelliona*, *Morigia*, *Besutio*, *Castillioneo*, *Borrono*, *Villa*, *Cavatio*, commemorasset, illud quoque ad Mediolanum referendum ostendit. Neque falsum esse *Corium*, qui illos versiculos deinde a Galeatio II callidissimo Principe, ut recens subjugatorum Papiensium animos hoc magis sibi conciliaret, neve illi arcem supprimendæ libertatis causa extructam ægrius ferrent, in marmorea tabula ibidem poni jusserit. Non passuros fuisse hoc figmentum Corii Scriptores synchronos Papienses & suorum jurium acerrimos
31. vindices *Jacobum Guallam* & *Bernardum Saccum*; non dissimulaturum hoc fuisse, qui sub idem tempus scripserit, *Stephanum Beneventanum* & *Antonium Mariam Speltam*, quorum uterque congerendis ex antiquitate memoriis operam dederit, uterque Ticinensis, & uterque Ticinensium gestorum non tam historicus, quam præco. Deinde Papiensium Scriptores, qui Seculo XVII vixerint, factum hoc a Galeatio Principe libenter derivasse; nec
35. antiquiorem Galeatii ætate epigraphen reputandam esse, ductus literarum ostendere. Provocaturos sine dubio ad lapidem hunc fuisse Papienses, si quidem ad eos pertinuisset, cum acerrima inter illos ante hos centum septuaginta annos & Cremonenses de primo post Insubrum Metropolim loco lis exarsisset: sed illos

acerbis

Digitized by Google

acerbis vociferationibus ob eandem inſcriptionem laceſſitos ab
Hieronymo Vida, Pericle Cremonenſium, ſatis duxiſſe rem invidio-
ſam ſilentio occultare, quam incertæ aleæ committere. Eſt is
locus *Vidæ* dignus, qui legatur. Ita vero ille in actione tertia
adverſus Papienſes: *Quaſi vero in hac re mihi non ſit penitus ex-* p. 44.
ploratus veſter ſenſus? quaſi veſtra arrogantia non ſit omnibus no-
tiſſima? ac ſi non plane conſtet, vos cunctas civitates præ veſtra
animis premere atque deſpicere & pro nihilo habere, dignitateque
nulli urbium cedere, una vix, ægreque excepta Roma, quod etiam
vosmet ipſi omnibus, quibus contingit ad vos diverti, teſtatum eſſe
voluiſtis literis in ſaxo inſculptis, quod in Porta Ticinenſis poſte
poſitum viſitur. Quid enim aliud ſibi vult ROMA SECUNDA
VALE CAPUT MUNDI? Quibus verbis diſertiſſimi oratoris
in eam ſententiam perducimur, in Epigraphe iſta nec de Medio-
lano nec de Papia ſermonem eſſe, ſed de ipſa Roma; hoc ſenſu:
ROMA SECUNDA, (i. e. felix) VALE; CAPUT MUNDI
IMPERIALE: adeo ut Papia ſaltem ipſi Romæ felicitatem ſuam
anteferre voluiſſe, videri poſſit. Quo enim alias trahas illud
MUNDI CAPUT IMPERIALE? etſi videamus apud nonnullos
legi: *Regni decus Imperiale.* Reliqua in Inſcriptione: *Urbs ve-* 50, 51, 52, 53.
neranda nimis, ad aliam urbem Mediolanenſem Papienſem ſpe-
ctare poſſunt; quamvis conſtanter ad priorem illam relata do-
ceat conſenſus ſcriptorum, quorum verba ex MSS. Ambroſianæ
Bibliothecæ Codicibus recenſet Autor. Tandem ad prærogati-
vas eximias Capitis Ligurum divertit, quibus oſtendat, eam *ſecun-*
dæ Romæ encomio minime indignam fuiſſe. Eminent inter illas,
quod antiqua ſedes Gallorum fuerit, donec Marcelli Conſulis vir- 58.
tute interfecto Rege Virdumaro in Romanæ Reipubl. poteſtatem
ſe dediſſet; quod ſub libera Republ. Prætor Julliæ forum ibidem 59.
egerit, & re ad Imp. translata, Liguriæ conſularis in ea conſederit. 60.
Quod ex S. Julii Frontini teſtimonio Senatum habuerit, cum in
reliquis Civitatibus & municipiis, quamvis jure Romano dona-
tis, fuerit Collegium decurionum pro ſenatu, pro Conſulibus
Duumviri, ut alia jam omittamus. Unum monemus, Hiſtoriarum
Conditores Mediolano ROMÆ SECUNDÆ titulum adjudi-
cantes, Seculum poſt C. N. duodecimum haud ſuperare.

Ceterum non tacendum hac occasione de Mazzuchellio nostro putamus, quod in ejus manibus sint Francisci Mediobarbi Biragi Numismata Imperatorum Græcorum, in quibus augendis edendisque nunc imprimis occupatur.

JUSTO VICE-COMITI SECUNDÆ Romæ Defensori, Profligatori, STEPHANUS ABDUA Admonitionem & S.

Plag. 1.

QUi mos invaluit apud homines nonnullos etiam doctos, ut doctrinas suas absque stomacho & insectatione aliorum defendi posse non credant, eum præsenti Epistola sine die & Consule scripta *Justo Vice-Comiti* Mediolanensi exprobrat *Stephanus Abdua*, personatus autor, ipse quoque Mediolanensis, &, ut simulat, *Gatti* familiaris, quem ipsum *Gattum* esse credunt. Mo-
p. 4. net igitur, non eam esse Viri Clarissimi *Antonii Gatti* sententiam, Mediolanum *Secundæ Romæ* nomen non indeptum, sed saltem id nominis simul *Papiæ* adstructum ivisse; deinde, eum *Corium* non falsitatis, sed erroris saltem insimulasse, quod lapidem istum ad laudes Mediolani transferre voluerit: etsi bonus iste
6 seq. *Corius* in ipsa Italia a doctissimo Episcopo *Hieronymo Vida* coram ipso Senatu Mediolanensi mendacii fuerit insimulatus. Verba Vidæ ex actione prima adversus Papienses præterquam quod bonam fidem, prudentiam, sermonis cultum in eo desiderent, hæc
8. quoque objiciunt: *Ponere eum sæpe Poetæ alicujus figmenta pro historia rerum gestarum, ut Veneris adventum in Italiam cum toto Amorum comitatu, & ostendere, se plane ignorare alias in Poemate, alias in historia observandas esse leges.* Neque tamen scimus, quid moverit Epistolographum, quod, cum initio scriptionis ea, quæ a *Vice-Comite* pro elogio *Secundæ Romæ* Mediolano vindicando adducta fuerant, suffectura ad convincenda ingenia Eruditorum in re tam antiqua, atque adeo in arenam istam descensurum se negasset, mordicus tamen adhuc defendat, *Alcuini* locum, in proxime antecedenti Recensione allatum, de *Papia*, non de

Aquis-

Aquisgrano eſſe capiendum. Admittit, etſi invitus, quodammodo carmen illud in laudem *Aquisgrani* compoſitum, & tamen negat, *Romæ Secundæ* appellatione *Aquisgranum* denotari. At, inquit, non bene convenire alias tertio cum ſeptimo verſu. Recitemus verſiculos integros: p. 13.

Rex Carolus, Caput orbis, Amor Populique Decusque,
Europæ venerandus apex, Pater optimus, Heros
Auguſtus, ſed & urbe potens, ubi ROMA SECUNDA.
Flore novo ingenti magna conſurgit ad alta,
Mole tholis muro præcelſis ſydera tangens.
Stat pius arce procul Carolus loca ſingula ſignans
Altaque diſponens venturæ mœnia Romæ.

Quæ vero in his contrarietas? *Aquisgranum* quæ tertio verſu ob ſedem ab Imperatore ibidem fixam ROMA SECUNDA cognominatur, ob magnificentiam ædificiorum, quæ juſſu Caroli M. tum temporis eo ſpectante & moderante excitabantur, VENTURA ROMA dicitur. Eſto tamen, ROMAM SECUNDAM eo in loco *Aquisgranum* non eſſe, an ideo erit *Papia*, cujus toto illo carmine nulla mentio? cur non eodem jure *Auguſta Trevirorum*, *Arelatum*, *Mediolanum*, quas omnes Principis iſtius Imperio paruiſſe ſcimus. Etſi non inficias eamus, elogium ROMÆ SECUNDÆ ibi quoque *Aquisgrano* ex ingenio ſaltem Poetæ tribui.

ROMANUM IMPERIUM DOCTUM PER Imperium Charitatis; Autore P. PONTIANO SCHYZ, Ord. S. Benedicti Celeb. & antiquis. lib. & Imp. Monaſt. Ottoburani Profeſſo SS. Theolog. Doct. ac Prof. emerito, in Celeb. & Archiepiſcop. Univerſit. Salisb. Philoſ. Decano, Protonotario Apoſtolico prope Salisburgum in Plain Pœnitentiario.

Impenſis Autoris; proſtat ap. Wolfg. Mauritium Endter, 1712, 8. Alph. 1 pl. 20.

SCriptum hoc in duo diſtincta opuſcula diviſit Autor, in quorum primo cum cauſas quasdam vel occaſiones, cur intellectus prior

Digitized by Google

prior voluntate eſſe judicetur, in medium adduxiſſet, ipſam voluntatem priorem, potiorem ac meliorem intellectu variis argumenti ex Theologia, Grammatica, Oratoria & Philoſophia petitis ſtatuminare conatur. In opuſculo altero immortalitatem animæ humanæ primum ex definitione probat: definit autem animam, quod ſit unitas ſecunda a prima derivata, in quam omnes proprietates ſuccedunt, ſicut & ex eadem emanant; deinde eam ex independentia animæ a corpore, maxime intellectuali, ut ipſe loquitur, confirmat; porro ex independentia animæ ab omni operatione corroborat; denique ex independentia ejusdem a loco (phyſico & Ariſtotelico & intentionali theologico non amoroſo, juxta ſtylum ipſius;) & omni tempore, evincere ſtudet. Optandum foret, ut Autor in utroque opuſculo mentis ſuæ ſenſa clarius propoſuiſſet, nec pleraque tenebris plusquam Ægyptiacis aut Cimmeriis involviſſet.

NOVA LITERARIA.

PRæter ea, quæ M. Sept. A. 1712 p. 430 e Diarii Veneti T. IIX enotavimus, hæc etiam hoc loco memoranda ducimus. Venetiis *Opera Franciſci Redi* III Voll. in 8 recuſa ſunt, quæ editio multo auctior eſt Florentina; nec minus Dominici Bernini Hiſtoria omnium hæreſium, a C.N. usque ad noſtra tempora, quam Romæ ſparſim IV Voluminibus edidit lingua vernacula in fol. prelo denuo ſubjecta eſt, totidem Voll. in 4. Collecta quoque ibidem & quinque Voll. in 4 edita ſunt Lucæ Tozzi *Opera Medica*. Romæ Johannes Vignolii adverſus Virginium Valſechi, cujus Differt. hoc A. 1712 Menſe cit. p. 408 retulimus, Diſſertationem de Chronologia Elagabali edidit, in qua ſyſtema illius evertere conatur. Paulus Alexander Maffei Pii V Pontificis, quem nuper inter Sanctos relatum accepimus, Vitam, ipſo canonizationis die vulgatam, conſcripſit. Jo. Laurentius Lucchesini, præter tragœdias quasdam Latinas & vernaculas, *Polemicam hiſt. Janſeniſmi contextam ex bullis & brevibus Pontificiis, Literis Cleri Gallicani &c.* nuper vulgavit.

In Anglia Vir eruditiſſimus, Jo. Ulricus Meurerus, Stutgardienſis, Theſaurum Antiquitatum Hebraicarum aliquot Voluminibus edere parat, cujus ſpecimen præmiſit. Oxonii Clemens Alexandr. cujus curam Jo. Potterus ſuſcepit, prope prelo abſolutus eſt. Prodiere præterea in Anglia *Iſaaci Newtoni Opera Philoſophica* cum augmentis, in 4, *Theophraſti Characteres* Gr. & Lat. in 8 & *Horatius cum Notis Richardi Bentleji*, in 4 quem cum indicibus novis Amſtelod. R. & G. VVetſteinii prelo iterum ſubjecere. Iidem & in Ezechielis Spanhemii *de Præſtantia & uſu Numiſmatum* Tomo II, quem manu ſcriptum nuper ex Anglia accepere, edendo occupantur.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Novembris, Anno MDCCXII.

Q. HORATIUS FLACCUS EX RECENSIONE & cum notis atque emendationibus RICHARDI BENTLEJI.

Cantabrigiæ, 1711, 4.
Alphab. 5 plag. 3.

Quam in ornandis Græcis literis hucusque potissimum publice demonstraverat facultatem, Brittanniæ suæ decus, Rich. Bentlejus, eam Latinis quoque perpoliendis atque illustrandis sufficere, horis quas gravioribus negotiis subsecuisset, in Horatio ostendit, quem novo cultu multo quam antea ornatiorem nunc producit. Formam vero & institutum operis sic sibi definivit, terminisque his circumscripsit, ut ea sola attingeret, quæ ad sanitatem sinceritatemque lectionis pertinerent, cetera illa pluraque quæ ad historiam & mores antiquos spectarent, prorsus præteriret, opera nempe illa jam olim a Viris eruditis occupata, sine qua aditum ad Bentlejana illa sibi patere frustra quisquam speraverit. Cumque porro illa, quæ ex scriptorum Codicum collatione clare & ultro se ingerebant, prærepta jampridem sint & anticipata, neque quidquam fere residuum sit, nisi quod ex intima sententiæ vi & orationis indole solius ingenii ope sit eruendum, hinc plura in Horatianis his curis ex conjectura exhibentur, quam ex codicum subsidio, quod factum non inanibus rationibus a Viro eruditissimo defenditur. Opes vero quod attinet, quibus instructus ad aleæ plenam operam accessit, præter vetustos illos Codices, Lambino, Pulmanno, Cruquio, Torrentio, Bersmanno, Statio aliisque excussos, & ipse membranis veteribus usus fuit minime pœnitendis, quarum

prolixam ſatis & accuratam recenſionem inſtituit, neque editiones vetuſtas omniumque principes, Venetas anni 1478 & 1490, nec non Argentinenſem Jacobi Locher anni 1498, inconſultas prætermiſit. Ceterum ubicunque vel ex Codicibus vetuſtis, vel ex ingenio ſic clare verba fuerunt reſtituta, ut omnino in ipſum, quem vocant, contextum ea recipi oporteret, ita caute & prudenter res geſta eſt, ut ne minimum quidem a probatiſſimis editionibus deflexum ſit, quin recepta ſimul lectio in una pagina poneretur. Evenit tamen, ut, cum diu ante notas textus Horatii ſeorſim typis exſcriptus fuerit, quædam in textu relicta ſint, quæ poſtea obelo configenda eſſe deprehenderentur, alia in textum ſint admiſſa, quæ poſtea reſtitutis illis, quæ in primum folium relegata fuerant, ejicienda eſſe cenſerentur. Orthographiæ rationem ſequi eam placuit, quam antiqua monimenta & codices ſuaderent, & quam in ſua Virgilii editione Nic. Heinſius eſt ſecutus, unde *Volgus*, *divom*, *inpius*, *conpeſco*, & Accuſativos *urbis*, *auris*, *omnis* heic ubique invenias. Inſcriptiones datæ ſunt, *Carminum*, non *odarum* libri, *ſermonum* item, non *Satyrarum*, atque in his ſinguli *ſermones eclogarum* nomine veniunt, ex membranarum & Grammaticorum veterum autoritate. De ordine horum poematum ita ſentit Cl. Editor, ut hac ex parte præſtitam poſt Tanaquillum Fabrum a Dacerio Maſſonoque operam in partibus laudet, in operis vero ſumma, totoque conſtituendo, rem eos infeliciter geſſiſſe cenſeat. Horum enim rationibus, & carminibus, & epodis, & ſermonibus, & epiſtolis ſcribendis, uno ac eodem tempore vacaſſe Horatium neceſſe eſſet, & ſingula quæque poematia ſeparatim in vulgus edidiſſe, quorum utrumque a vero Vir Cl. cenſet alienum. Nempe omnibus, qui ejusmodi poematia ſcripſerunt, id in more fuiſſe, ut non ſparſas eclogas, ſed integros libellos ſimul in lucem ederent, quod Catulli, Tibulli, Propertii, Virgilii, Ovidii, Statii, Martialis, Perſii, Phædri, Avieni, Auſonii, Prudentii, Sidonii, Venantii conſtet exemplis. Prætereaque ipſum Horatium libros ſuos junctim editos indicare, primum quidem Carminum librum in prologo, ſecundum tertiumque libros in epilogis eorundem. Quartum vero Carminum librum, & Epiſtolarum ſecundum, longo

longo post cetera intervallo emissos esse, plenissimum suadere Suetonii testimonium. His positis primum Horatii opus statuitur Sermonum liber primus, quem triennio perfecerit intra annos ætatis 26, 27, 28, postea *secundus* triennio itidem, annis 31, 32, 33, deinde *Epodos* biennio, 34 & 35, tum *Carminum* liber *primus* triennio, 36, 37, 38, *secundus* biennio 40, 41, *tertiusque* pariter biennio, 42, 43. Inde *Epistolarum primus* biennio 46, 47, tum *Carminum* liber *quartus* & *sæculare* triennio, 49, 50, 51: postremo Ars Poetica & Epistolarum liber alter, annis incertis: qui calculi pluribus argumentis ex illis libris firmantur, Virique docti, extra limites illos evagantes, toties in errores prolabi demonstrantur.

De œconomia præstantissimi operis satis: observationum uno vel altero specimine ut Lectoribus salivam moveamus, restat. Nec longe talia quærere est opus cum ubique se offerant. In Carminum I Ode XII & receptam lectionem tuetur atq; explicat ingeniose, & novam inducit. Nempe ad v. 19, 20 ejus Odes

Proximos illi (Jovi nempe) *tamen occupavit Pallas honores*,

argutantur Interpretes, cur Pallas Jovi *proxima* dicatur ante Neptunum, ipsamque Junonem. Qua difficultate ut se expediant Puteani, Heinsii, Rutgersii, Dacerii, contra omnium librorum fidem legendum esse contendunt *occupabit*. Sed recto mentem Poetæ eos non observasse censet κριτικώτατος Autor. Ipse vero ante omnia ad præcedentem v. 17 attendi jubet. *Unde nil majus generatur ipso*: ubi *unde*, non ut plerumque valet, *qua ratione* interpretatur, sed præeunte vetere Scholiasta *a quo*, Jove scilicet parente, nil generatur majus, quem usum vocis *unde* pluribus adstructum ivit autoritatibus. Hinc autem eo judice incipit elucescere Poetæ sententia ista: A quo Jove nil ipso majus, imo ne simile quidem vel secundum generatur; tamen inter omnes ejus LIBEROS maximos honores consecuta est Minerva. Ut non cum Iunone, vel patruo suo Neptuno, sed cum sobole Iovis, fratribusque & sororibus suis Pallas hic comparetur: unde & in sequentibus ejus Odes nemo præter Iove genitos commemoratur. Inter Jovis vero laudes, quod neminem se majorem genuerit, eo consilio poni: quod ipse Saturno ortus, cum ma-

jor parente evasisset, regno quem depulisset, neminem tamen ex se genitum viderit, qui parem ei vicem referret: unde *Maximi*, *invicti*, similiumque nominum titulis cumulatus est: quodque, in fatis cum esset, ut ex ejus cum Thetide concubitu nasceretur tandem ipso Jove major, qui de cœlo eum mundique imperio, ut ipse Saturnum olim, dejiceret, ejus, utut perdite adamatæ, amoribus abstinere eamque Peleo permittere maluerit, ut ex Æschyli Promotheo & Ovidii Metam. V pluribus docetur. Ut vero in istis lectionem receptam erudite defendit, ita *Catonem* in istis v. 35 *an Catonis nobile letum* ferre nequit. Quomodo enim, inquit, Poeta post Romulum, Numam, & Tarquinium Priscum, statim ingerat Catonem tot seculis illis posteriorem, rursumque ad veteres illos revertatur, Regulum, Paulum, Scauros, ceterosque? Præterea apud Augustum & ejus domum hoc carmine gratiam initurus, quo judicio atrocissimum Cæsarianorum hostem, Catonem, tanto hic elogio ornatum voluisset? Hunc igitur in modum totum eum locum jubet constitui:

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, *anne Curti*
Nobile letum?

Ejusdem libri Odes XXXV elegantissimam sententiam, de fortuna,

Te Spes & albo rara Fides colit
Velata panno: nec comitem abnegat,
Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica *linquis*.
At vulgus *infidum*, *&* *meretrix*, *retro*
Perjura cedit.

Sed fere exspirantem sensumque amittentem, mutata voce *linquis* in *vertis*, h. e. concutis, affligis, ita exponit expeditissime, ut sensus sit, fortunam habitum mutantem, & ex secunda in adversam degenerantem, sicque potentum domos affligentem, spem, fidem & amicos certos adhuc comitari, meretrices autem & parasitos retro cedere atque diffugere. In carmine seculari quod v. 16 occurrit Dianæ cognomen, quo *genitalis* salutatur, a nemine

Digitized by Google

nemine recte explicatum, Interpretum, in *Genetyllis* mutat, quæ usitatissima apud Græcos ejus Deæ est appellatio. Neque minus acute in fine ejus carminis v. 68, 72, 73 conjunctivos *proroget*, *curet*, *applicet*, in indicativos vertit fide MSS. *prorogat*, *curat*, *applicat*, qua ratione vana repetitio dictorum inde a v. 33 devitatur, summaque elegantia carmini illi conciliatur; in quo chorus postquam pro imperio & re Romana, pro Principe & civibus vota Apollini & Dianæ nuncupasset, tandem quasi præsenti numine afflatus, toti cœtui & coronæ circumstanti fidenter narrat, vota sua a Diis exaudiri precesq; ratas haberi. Vexatissimum Interpretibus versum, qui 123 est Sermon. L.II,2, *Post hoc ludus erat culpa potare magistra*, ita exponit, ut substituta *cupa* pro *culpa*, *cupam* eandem, quam *copam*, *cauponam* interpretetur: sic enim Virgilianum Poemation quod *Copa* hodie inscribitur, *cupa* olim titulum prætulisse, observat ex Sosipatro Charisio p. 47: *Communia*, Cupo cuponis, *fullo fullonis*, *quamvis Virgilius librum suum Cupam inscripserit*. Denique, ut finem faciamus, elegantissimæ Horatii sententiæ de Arte Poetica v. 68 ita stribliginem abstergit, vt cum *facta* eo loco ne Latinæ quidem ferant aures, cum *opera* potius requirat sensus, quem ibi sequuntur Interpretes, *cuncta* substituendo expeditissimum verbis Horatii sensum conciliet:

Mortalia CUNCTA peribunt,
Nedum Sermonum stet honos & gratia vivax.

Sic ubique ingenium & doctrinam prodit Cl. Bentlejus, nec aculeis eum carere, sub finem Emendationum, ubi contra Gronovium acerrime disputat, apparet.

IMPERIUM ORIENTALE, SIVE ANTIQUItates Constantinopolitanæ, in IV Partes distributæ: quæ ex variis Scriptorum Græcorum operibus & præsertim ineditis adornatæ Commentariis, & Geographicis, Topographicis, aliisque quamplurimis Monumentorum ac Nomismatum tabellis illustrantur. Opera & studio Dn. ANSELMI BANDURI Ragusini, Presb. ac Monachi Bened. Congr. Melitensis.

Tomus I.

 Parisiis,

Parisiis, sumtibus Johannis Baptistæ Coignard, 1711, fol. ch. aug. Alph. 8 pl. 4 & Tabb. æn. pl. 40.

INter eos qui Constantinopolitanæ urbis antiquitates tradere aggressi sunt, primus fuit *Petrus Gyllius*, ex agro Albiensi apud Gallos natus, qui a Francisco I Francorum Rege Codicum Græcorum comparandorum causa illuc missus, pleraque ab Historicis recensita loca coram inspexit, & cum iisdem contulit, deinde ex peregrinatione diutina redux, Libros tres de *Bosporo Thracio* & Libros quatuor de *Topographia Constantinopoleos & de illius antiquitatibus* accurato studio scriptos reliquit posteritati, quæ eosdem omni tempore magni fecit & in deliciis habuit. Post hunc *Johannes Meursius* Notis brevioribus *Codinum de Ædificiis* illustravit, quem deinde secutus *Petrus Lambecius* ejusdem Codini opus de Græco Latinum fecit, & uberioribus nec spernendis animadversionibus edidit. Superasse tamen horum in eo genere doctrinam & industriam creditur *Carolus Ducangius*, aliis quoque monimentis clarus, in *Constantinopoli Christiana*, qua ipsa ex Scriptoribus editis pariter & ineditis incredibili labore adornata, a Nostro Byzantinæ historiæ parens dici meruit. Neque tamen omnem materiam ita præripuisse visus est Autori nostro, ut ab eo dictis non demi aliquid debeat, vel posset addi. Inciderat nimirum BANDURUS, cum Regiæ Parisiensis Bibliothecæ Codices manu exaratos evolveret, in Codicem Græcum n. 3058, 4 inscriptum *Patria seu Origines Urbis Constantinopolitanæ*, cumque animadverteret Scriptorem operis Codinum annis circiter trecentis & quinquaginta, quod ex jambis præmissis apparet, præcedere, diversa etiam methodo rem totam tractare, eundem per otium Latinum facere, ac ubi opus esset, commentariis illustrare incœpit, quod institutum adeo arrisit Viris nonnullis doctis, quorum sententiam expiscabatur, ut sponte currenti ad absolvendum opus omnibus modis calcar adderent. Atque quidem hunc solum scriptorem edere initio animo volvebat Cl. Bandurus, quem tamen laborem cum quotidie succrescere videret silva rerum notabilium Coignardus, cujus typis & sumtibus edi debebat, hic Autor eidem extitit, ut adjunctis aliis nonnullis duos in Tomos opus divideret; unde demum enata est hæc Veterum

Digitized by Google

terum rerum Byzantinarum Scriptorum collectio. Abſolvitur autem *prior Tomus* Partibus III, in quibus Græcorum quorundam ſequioris ævi ſcripta partim jam vulgata, partim inedita adhuc comparent. *Poſterior*, cujus recenſionem ſeorſim dabimus, Commentarios in Libros ante memoratos Antiquitatum Conſtantinopolitanarum & ſcriptores nonnullos alios complectitur. Nos quæ in qualibet Tomi prioris parte ſcripta reperire liceat, paucis ſubjiciemus.

In Prima igitur, in qua de Diviſione Imperii Romani in *Themata* ſive *Provincias*, nec non de Provinciis ac urbibus Imperatori Conſtantinopolitano olim ſubjectis, continetur *Conſtantini Porphyrogeniti* liber unus *de Thematibus Orientis*, quem jam ante Latina verſione & notis adornatum emiſerat *Bonaventura Vulcanius* Lugduni Batavorum apud Franciſcum Raphelengium 1588 in 8, & poſt eum cum variis lectionibus, emendationibus ac ſupplementis *Federicus Morellus* in operibus Conſtantini ibidem ex officina Elzeviriana 1617, 8. Cui ſubjungitur alter ejusdem *Conſtantini* de *Thematibus Occidentis* liber ab eodem Morello editus. Utrumque Noſter librum cum MS. Codice Regio bombycino n. 2431, ante quingentos annos circiter ſcripto, collatum, emendatiorem hic protulit. Conſtantinum excipit *Hieroclis* Grammatici *Synecdemus* ſive *Comes Peregrinationis*, opus de Provinciis ac urbibus, quæ Imperatori Conſtantinopolitano parebant, Provinciæ quidem 64, urbes 935, quem librum *Lucas Holſtenius* ex MS. codice Bibliothecæ Vaticanæ deſcriptum & ad alium Altempſianum Codicem correctum, nec non ex duobus aliis Farneſianis expletum Latinaque interpretatione donatum, una cum *Conſtantino de Thematibus* & *de adminiſtrando Imperio* in corpore Hiſtoriæ Byzantinæ edere pollicitus erat; morte tamen prævento Holſtenio, cum aliis ſchedis Holſtenianis deliteſcentem in Bibliotheca Barberina, Tomo II *Antiquitatis Eccleſiaſticæ illuſtratæ in appendice ad opus Geographicum* publici juris fecit *Emmanuel a Schelſtrate*. Noſter hunc partum ut genuinum autori ſuo Hierocli vindicat contra Schelſtratenium, deceptum, ut oſtendit, loco quodam Conſtantini ex ſecundo de Thematibus ſumto, quem ille Hieroclis putabat, cum ipſius Conſtantini eſſet. Præf. f. III.

Adden-

Digitized by Google

Addendum eſt, idem Hieroclis opuſculum editum a *Carolo a S. Paulo*, ſed mutilum, ad calcem *Geographiæ Sacræ.*

In ſecunda Parte exhibentur Tractatus nonnulli politici, in quibus forma adminiſtrandi Imperii præſcribitur. Primas hic obtinet *Conſtantini Porphyrogeniti de adminiſtrando Imperio*, ubi plurimarum Gentium, Patzinacitarum, Ruſſorum, Bulgarorum, Turcarum, Saracenorum, Dalmatarum, Chrobatorum, Slavorum, Francorum, Italorum aliorumque origines, ingenia, vires, expendit, quidve ab iis vel timendum ſit, vel ſperandum Imperatori Conſtantinopolitano. Prodiit & hoc Opus Græce & Latine Autore *Johanne Meurſio*, & cum ejusdem notis apud *Ludovicum Elzevierium Lugduni Batav. 1617, 8.* Noſter ex Codice Regio membranaceo optimæ notæ n. 2661 innumerabiles mendas, quibus Meurſiana editio ſcatebat, in textu pariter & verſione ſuſtuliſſe, ſuppleviſſe multa, præterea c. XXIII *de Iberia* & XXIV *de Hiſpania*, quæ Meurſius, utpote nimis corrupta, ſine interpretatione Latina dereliquerat, Latina ſe feciſſe, indicat. Sequuntur *Agapeti, ſanctiſſimæ Dei*, ut ipſe profitetur, *magnæ Eccleſiæ*, hoc eſt, ut Noſter explicat, *Sanctæ Sophiæ* Diaconi, dubium cujus, (fuerunt enim plures eodem nomine eodemque tempore) *Capita admonitoria* LXXII *ad Imperatorem Juſtinianum*, jam ante aliquoties *a Joachimo Camerario*, deinde cum notis, ſed imperfectis, *Draudii*, aliis *Stephani Schoningi*, poſtremo *Bernardi Damke* Hamburgenſis Baſileæ 1633 edita, quæ Noſter cum duobus MSS. Regiæ Bibliothecæ Codicibus contulit, & pluribus in locis emendavit. Quod idem præſtitit in illis quæ Agapeti σχεδὴν βασιλικὴν excipiunt, *Baſilii Macedonis Capitibus Exhortationum LXVI ad Leonem filium*, a *Federico Morello* primum Græce, poſt cum verſione & notis ejusdem *Damkii* Baſileæ 1633 vulgatis. Agmen demum horum Paræneticorum claudit *Theophylacti* Acridæ in Bulgaria Archiepiſcopi, *inſtitutio Regia* ad *Porphyrogenitum Conſtantinum*, Michaelis Ducæ Parapinacis & Mariæ Auguſtæ Filium, quam, cum eſſet extra corpus Hiſtoriæ Byzantinæ, in hunc locum cum interpretatione aut potius paraphraſi *Petri Poſſini*, qui eandem ex Codice ſingulari Bibliothecæ Regiæ Medicææ Pariſiis 1651, 4 vulgaverat, reponendam duxit doctiſ-

ſimus

ſimus *Bandurus*. Notat autem hic obiter errorem nonnullorum, qui *Theophylactum* ſub finem ſeculi noni floruiſſe ſcribunt, cum ſub finem undecimi vixerit, quorum error cum ex hoc ſcripto, tum ex ipſius Epiſtolis a Meurſio editis facile refellitur. Præf. p. 5.

Pars tertia ex Libris VIII Antiquitatum Conſtantinopolitanarum conficitur, ad quos totidem Tomo II Commentariorum libri extant. Quatuor libri priores ſunt illi, qui ſub titulo PATRIA ex Codice Regio chartaceo ſuperius commemorato, circa Michaelis Palæologi tempora conſcripto & Conſtantinopoli advecto paucisq; poſt Ducangii obitum annis in Bibliothecam Regiam illato, nunc primum in lucem prodeunt. Autorem illorum ſub Alexio Comneno vixiſſe, ex Jambis in fronte poſitis eidemq; Imperatori nuncupatis arguitur, Monachum vero fuiſſe, ex præfatione, in qua Alexium a munificentia & liberalitate in Monachos laudat, conficitur. Ceterum in eo Codino præferend9, quod ſecus ac ab hoc factum deprehenditur, urbem in tres partes diſtributam deſcribat atque adeo ſingulis ædificiis ſitum ſuum, quem tenuere, adſignet. Liber V *Breves Enarrationes Chronographicas* incerti Autoris, quas *Lambecius* ad calcem Codini ſub titulo: *Anonymi collectanea de Antiquitatibus Conſtantinopolitanis*, & *Franciſcus Combefiſius* in *Manipulo originum rerumque Conſtantinopolitanarum* ſub inſcriptione: *Breves Demonſtrationes Chronographicæ*, Pariſ. 1664, 4 cum interpretatione Latina ac notis promulgaverant, quæque hactenus extra corpus Hiſtoriæ Byzantinæ exulaverant, exhibet. Libro VI ſiſtitur Narratio *Nicetæ Choniatæ* de *Statuis Conſtantinopolitanis*, *quas Latini capta urbe confractas in monetam conflaverant*, qui liber hactenus lucem non viderat, ſed in Codice quodam MS. Bibliothecæ Bodlejanæ inventus a Viro Cl. *Joanne Erneſto Grabio*, nuper magno litterariæ rei diſpendio morte extincto, deſcriptus, & ad doctiſſimum Virum *Joannem Boivinium*, Chriſtianiſſimo Regi a Bibliotheca, quique eundem Tom. IV *Gregoræ* operum inſerere promiſerat, miſſus, huic Noſtro ab eodem liberaliter communicatus fuit. Subjiciuntur deinde huic opuſculo *Georgii Pachymeris Deſcriptio Auguſtæonis*, ſive Auguſtæi atrii pulcherrimi atque ampliſſimi Ædis Sophianæ, in quo erat ſtatua equeſtris Juſtiniani, ab

eodem *Boivinio* in Notis ad Gregoram, ſed Græce tantum, edita. Porro *Photii* Patriarchæ *deſcriptio Eccleſia nova* in Palatio a Baſilio Macedone extructæ, quam Lambecius primum Græce, deinceps etiam *Combeſiſius* in *Manipulo originum*, addita verſione Latina, produxit, quæque & ipſa in Corpore Byzantino non reperitur; deinde *Anonymi Catalogus & deſcriptio Sepulchrorum Imperialium, qua apud SS. Apoſtolos & alibi erant*, diverſus ab eo, quem edidit *Ducangius* Græce tantum *L. IV CP. Chriſtiana p. 109*, & denique *Excerpta de Antiquitatibus Conſtantinopolitanis* ex Codice Regio & Codino Lambeciano decerpta. Libro VII continentur varia Epigrammata ac Poemata veterum æque ac recentiorum Poetarum, nec non variæ Inſcriptiones. Primum locum tenent, quæ ex Anthologiæ L. III, IV & V deſcripſit, cumque interpretationibus metricis Latinis *Alciati*, *Velii*, *Morelli*, *Franchini*, *Grotii*, *Cornarii*, *Sleidani*, *Pauli Stephani* aliorumque edidit. Liber denique IIX Catalogos varios, editos ac ineditos, antiquos & recentiores, Patriarcharum Conſtantinopolitanorum nec non ſedes Epiſcoporum iisdem ſubjectorum, Catalogos item duos inter ſe diverſos Imperatorum Conſtantinopolitanorum recenſet. Inter illos cumprimis memoratione dignus, quem obtulit noſtro Autori Abbas *Euſebius Renaudotius*, non multo ante Conſtantinopoli ad ſe miſſum, qui quidem deſcriptus ex Codice Eccleſiæ CP. Patriarchalis, ſeriem illius Eccleſiæ Patriarcharum exhibet ab A. C. 1594 ad Annum 1702, ex quo ſane plures errores recentiorum Scriptorum, dum ſæpe plures Patriarchas ejusdem nominis pro uno accipiunt, vel ex uno plures confingunt, detegi poſſunt. De reliquis Catalogis adeunda eſt pereruditа Autoris huic priori Tomo præfixa Præfatio. Adduntur his omnibus velut appendicis loco, quos initio tetigimus, *Petri Gyllii de Bosporo Thracio* & *de Topographia Conſtantinopoleos* Libri, ſed ab erroribus emendati, locis Scriptorum, ne cum Gyllii dictis confundantur, charactere Italico diſtinctis: nec non *Anonymi urbis Conſtantinopoleos*, qualis tempore Arcadii & Honorii fuit, *deſcriptio*, cum annotationibus *Guidonis Pancirolli*. Obſervandum præterea nobili huic acceſſioni Corporis Byzantini inſertas eſſe duas Mappas Geographicas, quarum una Orbis Romani delineationem

tionem, per Themata ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis poſt Heraclii tempora factam, Autore *Gulielmo Inſulano* (de d'Isle) e Regia Scientiarum Academia, juxta mentem *Conſtantini Porphyrogeniti*, altera Imperii Orientalis & circumjacentium Regionum ſub Conſtantino Porphyrogenito & ejus prædeceſſoribus deſcriptionem, eodem Inſulano Autore, ob oculos ponit. Optandum interim, ut doctiſſimus Vir, quam pollicetur Operum *Nicephori Conſtantinopolitani* editionem, cujusque conſpectum ante aliquot annos edidit, & *Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Hiſtoriam*, diffuſam & multis difficultatibus circumſeptam tractationem, favente Minerva ad finem perducat. Neque enim mediocre aliquid ſperare nos ſinunt indefatigabilis illius diligentia & rerum reconditarum cognitio.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE de Dauphiné.

i. e.

COMMENTARII AD INSTRUENDAM HIſtoriam Delphinatus, quibus inſeruntur Acta Translationis factæ Provinciæ illius ad Regnum Franciæ, cum pluribus obſervationibus, conſuetudines veteres Regionis, & ſtatum Familiarum concernentibus. Collecta ſunt omnia ex Tabulariis Cameræ Rationum & Chartophylaciis nonnullarum Eccleſiarum.

Pariſiis, apud Imbertum de Bats, 1711, fol.
Alph. 7 plag. 10.

QUi hactenus ſcribendæ Delphinatus Hiſtoriæ manum admoverunt, aut ſeriem rerum minus accurate obſervantes, aut fidem inanibus figmentis & conjecturationibus fallentes ancipitem diffidentemque Lectorem invenerunt. Occurrendum huic malo ratus illuſtris *Valbonnaſius*, ſupremus Cameræ Rationum per Delphinatum Antiſtes, quem Autorem eſſe hujus operis accepimus, res potiſſimum quæ ſub Humberto II acciderunt, ex avthenticis illorum temporum ſcripturis eruere & ipſas antiquas chartas, ut eo ſecuriores redderet legentes, adjicere integras, conſilium cepit, quo in inſtituto ita feliciter ver-

ſatus eſt, ut univerſæ illius ætatis hiſtoriæ magnam lucem attulerit, & laudandum, quod ſequerentur, aliis exemplum reliquerit. Totum opus ſi recte conſideres, in duas partes diſpeſcitur, quarum prior faciem veteris Delphinatus ſtatus, quam ſub trina Delphinorum ſtirpe usque ad Humberti, de quo diximus, ſecundi ætatem repræſentavit, adumbrat; poſterior res Humberti inde ab initio imperii, quod cœpit A. 1333 usque ad ſolennem iſtam abdicationem Lugduni A. 1349 factam, qua ille imperium ditionemque ſuam in Carolum, Ducis Normanniæ filium natu majorem, Philippi Valeſii, qui tum Galliam moderabatur, nepotem transtulit, per ſingulos annos diesque perſequitur, cui demum ſtatum domeſticum Principis illius ſubjicit, & tredecim diſtinctis capitibus ſumma diligentia explicat. Prior tractatio quinque rurſus Diſſertationes exhibet, quarum prima de origine Delphinorum, ſecunda de ratione tractandi cauſas civiles & criminales, tertia ſtatum bellicum, quarta fiſci ærariique publici ordinationem, & quinta denique de Officiis Palatinis tractat. Adjectæ ſunt denique ad calcem poſterioris Tractationis, quibus ante dictorum fidem adſtruit, chartæ ducentæ octuaginta quatuor ex Archivis decerptæ, quibus ſubinde notas ſuas, voces barbaro-latinas obſcuriores & Genealogias Familiarum eximie illuſtrantes, addidit. Opus, ut vel ſolus conſpectus docet, ingentis doctrinæ, & ad memorabilia non ſolum Delphinatus, ſed & totius Galliæ, vicinarumque Regionum, expeditionum item cruciatarum, & Pontificum Avenionenſium, penitius dignoſcenda magno uſui profuturum. Nos ex utraque tractatione, quantum inſtituti ratio permittet, nonnulla delibabimus.

p. 1. ſeq. Delphinatus antiquiſſimis temporibus portio ditionis Allobrogum, poſtea acceſſio Regni Burgundici, tandem Francici Juris ſub Merovingis & Carolingis Regibus provincia, in diviſione a *Ludovico Pio* inter filios facta *Lothario* filio natu majori obtigit. Ab hoc cum tres illius filii poſt exceſſum Patris denuo Regnum dividerent, ad *Carolum* cum aliis nonnullis terris cis Rhodanum ſitis A. 855 pervenit, quo A. 863 mortuo ad *Lotharium* fratrem devoluta, hoc etiam fatis A. 869 concedente, a *Carolo Calvo* occupata, ab eodem *Boſoni* Comiti regenda tradita eſt, qui

qui turbatis Galliæ rebus occaſionem nactus, Regium annuentibus Proceribus nomen A. 879 invaſit, & ad Filium *Ludovicum* propagavit. Hic quod infelici contra *Berengarium* bello oculis orbatus eſſet, regni curas in *Hugonem* Comitem rejecit, qui & ipſe imperio potitus, *Rudolphi* potentiam metuens, ut tutam Italiæ poſſeſſionem ſibi compararet, Delphinatu eidem ceſſit; a quo deinde ad filium *Conradum*, & poſt hunc ad *Rudolphum III ignavum* (*le Faineant*) dictum translatus, ab hoc, quod maſculos heredes nullos relinqueret, ad *Conradum Salicum* Imperatorem ſucceſſione ex teſtamento tranſiit. Sub eo *Guigo Vetus*, ut vocant, Comes Albonis, quod Conradus Provincialium motus ex longinquo nec obſervare nec impedire poſſet, circa A. 1040 ſummam poteſtatem in *Graiſivaldenſe* territorium Gratianopoli vicinum ſibi vindicans, primæ Delphinorum ſtirpis autor merito cenſendus eſt. Exceperunt eum A. 1080 Filius *Guigo II* cognomento *Craſſus*, & poſt hunc Nepos *Guiges III*, in antiquis tabulis *Guigo Comes filius Guigonis Craſſi* vulgo dictus, eoq; mortuo *Guigo IV Comes*, *qui vocatur Delphinus*, ut loquuntur de eo vetera monumenta, mortuus A. 1142. Atq; ab hoc Delphinorum nomen ad poſteros continuatum fuiſſe, exiſtimat illuſtris Autor. Familiare ſiquidem illi ſæculo fuit, nomina Propria in nomina Familiarum integrarum & dignitatum convertere, quod exemplis nonnullis comprobat. Repudiat autem ſimul inveteratam apud quosdam opinionem, qua Delphinorum nomen inde ortum fabulantur, quod Comites Graiſivaldenſes in ſcutis ſuis Delphini formam expreſſam geſtarint, cum conſtet primæ & ſecundæ ſtirpis Principes usq; ad *Humbertum I* ab hujusmodi inſignibus plane abſtinuiſſe. Secutus Patrem *Guigo V*, in aula Friderici I educatus, & ab eodem jure monetandi in oppido Seſenna donatus, extinctus A. 1162, unicam Filiam reliquit *Beatricem*, quæ priori Marito *Gulielmo*, aut ſecundum alios, *Alberico Raymundi V* Comitis Toloſani nato ad plures abeunte, ſecundis nuptiis *Hugoni* Burgundo A. 1183 juncta eundem dominum ſuarum ditionum effecit. Ex hoc conjugio ortus *Guigo VI Andreas* appellatus terris hereditariis Vapincenſem & Ebrodunenſem provinciam adjecit, cujus filius *Guigo VII* contracto cum *Beatrice* Petri Comitis

p. 3.

mitis Sabaudiæ filia matrimonio, *Fauciniacum* territorium dotis titulo adquisivit, duosque liberos suscepit, *Johannem* & *Annam*, ex quibus hæc Fratri suo A. 1282 sine prole decedenti heres ex asse existens, *Humbertum* Dominum *de la Tour & Coligny*, quocum nuptias celebravit A. 1273, inque quo adeo tertia stirps orditur, pinguissima dote locupletavit. E vivis erepto Humberto A. 1307, successerunt eidem justo ordine filius Johannes, & ex eo nepotes *Guigo VIII* & *Humbertus*; de quibus paulo post quædam commemorabimus.

p. 5. Ad rem justiciariam, quæ secundæ Dissertationis argumentum est, quod spectat, id ferme ante *Humberti II* tempora obtinuit, ut minores Feudatarii, *de Fiefs simples* possidentes, sine mero & mixto imperio agerent, majores (*les Haut-Justiciers*) in quibus & Episcopi numerabantur, omnimoda jurisdictione & absoluta gauderent, ut nec ab ipsorum sententiis appellationes reciperentur. Dicebant autem jus vel ipsi vel per alios, qui ab Episcopis constituti in rebus spiritualibus sententiam ferentes *Correarii*, in secularibus, *Vicarii* appellabantur. Si inter Dominum & subditos controversiæ nascerentur, illi judices dare ad dirimendum potestas competebat, quod *dare Judices pro Curia* erat. Porro illis majoribus Dominis leges, *Libertates* (*Franchises*) dictas, pro lubitu statuendi jus erat, bonam partem ex veteribus
8. Burgundionum institutis, sub quibus olim vixerant, petitas. Nullum crimen tam horrendum & ingens, cujus pœna pretio redimi non posset, quod illi pro modulo avaritiæ suæ definiebant. Adulteria centum solidis in Statutis Gratianopolitanis, in aliis locis sexaginta aut etiam minoris æstimari solita. In egenos crudelissimis suppliciis sæviebatur. Supplicia volentibus Judicibus ipsi Burgenses sive civitatum incolæ sumere tenebantur, nisi ex privilegio immunitatem impetrassent, quam indultam fuisse observat habitatoribus oppidi S. Georgii: *aliquis Burgensis non tenetur facere aliquam mutilationem, vel ultimum supplicium latronum vel malefactorum præcepto Castellani nostri vel alterius, nisi de sua processerit voluntate.* Præter istas æstimationes pœnarum aliam insuper Domini a reis delictorum exigebant, cui no-
11. men *Banni consueti* erat. Delphini quemadmodum suas terras

in

Digitized by Google

in Bailliviatus, & has iterum in Caſtellanias diſtribuerant, ita illis juriſdictionis exercendæ cauſa ſingulis præſidebat Judex Major (*Juge Maje*) qui ſingulis annis ſubjectos ſibi Caſtellanos viſitabat, illorum ſententias corrigebat, & cauſas dubias determinabat. Formula illorum Judicum, qua utebantur in pronunciando, meretur obſervari: *Nos ſedentes pro tribunali more Majorum noſtrorum in præſentia præſentium & abſentia abſentium, quorum Dei præſentia repleatur, non declinantes plus ad dextram quam ad ſiniſtram, ſed eo libramine ſacroſanctis Dei Evangeliis coram noſtro conſpectu oppoſitis, ut de vultu Dei noſtrum rectum procedat judicium, & oculi noſtri in iis & omnibus videant æquitatem, ſigno venerabilis ſanctæ Crucis nos munientes, dicentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen; habitaque matura deliberatione coram peritis & liberis abſolutos abſolvendo & condemnatos condemnando.* Quæ omnia tamen inſtituto A. 1337 ab *Humberto II Conſilio Delphinali*, poſtea Gratianopolin tranſlato, & imminuta ſenſim Majorum Dominorum potentia atque ſub leges Delphinorum vocata, magnam mutationem paſſa ſunt, quod fuſius ab Ill. Scriptore declaratur.

Ex Diſſertatione tertia & quarta non eſt, quod multa huc transſcribamus, id ſolum notandum venit, Delphinos jura pleraque vectigalium & ſimilium exactionum ex conceſſione Imperatorum, inde a temporibus Conradi Salici ſpeciem quandam Dominii directi in iſtas Provincias ſibi reſervantium, quique eosdem *fideles ſuos* in Diplomatibus ſuis vocare ſolebant, exercuiſſe.

Diſſertatio quinta munia *Senechallorum* ſive Dapiferorum, p. 104. ſq. *Bajulorum* ſive *Baillivorum*, *Caſtellanorum*, *Correariorum*, *Cellariorum*, qui cellæ vinariæ & eſcariæ præerant, *Miſtralium*, qui ſpecies Judicum erant, *Veheriorum* ſeu *Vicariorum* (Vehiers) *Præpoſitorum* (Prevots) *Clavariorum*, *Mandariorum* ſeu *Mandatariorum* & *Banneriorum* indagantur, quæ locuples acceſſio ad ea, quæ a *Cangio* aliisque hanc in rem congeſta ſunt.

Pars altera unice Humberto II Principi ſub quo multa evenerunt commemoratu digna, conſecrata eſt. Natus is A. 1312 151. Patre, ut ante diximus, *Johanne*, Filio *Humberti I*, poſt ejus exceſſum aliquamdiu Dominus *Fauciniaci* audiit, donec Fratre

Del-

Delphino *Guigone VIII* in bello adverſus Sabaudum A. 1333 globo ferreo percuſſo, quo tempore Neapoli in aula *Roberti* Regis, cujus conſanguineam *Mariam de Baux* A. 1332 ibidem in matrimonium duxerat, commorabatur, ad poſſeſſionem ditionum ampliſſimarum vocaretur. Prima ipſius cura fuit in abolendis ſuper delictis reorum nefandis Dominorum pactionibus, ſecunda in erigendo Conſilo Delphinali, ad quod ſenſim omnes pertractæ cauſæ etiam majorum Vaſallorum. Novas inde quam plures dignitates & munia invexit, quæ ante id tempus in aula Delphinorum ignorabantur, ſolertiſſimus officiorum diſpenſator & omnino laudandis virtutibus Princeps, ſi modum expenſarum tenuiſſet, neque nimia ſuperſtitione correptus effuſa prodigalitate erga Eccleſiaſticos homines uſus fuiſſet. Cum filio *Andrea* præmatura morte erepto, nullam ſpem ſobolis supereſſe videret, de futuro ſucceſſore mature conſilium iniens A. 1343 *Philippum* Aurelianenſem Ducem,
p. 175. *Philippi Valeſii* filium natu ſecundum heredem nominat, conditione adjecta, ut ille, & qui eum ſequerentur, Delphini impoſterum nomen adſciſcerent; deinde tamen artibus *Joannis* Normanniæ Ducis circumventus animum mutat, ejusdemque Filium natu majorem *Carolum* d. 16 Jul. A. 1349 Lugduni in locum prioris ſubſtituit, eumque, Sceptro, Annulo,
196. Vexillo & Gladio, antiquo Delphinatus inſigni, traditis, Vaſallis undique ad homagium præſtandum confluentibus, publice Delphinum proclamat. Ipſe altero die cucullo ſumto ſancti Do-
199. minici Regulæ ſubſcribit, anno poſt a Clemente VI *Patriarchæ* Alexandri infula donatus, eodemque anno ad adminiſtrationem Archi-Epiſcopatus Rhemenſis, quod eidem Patriarcham & Epiſcopum eſſe per Canones non liceret, & ſimul præpinguium redituum perceptionem admiſſus, in ea functione animam d. 22 Maj. 1355 reddidit. Cadaver in Monaſterium Jacobinorum Pariſios delatum, inque choro Templi prope exuvias Reginæ *Clementiæ* materteræ conditum fuit, Epitaphium etiam ad alterum magni altaris latus erectum, quod hanc epigraphen ſiſtit: *Hic jacet Princeps & Dominus ampliſſimus D. Humbertus primo Viennæ Delphinus: deinde relicto Principatu Frater Ordinis Prædicatorum in hoc conventu Pariſienſi ac demum Patriar-*

cha

*cha Alexandrinus & perpetuus Adminiſtrator Remenſis & praeci-
puus benefactor hujus conventus. Obiit autem A. D. MCCC LV,
die 22 Maji. Orate pro eo Pater noſter. Ave.* Ceterum id ſilen-
tio involvendum non eſt, cum A. 1345 Imperatorem expeditio-
nis cruciatæ, reluctantibus licet Cardinalibus, qui eum tanto
oneri ſubeundo minime parem cauſabantur, a Pontifice Cle- p. 182.
mente VI electum fuiſſe, præſtitoque ob id ſolenni jurejurando,
ſancta cruce ornatum & Eccleſiæ vexillo inveſtitum magno ſub-
ditorum & propriæ rei familiaris incommodo eandem ſuſcepiſ-
ſe. Maſſilia ſolvens Venetiis, qua in urbe delectus Chriſtiani
exercitus agebatur, a Duce *Andrea Dandalo* honorifice exceptus,
ab eo in numerum Nobilium Venetorum adſcriptus, eorundem
prærogativas indeptus eſt. Tantopere autem hac ipſa expeditione 187.
ſibi placuit, ut nonnulli Hiſtoricorum eum Humberti nomen cum
Imberto commutaſſe, memoriæ prodiderint. Sed re infecta, in-
duciis cum infidelibus ob pecuniæ inopiam, & quod Clerus Gal-
licanus eo tempore infelicibus Anglorum invaſionibus debilita-
tus, decimas a Pontifice indictas non ſolveret, factis, A. 1347 ad
ſuos rediit.

Ex chartis ſubnexis multa docemur, quæ ſtatum illius ævi
declarant. Primo equidem illæ ubique clamant Jus Juſtiniane-
um & cautiones ex illo depromtas ſollicite admodum adhibitas
fuiſſe. Negotia ferme omnia, contractus, transactiones, ceſſio-
nes, donationes, ultimæ voluntates coram Notariis conficie-
bantur, vel ab Imperatore vel a Pontifice creatis. Hi etiamſi ab
Imperatore ordinati, nunquam in inſtrumentis ſuis annos illius
præmittunt, ſemper Pontificis; cujus rei duæ videntur cauſæ, au-
toritas Pontificum in vicina Provincia Avenione tum ſedenti-
um, & quod Notariorum plerique ex Clericis eſſent, deinde
quod Ludovici Bavari fulmine Papali tacti autoritas, ut Impera-
toris, in terris illis non agnoſceretur. Sed & id obſervamus, in
inſtrumentis illis INDICTIONIS annos diligenter annotari,
non Romanæ quidem, quæ a Calendis Januarii incipit, quaque
in Aula Avenionenſi utebantur, ſed Conſtantinopolitanæ, cujus
initium retro a prima die Septembris menſis petebatur. Promo-
vit autem uſum Juris Juſtinianei, quod Juris Civilis Doctores ad

Digitized by Google

maximas dignitates aulæ admitterentur & Nobilitatis quando-
que jura indipiſcerentur, quorſum ſpectat formula in charta
p. 245. Humberti A. 1330: *Illuſtris Vir Dom. Humbertus Dalphinus Dom.*
Fucigniaci attendens grata ſervitia per *nobilem Virum Dom. Ni-*
colaum Conſtancii Militem Legum Doctorem &c. iidemque Aſſeſ-
ſores eſſent ſummi Tribunalis Dalphinalis, quod ex Tabulis
348. Creationis ejusdem apud S. Marcellinum A. 1337 factæ apparet.
Quin & id multum effecit, quod ſumma Proto-Notariatus di-
gnitas in *Amblardum do Bellomonte Juris Civilis Profeſſorem* col-
lata ibidem inveniatur, & in ordinatione ejusdem Principis A.
414. 1338 de officio Cancellarii inter alia conſtituatur: *item prædictus*
Cancellarius eſſe debeat Doctor utriusque Juris vel Civilis. Erant
enim aliquando Doctores legum ſive Juris Civilis & Doctores
Canonum a ſe invicem diverſi. Circa annum quoque quadra-
429. geſimum ſeculi memorati quarti decimi, *ſtudium generale* Gra-
434. tianopoli excitatum & in eo Jura Civilia & Canonica explicari
536. juſſa.

Secundo minime negligendum eſt, Delphinos ſummum in ſe Imperatorum imperium agnoviſſe, & provincias clientelari quodam jure ab iisdem ſe poſſidere libenter profeſſos eſſe, etſi negari non poſſit, res turbulentas Germaniæ in cauſa fuiſſe, quominus illi juribus ſuis perfecte uterentur. Evolvi hanc in rem
279. meretur Diploma Ludovici Bavari, in quo Humbertum Regem
Viennæ conſtituit, quam prærogativam tamen hic, ne Pontifi-
cem offenderet, modeſte deprecatus eſt: ut & alterum illud lau-
dati Imperatoris A. 1337, quo eum ad arma adverſus hoſtem ſu-
361. um *Philippum Valeſium*, Franciæ Regem, ſumenda, *ſub fidei debi-*
to, quo nobis, inquit, *& Imperio ligaris & adſtringeris tuorumque*
Feudorum ab Imperio dependentium obtentu, hortatur. Quæ ſpe-
ciminis loco adduxiſſe ſufficiat.

MEMORIE ISTORICHE DELL' ANTICO TUSCOLO oggi Fraſcati.

h. e.

COMMENTARII HISTORICI DE ANTIqua urbe TUSCULO, hodie FRACATO dicta, collecti per

per DOMINICUM BARNABAM MATTHÆUM, ab eodemque dicati illuſtriſſimis illius Civitatis Conſervatoribus & Conſiliariis.

Romæ, ex Typographia Joh. Franciſci Buagni, 4. Alph. 1 plag. 5.

TUſculum inter principes quondam Latii civitates & aliquamdiu caput illius, a Telegono Ulyſſis ex Circe filio annis p. 1, 2.
poſt excidium Trojanum viginti, ante Romam conditam quadringentis & decem excitatum fuit; unde factum ut & in numis Gentis Mamiliæ, quæ inde originem ducit, Ulyſſes tanquam 8.
caput illius conſpiciatur. Nomen a voce *Tus* nonnulli derivant, Noſter a *tuſis glebis:* cumque ſitum illius Philippus Cluverius 9.
aliique magni nominis Viri in monte, cui hodienum Tuſculano nomen eſt, inveniſſe ſibi videantur, Noſter tamen cum Holſtenio, 12 ſq.
Fabretto, Gronovio (quem Autor Grunnovium, a Fabretto haud dubie deceptus, conſtanter vocat) in eo loco ponere mavult, cui Fraſcatum oppidum ſuperſtructum eſt, quam ſententiam pluribus argumentis confirmat. Recenſet deinde Hippodromum, Circum, Theatra, Villas delicioſiſſimas, in quibus Luculli & Ciceronis eminebant, Templa item, in quibus illud, quod Jovi Majori dedicatum, re Chriſtiana in ſolido conſtituta Salvatori ſacrum eſſe juſſum fuit. Colebatur in eo quondam effigies Chriſti a 103.
S. Luca, ut ferebat fama, picta, deinde in Cathedrale Templum Tibur translata, ſub qua hæc Inſcriptio legitur:

CHRISTO SERVATORI
MEMORIÆQVE PERENNI

HOC IN SACELLO SALVATORIS NOSTRI EFFIGIES A B. LUCA DEPICTA, VENERATIONE TAM DEBITA QUAM DEVOTA CUSTODITUR, IN EODEMQUE CORPUS B. QUIRINI SERVATUR, CUJUS PRÆTER CÆTERA, MEMORIA CERNITUR IN LAPIDE IN INGRESSU A DEXTRIS. HUC TAMEN MULIERIBUS INGREDI NEFAS EST, NISI UNICO DIE DEDICATIONIS DUMTAXAT EJUSDEM, QUOD A GREGORIO NONO CONSECRATUM EXTITIT ANNO A S. DEI-

Digitized by Google

PARÆ VIRGINIS PARTU M CC XXXIV. XIII. KAL. JULI.

Porro Familiæ illustres, quæ e Tusculo prodierunt, enarrantur,
p. 117--130. in quibus sunt Mamiliorum, Cincinnatorum, quas prolixius persequitur, Valeriorum, Catonum aliæque, insertis subique inscriptionibus veteribusque monimentis bonam partem primum vulgatis. Progreditur ultimo ad formam Reipublicæ & fata civitatis. Liberam fuisse, antequam Romanis subjiceretur, facile quidem admittitur, neque tamen probatur, ut contendit Autor ex Inscriptione, quam produxit Aldus Manutius, & in qua mentio fit cujusdam Lucii Cesonii, qui R. P. TUSCULANORUM CURATOR (*Reipublicæ Tusculanorum Curator*) fuit, cum initium illius

L. CESONIUS C. F. QUIRINA LUCILLUS

satis innuat, Tusculum eo tempore jam fuisse Municipium Ro-
141. manum Tribui *Quirinæ* adscriptum. Seculo post C.N. sexto Tertullus Patricius Romanus illud Abbatiæ Sublacensi una cum aliis terris dono dedit, in qua filius Placidus, postea Martyr & in numerum Sanctorum receptus, regulam S. Benedicti sequebatur, quæ donatio a Justiniano Imperatore, ejusdemque uxore Theodora, ut & Gregorio M. Pontifice confirmata est. Sequenti seculo ad Octavios beneficiario jure pervenit, familiam Romæ potentem,
148. & quæ plures sedi Romanæ ex suis Præsules dedit. Non opus est, ut nomina Comitum Tusculanorum hic recenseamus, cum Autorem ipsum parce admodum versatum hic deprehenda-
156. mus. Id notari meretur, *Oddonem de Columna* A. 1151 die 17 Decembr. transtulisse *medietatem*, ut sonant verba instrumenti, *Tusculanæ civitatis cum omnibus pertinentiis & finibus*, ex causa permutationis, in Eugenium III eo tempore Romæ sedentem, qui anno subsequenti quinquagesimo secundo eam a pignoris nexu, quo obstringebatur Oddoni Frangipanio, liberavit. In eodem instrumento permutationis clausula, qua se ad pactorum fidem servandam devincit *Oddo de Columna*, intacta omitti non debet: *quæ omnia*, inquit, *si, ut prædictum est, non fecerimus & non observaverimus, obligo me, meosque successores, & per* STIPULATIONEM SPONDEO NOMINE POENÆ DUPLUM *supradictæ* rei,

rei, quam trado, præſtare tibi &c. quæ ſatis oſtendit, quam ſollicite jam ea ætate cautiones Romani Juris in Italia ſint obſervatæ. A. 1155 Jonathas, Ptolemæi Principis Tuſculani filius & ſucceſſor, alteram partem urbis adhuc tenens, Adriano IV Pontifici vaſallagium præſtitit his verbis: *Ego quidem Jonathas filius quondam Ptolomæi de Tuſculano hac præſenti die mea bona & ſpontanea voluntate juro fidelitatem vobis ſupradicto D. N. PP. Adriano, veſtrisque ſucceſſoribus, dum vixero, & promitto adjuvare vos & veſtros ſucceſſores per me, & per totam meam terram contra omnes homines, excepto contra Imperatorem*, addita quoque ſecuritate: *& inſuper ad majorem fidem vobis faciendam do, & in tenimentum mutuo, atque delibero Roccam meam Montis Fortini, & aliam Roccam, quæ appellatur Fajola, Raynerio de Vezzo & Berardo de Anagni, conditione & pacto adhibito, ut iſti teneant ſupradictas Roccas a modo, & usque in terminum duorum annorum intrandorum, priusquam vera pax fuerit facta inter vos & Romanos. Quod ſi (quod abſit) quæ vobis promitto, non obſervavero, tunc non ſolum perjurii reatum incurram, verum etiam partem meam Civitatis Tuſculanæ amittam, & veſtra ſit ad proprietatem* &c. & paulo poſt: *& hanc fidelitatem & promiſſionem ideo vobis facio, quia vos conceſſiſtis & dediſtis mihi in FEUDUM totam partem veſtram ſupradictæ Civitatis Tuſculanenſis cunctis diebus vitæ meæ, me vero mortuo ipſa veſtra pars vobis ſine moleſtia revertatur.* Poſtea Tuſculani, pulſo Comite ſuo Rainone, Jonathanis Fratre, cui, quod urbem Anti-Papæ Caliſto obtuliſſet, indignabantur, ſe in fidem dederunt Alexandro Pontifici, qui, quod aliter a Romanis pacem impetrare ſe poſſe diffideret, in hanc conditionem, ut muri Tuſculani dejicerentur, A. 1172 transegit. Acceſſit transactio inter Clementem III & Romanos A. 1188 inita, in qua Pontifex daturum ſe ad diruendum *Muros & Carbonaria Civitatis, & Roccas Tuſculani & ſuburbiorum*, ſalva tamen Romanæ Eccleſiæ proprietate, promiſerat: quod factum indigne ferentes Tuſculani, cum initio Friderici I Imperatoris, deinde eo mortuo Henrici Filii in Italiam ad capeſſendam Imperii coronam adventantis auxilia implorarent, & præſidia reciperent, ab eodem in manibus poſiti Pontificis Cœleſtini, ex Urſinorum familia Ro-

p. 162.

180.

181.

188.

mana Tuſculanenſibus infenſiſſima orti, a Romanis acceptæ ſub Friderico I cladis memoribus ex inſidiis occupati, membriſque
p. 195. miſere mutilati aut obtruncati, funditus, lapidibus adeo Romam delatis, die 12 April. 1191 everſi ſunt. Atque in hoc miſero urbis interitu finem quoque operis collocat Autor. Dicit autem, præter hoc duo alia ſe meditari *Il Tuſcolo riſtorato nel nuovo Fraſcati* & *il Tuſcolo Eccleſiaſtico*, quæ avide expectamus.

PRO BERNARDINO CORIO, MEDIOLANENSI Hiſtorico, Diſſertatio JUSTI VICE-COMITIS.

Bergomi, apud Rubeum, 1712, 8.
Pl. 4 & dimid.

QUæ controverſia de ſecundæ Romæ elogio, quod Mediolano vindicare Cl. Gaddus voluit, coorta ſit, nupero Menſe Octobri diximus. Cum vero *Bernardini Corii*, principis Mediolanenſium Annalium conditoris, ſubleſtam fidem tetigiſſet, atque eum in finem partem acerbiſſimæ in eundem invectivæ *Hieronymi Vida* in medium attuliſſet perſonatus *Admonitionis Autor*, famam civis a criminationibus defendere hac ipſa diſſertatione, aut ſi mavis, declamatione inſtituit Clariſſimus *Vice-Comes*. Operæ pretium eſt cauſas tantarum irarum Albenſis Præſulis adverſus Mediolanenſem Hiſtoricum non intactas, cum vulgo ignorentur, hic dimittere. Fervente ante hos centum & ſeptuaginta annos graviſſima inter *Ticinenſes* & *Cremonenſes* de προεδρίᾳ poſt Mediolanenſem urbem contentione, cum *Ticinenſes* auctoritatem *Corii*, qui L. IV Hiſtoriarum *Papiæ* in auguſto funere *Johannis Galeatii* primi Mediolanenſium Ducis A. 1402 celebrato ſecundum a *Mediolano* locum obtigiſſe dixerat, urgentes, non procul a victoriæ ſpe abeſſe viderentur; *Cremonenſes*, quæ ab utraque parte in ſcriptis hactenus prolata erant, ad popularem ſuum, *Hieronymum Vidam*, Albæ Epiſcopum, ſenem octogena-
40. rium d. 30 Maj. A. 1549 tranſmittebant, ejus auxilium implorantes, ut, qua polleret ingenii dicendique vi, ea quæ Patriæ ſuæ cauſæ favere animadverteret, in orationem elegantem compingeret, quæ typis impreſſa Senatui Mediolanenſi, coram quo lis ageba-

agebatur, oblata ejuſdem favorem aucuparetur. Prodierunt
hinc tres actionum adverſus Papienſes libelli, ſtomachi & con-
vitiorum pleni, *Cremonæ* 1550, & iterata editione *Pariſiis* 1562, *Ja-* p. 38.
cobi Antonii Bevilaquæ opera, quibus duas orationes oppoſuit *Ju-*
lius Salernus, Ticinenſis, homo diſertus, quæ ſcriptæ hodienum
ſuperant in Bibliotheca Ambroſiana. Non ferendas injurias
rati *Papienſes* pars ſyngrapha ad duellum provocatoria *Cremo-*
nenſibus mittere, pars ad arma utcunque in ipſos concurrere,
donec *Ferdinandus Gonzaga*, Mediolanenſis provinciæ ea ætate
Gubernator, vices ſuas interponeret, & *Cremonenſibus* facti indi-
gnitatem vitio Declamatoris & ſua negligentia, quod libellos,
antequam typis vulgarentur, non legiſſent, excuſantibus, libelli
iſti ex Decreto ampliſſimi Ordinis in loco infami, *la Vedra* dicto,
quo extremum a reis ſupplicium laqueo ſumi ſolet, ac ſub pati-
bulo ipſo, quod ea die ex Principis & Senatus imperio erectum 60.
fuerat, manu carnificis concremarentur. Lis ex *Corii* auctori-
tate ſecundum *Papienſes* data; neque tamen ea res efficere po-
tuit, quo minus *Bernardus Saccus*, Ticinenſis hiſtoriæ Scriptor,
in editione A. 1565. decrepitum ſenem & jam nonageſimum 12.
quintum ætatis annum ingreſſum, tanquam rerum hiſtoricarum
imperitiſſimum, mendacem, calumniatorem, profugum ab Ec-
cleſia, Juris humani expertem, atque hæreticorum occidentali-
um Imperatorum fautorem objurgare dubitaverit. Plura dein-
de in laudem quoque *Vidæ*, cumprimis quod facultatem ipſius 65.
in re Poetica attinet, inſperguntur, quæ hic referre nimis foret
prolixum; ſed & iſta omnia ſtudioſe collegit *Franciſcus Ariſius*, 13 & 40.
Literatorum Cremonenſium acerrimus vindex, *Tom. II Crem.*
Lit. Ipſam Apologiam *Corii* paululum perluſtremus. Atque cum
eum, licet in aula *Sfortiadum* ſplendide verſaretur, & Ludovico
Sfortiæ a ſecretis eſſet, maculas tamen & ſcelera eorum in aſpe-
ctum omnium produxiſſe monuiſſet, ad diluenda ea, quæ ab *Hie-*
ronymo Vida ei objecta fuerant, pergit. Dicit igitur, ſtilum ru- 26.
dem & illimatum veritati hiſtoriarum minime officere, ob hanc
religioſe obſervatam, non ob illum *Corium* in magna ſemper di-
gnatione fuiſſe. Fabulas ſi quas in antiquiſſimis rebus admiſce-
at, eas *Sicardo*, Cremonenſi, debere, in iis, quæ ex Tabulariis & 17.
Archi-

Google

Archivis petere potuerit, fidum eum eſſe & accuratum Scripto-
rem. Deinde falli & fallere *Vidam*, qui eum Annales ſuos in
villa parum ab agro Papienſi diſſita ſcriptos aſſerat, cum eos in
p. 29. *Nignarda* oppido, quod Novocomum verſus ſecundo circiter a
Mediolano lapide diſtat, exaraverit. Porro ad Hiſtoriam nihil
referre, quod vernacula ſcripſerit; cum non, qua lingua quiſ-
30. que uſus, ſed an hiſtoriæ leges præ oculis habuerit, videndum ſit.
42 ſq. Subjicit deinceps teſtimonia Virorum doctorum, *Cuſani*, *Jovii*
aliorumque, quibus *Corii* fidem & induſtriam commendarunt:
45 ſq. commemorat etiam, qua auctoritate Hiſtoriæ illius in Foro Me-
diolanenſi in cauſis Feudorum, Juris Patronatus, Clericalium Be-
neficiorum, Succeſſionum aliisque valeant, & longa illuſtrium
exemplorum ſerie firmat.

COLONIÆ TICINIÆ ROMANÆ COMmentum exſufflatum. Diſſertatio Juſti Vice-Comitis pro regia Ticinenſi urbe adverſus Cl. V. ANTONIUM GATTUM.

Bergomi, apud Rubeum, 1712, 8.
Pl. 3 & dimid.

EXciderant Viro Cl. *Antonio Gatto*, de veteri ſtatu Papiæ in Hiſtoria Ticinenſis Gymnaſii c. 2 p. 15 differenti, hæc verba: *Omittendum mihi non eſt, urbem hanc fuiſſe vetus* MUNICIPIUM ROMANORUM, *quod ſe vidiſſe in antiqua inſcriptione teſtatur Philippus Cluverius Italia Antiqua L. 1 c. 27, &* COLONIAM, *ut apparet ex Inſcriptione, qua legitur apud Gruterum pag. DLII num. 5:*

Lapis in Carinthia repertus.
MARIUS RUFUS. C.
TICINIÆ. MILES. CO
HORTIS. MONTANOR
M. PRIMÆ STIPEN
DIORUM. XV.
H. S. EST.

Quaſi legendum eſſet: *Marius Rufus Colonia Ticinia Miles* &c. quod nomen in Latio hactenus non auditum hac diſſertatione profligare intendit doctiſſimus *Vice-Comes*. Monet autem, inde ab

ab initio male poſt MUNICIPIUM *Coloniæ* mentionem fieri, cum ſi qua fuerint Colonia Papienſes, ex Municipio talem factos eſſe veriſimile non ſit, quod longe melior fuerit conditio Municipiorum, quam Coloniarum: ſiquidem illis ſuis legibus Magiſtratibusque, his non niſi alienis vivere permitteretur, quam in rem locus inſignis extat apud *Gellium* Noct. Att. L. 6 c. 3. Pergit deinde, ſi vel maxime genuina ſit Inſcriptio *Gruteriana*, male tamen ex ea inferri, Coloniam Ticinenſem fuiſſe Romanam, cum & alterius generis potuerit eſſe, Militaris, quæ & Auguſtalis, cujusmodi *Feſula, Bovilla, Sueſſula* aliæque civitates, vel Latina, ut *Piſa, Brixia, Verona, Vicentia, Novaria*, vel Italici Juris, etſi hæc proprie fuerit, quæ extra Italiæ limites deducebatur. Deinde male & contra Latii uſum Ticiniam dici, quæ Ticinenſis potius appellari debuiſſet. Sed & *Gruterianam* Inſcriptionem, ut multas alias, ex *Lazii Commentariis de Republica Romana L. 12 Sect. 6 c. 5 p. 1042 editionis Francofurtanæ An. 1598* mendoſe deſcriptam, plane Ticiniæ cujusdam Coloniæ non meminiſſe, cum apud hunc legatur: p. 13. p. 19.

MARIUS RUFFUS. C. TICIN. ET MILES COHORTIS. MONTANOR. &c. p. 21.

nimirum: *Marius Ruffus, Civis Ticinenſis*, cum & in aliis Inſcriptionibus litera C. Civem denotet, quod exemplis nonnullis adſtruit. Porro ſi Colonia Romana fuerit, neceſſe eſſe, ut uni ex triginta quinque Tribubus Romanis accenſita fuerit, ſolere id autem obſervare inſcriptiones ejusmodi, ut poſt nomen Gentilitium, deſignatio Tribus, cui Colonia adſcripta olim fuerit, ante cognomen ponatur, ut in illa apud *Andr. Alciatum Monum. 124.* p. 22. 23. p. 30.

MERCURIO
C. ALBINUS C. F. OUF.
MASCELLIO &c.

h. e. *Mercurio Cajus Albinus Caji filius Oufentina* (i. e. Oufentina Tribu, ſeu ex Oufentina Tribu) *Maſcellio* &c. quod indicium cum in Gruteriana non compareat, liquido patere, *Ticinum* Coloniam Romanorum non fuiſſe. Concludit tandem in ea controverſia, quæ *Papienſibus* cum *Cremonenſibus* de principatu fuit, p. 31. p. 39.

 id

id maxime ſibi gloriæ duxiſſe *Ticinenſes*, quod nunquam Colonia fuerint Romanorum, ſed inde ab initiis ſuis Municipii honoribus gaviſi ſint. Quæ omnia ſatis oſtendunt, doctiſſimum Virum in eruendis examinandisque Antiquitatibus nec ingenio nec judicio deſtitui, ut adeo Diſſertationi, quam meditari ſe dicit de *nomine urbis Papiæ*, faventem Lucinam apprecemur.

p. 18.

BRUMMERIANA, SIVE OPUSCULA JURIDICO-Hiſtorico-Philologica, Polyhiſtoris celeberrimi FRIDERICI BRUMMERI, Lipſienſis, partim olim typis mandata, partim ex Manuſcriptis nunc primum edita. Recenſuit, indice locuplete inſtruxit, deque Jurisprudentia formulari, rituali & ſymbolica quædam præfatus eſt GEORGIUS BEYER, JC.

Lipſiæ, ſumptu Joh. Frid. Braunii, 1712, 8.
Alph. 1 plag. 21.

FRidericus Brummerus anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo ſecundo honeſto apud Lipſienſes loco natus, maximorum Literatorum ſine dubio famam eruditionemque exæquaturus fuiſſet, niſi juveni fata ad ſumma tendenti miſerabiliter fila abrupiſſent. Imbutus a prima infantia utriusque linguæ ſtudiis, decimo ſeptimo ætatis anno nondum impleto A. 1658 in matriculam Academiæ patriæ relatus, eodem adhuc anno Carmen in Salvatoris nativitatem compoſitum publice recitavit; inde inſtitutione & ſupellectile libraria Viri ſummi *Thomæ Reineſii* adjutus, tantum in Antiquitatum & Jurium cognitione profecit, ut A. 1662 elegantem de *Scabinis antiquis, ævi medii & recentioribus* exercitationem Præſide Jacobo Thomaſio V. Cl. & biennio poſt de *Locatione Conductione* diſſertationem auſpiciis Patrui ſui Andreæ Brummeri publicaret, & utramque ſumma cum omnium admiratione in cathedra publica defenderet. Dehinc ſtadio legitimæ ſcientiæ emenſo in Belgium, Angliam, Galliamq; profectus, doctiſſimos quosq; inviſit, eorundemque amorem ſibi conciliavit, Bibliothecas & MSS. Codices ubique excuſſit, & inter ſe contulit, ut jam ſpem magnam ubivis de ſe excitaret, quæ multum aucta fuit, poſtquam A. 1668 Pariſiis agens eruditum ad Legem Cinciam

Com-

Commentarium, laborem, in quo ordo, puritas ſermonis, peritia veterum rerum haud perfunctoria & judicium limatiſſimum fere pariter regnant, ibidem elegantibus typis forma quarta majori deſcribendum curaret, eundemque *Joanni Baptiſtæ Colberto*, Miniſtro Regio, nuncupatum eidem d. 29 April. prædicti anni, ut ipſe in ſuo exemplo notavit, offerret. Sed eodem anno in Italiam movens, cum non procul a Lugduno ab incauto curſore publico, neglecto, ut compendium viæ faceret, ponte vicino, per fluvium Arberinum, tum pluviis frequentibus tumentem, duceretur, inopinato caſu illius undis ſubmerſus fuit, heredibus ejus Bibliothecam magno ſtudio collectam, & in quam plures optimæ notæ Codices ex Reineſiana transmigraverant, diſtrahentibus. Facturus operæ pretium non absque re putavit Conſultiſſimus Beierus, ſi, quæ commemoravimus ſcripta, e manibus hominum ferme elapſa, una cum declamatione contra otium & Panegyricis nonnullis Thomæ Reineſio olim ſcriptis dictisve compilaret, & uno volumine comprehenſa erudito orbi poſtliminio velut reſtitueret; quo ipſo non exiguam apud talium rerum æſtimatores gratiam iniit. Nos ea, quæ Cinciam Legem & Scabinos veteres attingunt, breviter narrabimus.

Lex Cincia, a M. Cincio M. F. N. Alimento Tribuno Plebis (unde Plebiscitum proprie fuit) A. U. C. 549 rogata, tribus, quantum quidem ad notitiam noſtram pervenit, capitibus conſtitit, quorum prius contra Φιλαργυρίαν Patronorum illius temporis directum, ab eo his verbis, etſi ſolemnia ipſa pridem jam perierint, effertur: NE. QUIS. OB. CAUSAM. ORANDAM. DONUM. MUNUSVE. CAPIAT: quæ tamen lex, quod *Sanctionem* non haberet, (quam ob rem imperfecta dicta ab Ulpiano in Regul. tit. 1) temporibus belli Mariani & Cæſareani ita conculcata fuit, ut eam Auguſtus, pœna etiam quadrupli in transgreſſores ſtatuta, reducere ad priſtinam obſervantiam neceſſe habuerit Claudii ævo A. 798 ex æquitate temperatus rigor eum in modum fuit, ut Patronis pro ſingulis cauſis liceret capere dena Seſtertia, quod ampliſſimum honorarium noſtræ monetæ ducentos quinquaginta Rhenanos efficeret. Etſi vero temperamentum hoc a Claudio additum initio principatus Ne-

C. I. II. III. IV. V.

Digitized by Google

C. VI. ronis iterum fuerit ſublatum, mox tamen revocatum ſub Traja-
no inſequentibus temporibus duravit, licitam quantitatem *usque
ad centum* aureos interpretante Ulpiano, qui cum denis Seſter-
tiis coincidunt, licet modernus fori uſus totidem aureos Hun-
X. garicos ſubſtituerit. Sub Conſtantino M. & qui eum excepe-
runt, Principibus eadem obſervata ſunt, quanquam aurei æſtima-
tio nonnihil fuerit imminuta: imo illi, qui Statuti appellati,
Advocatis Supernumerariis contradiſtincti, cumprimis autem
Fiſci cauſas tractantes, ingentibus inſuper ſalariis donati inveni-
XI. untur. Imperium tamen moderante Carolo M. arbitraria illo-
rum Honorariorum æſtimatio fuiſſe, & a Miſſis Regiis depen-
diſſe videtur, quemadmodum hodienum juxta Provinciarum
cauſarumque diverſitatem ſolet inſtitui; niſi quod Friderici II
conſtitutio, quæ inter Siculas L. 1 t. 83 apud Lindenbrogium
occurrit, Advocatis in cauſis certam æſtimationem recipienti-
bus *ſexageſimam partem litis* ſtipulari indulgeat, in reliquis ve-
ro, quæ incertæ quantitatis ſunt, determinationem ſalario-
XII. rum Bajulis & Judicibus committat. Secundum Caput L. Cin-
ciæ donationibus in genere modum ponit, cujus verba ita con-
ſtituit Brummerus: UT NE PLUS - - - - HS. DONARE
LICERET, EXTRA QVAM SI CONJUNCTIS PERSO-
NIS DONARETUR, QVOD EO AMPLIUS DONATUM
ESSET, RATUM NE ESSET: quam ſummam, in veteribus
monimentis non ita clare expreſſam, cum *Cujacius* & *Ranchinus*
ducentorum aureorum, Hotomannus autem dodrantem omni-
um bonorum eſſe arbitrati ſint, ipſe quidem exceſſum illius
quantitatis, quam *modum donationis* in l. 9 §. 1, *modum legis* in
l. 21 § 1, l. 23, l. 24 D. de donation. *legitimum modum* in l. 5 §. 2
& 5 de doli mali exception. appellarunt veteres, hoc eſt, quin-
XIII. gentorum ſolidorum fuiſſe autumat. Caput tertium Legis
Cinciæ circa modum donationis occupatum eſt: UT IN DO-
NATIONE QUIBUSCUNQUE PERSONIS FACTA MAN-
CIPATIO TRADITIOVE INTERVENIRET. Ubi quidem
de mancipatione & traditione earundemque differentiis ita di-
ſtincte & perſpicue agit, ut ante eum nemo. Mancipatio erat
modus transferendi *rerum mancipi* dominium verum & omni-
bus

Digitized by Google

bus numeris perfectum, quod *Quiritarium* vocabant. Porro res mancipi erant, Ulpiano docente, *prædia in Italico ſolo tam ruſtica quam urbana. Item jura prædiorum ruſticorum, item ſervi & quadrupedes, quæ dorſo collove domantur.* Fiebat mancipatio inter mancipantem & eum, cui res mancipabatur, præſentibus quinque teſtibus cum *Libripende* & *Anteſtato.* Hunc ultimum multi figmentum Aniani crediderunt, ſolennibus antiquis Romanis penitus ignotum, quos tamen ex veteri donationis rerum mancipi inſtrumento apud Gruterum Ed. vet. p. MLXXXI erroris convincit. Cum vero obſcurum ſit, quis fuerit ille *Anteſtatus*, dum eum Gutherius eundem cum Libripende facit, Ant. Auguſtinus vero pro teſte habet, cujus auris vellicabatur, *Cujacius* denique & *Oiſelius* in emancipationibus liberorum pro Patre fiduciario accipiunt, ipſe, horum ſententiis modeſte repudiatis, *Anteſtatum* cum *Aleandro* conjicit fuiſſe, qui quinque teſtes convocabat, cum Libripende mancipationi intererat, & quinque teſtium aures ad exemplum in jus vocantis, antequam mancipatio peragеretur, ſemel atque iterum, ut rei geſtæ memores eſſent, vellebat, atque ſic anteſtabatur. Diverſa ab hoc mancipationis actu traditio erat, quæ in rebus nec mancipi, *prædiis* nimirum, ut verbis illius utamur, *ſtipendiariis & tributariis, quæ in Provinciis a populo Romano & Principe poſtea debellatis uſus & poſſeſſionis gratia Provincialibus relinquebantur, cum onere ſtipendiorum & tributorum, quæ in directi Dominii, quod Populus & Princeps ſibi reſervaverat, teſtificationem & confirmationem quotannis pendebantur, tributa quidem a Provincialibus Populi, ſtipendia a Provincialibus Cæſaris*, adhibebatur. Per hanc translatæ res mancipi *in bonis eſſe* dicebantur, & ex *Dominio Bonitario*, ut Theophilus vocat, poſſideri. Sed & alias multas ſcitu utiles & jucundas obſervationes inſpergit, quales ſunt de *Lege Titia* contra Charondam *c. 1*, de Muneris & Doni differentia *c. 2*, de Orationibus Principum, Prætoribus, Quæſitoribus eorumque diverſimodis Edictis c. VI, de mercenario Patrocinio Ciceronis contra Corradum, de Xeniis item c. VII, de Palmariis Advocatorum c. IX, de diverſis ordinibus Advocatorum c. X, quas omnes ſigillatim referre velle limites inſtituti noſtri excederet.

De *Scabinis* tractatio tripartita eſt: quod alia illorum conditio fuerit antiquiſſimis Germanicæ Reipublicæ temporibus, alia ſub Merovingis & Carolingis Regibus, alia denique eorum hodie animadvertatur. Scabini, Schöppen/ *Eſchevins*, quorum etymon cum Frehero ex Francica veteri lingua, in qua *Scepeno* idem eſt ac judex, derivat, illi ipſi ab initio fuerunt, quos *Comites* vocat *Tacitus de moribus German. c. 6*, quique olim Principibus per Pagos jura reddentibus conſiliis & auctoritate ſua aderant. Verba Taciti ſunt: *Eliguntur in iisdem conciliis & Principes, qui jura per Pagos vicosque reddunt:* CENTENI *ſingulis ex Plebe* COMITES, *conſilium ſimul & auctoritas, adſunt*: in quem locum τὸ CENTENI vitio librariorum vel ſciolorum intemperantia irrepſiſſe credit; ut adeo ſenſus ſit: Principibus in Concilio Germanorum electis ad hoc, ut jura per Pagos, in quos tunc univerſa Germania dividebatur, redderent, adeſſe ex plebe Comites (more loquendi a Romanis petito) ſectatorum & clientum quandam manum, CERTOS ſingulis, a quibus & conſilium & auctoritas ipſis accedat, quos ſua lingua Skeppen/ Skôſſen/ Scheppen/ Barbaro-Latini Scabinos dixerint. Hac occaſione quædam de Principibus iſtis & Gravionibus, qui ea ætate ex Nobilibus per ſuffragia in Conciliis electi in Pagis ſive territoriis jus dicebant, interſerit. Illos, quod præcipuum in jure dicundo locum haberent, dictos Germanis *thi Færſten*, Furiſtas Otfrido in Paraphraſi Evangeliorum Teutonica, a præſidendo Firſtehen; hos vero a canitie nomen accepiſſe exemplo aliarum Gentium, apud Anglo-Saxones *Aldermannos* dictos. Id meretur obſervari, Principes & Graviones illis temporibus quandoque ſynonyma fuiſſe, & nonnullos Pagos ſub uno Principe ſive Gravione, nonnullos ſub pluribus fuiſſe. Sub Merovingis & potiſſimum Carolingis ſtatu Democratico in Monarchicum verſo Germania quidem in Pagos ſive Provincias, quibus Principes præficiebantur, porro diſtributa manſit, ſic tamen ut Pagi iterum ſub ſe plures complecterentur Comitatus, etiam Govias appellatos, quibus Graviones, Gow-Grafen/ cum vicario, dem Schulteiſſen/ & Aſſeſſoribus Scabinis juris dicundi cauſa præerant, & illi iterum in villas ſive Marchas ſubdividerentur. Gra-

vio-

C. I. II. III. IV.

Digitized by Google

viones in villa plerumque nobiliori ſuæ provinciæ *Mallum* ſive prætorium ſtatuentes nomine Regio ſententias ferebant, poſtea extructis Burgis ſeu urbibus, in easdem ſe recipientes, Burggrafiorum nomen acceperunt. Govv-Grafio ſ. Pagarcho reipublicæ negotiis aliis vel adverſa valetudine præpedito, ſuccenturiatus erat Sculdaſius, quem, ab Otfrido Monacho *Schuldheizen* nominatum, a Teutonico heiſſen/ heiten/ jubere, imperare, cum *Antonio Matthæo* deducit, qui vicariam poteſtatem in cauſis cognoſcendis judicandisque exercebat, idcirco Tungii a voce Dingen/ unde & alia, Ding-Graven / Dingſtuhl/ Anglo-Saxonibus Huſting quaſi Ding-Hauß/ Dinges-tag/ dies Martis, Saxonum præſertim veterum juridicus, dingpflichtig/ Frey-Geding Judicium VVeſtphalicum, formula item in gehegten Dingen binnen vier Bäncken deſcendunt, appellatione mactatus. Species horum Sculteторum quædam fuerunt *Centenarii*, minores Comitis Vicarii, centenis ſive minoribus portionibus, in quas Pagus vel Comitatus diſſectus, ſub ejus diſpoſitione præſidentes, unde die Cent-Graven: etſi hodie in Franconia & Palatinatu potiſſimum per Centenam, die Cent-Gerichte/ longe alia res videlicet merum imperium ſive jurisdictio criminalis indigitetur. Illi ipſi vero comites certo in loco, *Mallum* a Mahl ſigno dicto, C. V.
quod ibi ſigna jurisdictionis erigerentur, cum vicariis & Scabinis *Racimburgiis*, *Rachimburgiis*, *Rathinburgiis* (quaſi dicas Conſiliariis Burgenſibus) qui deinde & *Heimburgii* videntur audiviſſe, juſtitiæ adminiſtrandæ cauſa ſtatis temporibus conveniebant, numero plerumque ſeptem qui tamen mos variavit, a Miſſis Regiis electis conſtitutisve, de quibus hac occaſione multa ſcitu utilia afferuntur. Porro illi Scabini debebant eſſe liberi & ingenui, qui hodie nobiles, die ihre vier Ahnen beweiſen konten/ ſive Schöppenbarfrey; Cives & domeſtici, ſcientia rerum patriarum, prudentia & morum ſanctitate commendabiles. Adſtringebantur jurisjurandi religione; habentesque ſinguli ſua ſubſellia, die Schöppen ſollen haben ſunder Benck / oder Stuhl/ da ſie uf ſitzend/ ſine pileis, peplis & chirothecis, chlamydibus ſaltem ſuper humeros induti, inermes judicabant. Pertinebant ad eos cauſæ criminales & civiles omnes, hac forma, ut cauſæ

cauſæ cognitione a Comite facta ipſi interrogati dictis ſententiis reſponderent. Erat dignitas ipſorum hereditaria & deficiente prole maſcula ad proximum Agnatum deferebatur. Pœnæ illorum, ſi officii ſui immemores egiſſent, pro delicti gravitate remotio, mulcta, aliquando ſuſpendii pœna, ſic ut Scabini reliqui condemnato Collegæ carnifices manus inferre ipſi juberentur, & reus ſeptem pedes altior ceteris furibus ſuſpenderetur.

C.IX. Dehinc ad noſtri ævi Scabinos pergit, hoc ipſo a mediorum ſeculorum Scabinis multum diverſos, quod hi fuerint Judices, *una cum Comite merum & mixtum imperium habentes, eidemque ad judicandum aſſidentes*, illi ſaltem ſint *Aſſeſſores de jure reſpondentes, a Principe aliove poteſtatem habente conſtituti*: deinde quod noſtrorum dignitas mere perſonalis ad heredes non tranſeat. Adjungit ultimo loco quædam de Ampliſſimo Scabinatu Lipſienſi, qui inde ab A. 1420, quo primum de jure reſpondere cœpit, cum Senatu conjunctus, & ab ejusdem poteſtate dependens, demum ab Auguſto Electore A. 1574 ab illo fuit diſcretus reformatusque. Utebatur olim ſigillo quinque turrium flavæ ceræ impreſſo, alio poſtea, effigie nimirum Juſtitiæ, velatis oculis, dextra gladium, ſiniſtra libram gerentis, miniatæ ceræ, ab eodem Auguſto donatus. At alia jam omittamus. Tractatio tota idoneis probationibus ſuffulta non exiguam nobili argumento lucem affert, ſic tamen, ut gloriam uberioris diſquiſitionis Viris in hoc genere ſtudiorum exercitatis non præripuiſſe videri poſſit.

EX CHRISTFRIDI WÆCHTLERI JC. Literis ad J.B.M.

VEriſſime dictum eſt de Obſervationibus ad N. T. conſummatiſſimi JC. & Philologi Marburgenſis, Jo. Friderici Hombergii, Menſe Sept. p. 385, plurima ibi loca eleganter eruditeque explanari, adducunturque hanc in rem eorum non pauca. Sed incrementum capiet præclara laus iſta, ubi tetigerimus etiam ex aliis locis nonnulla, quæ ulteriorem illuſtrationem quodammodo conciliabant iisdem. Nam nec Cunrado Rittershuſio, JC. noſtrati, opprobrio fuit, in Lectionibus ſacris diſtinxiſſe ſcientiam Juris pulchritudine rerum divinarum, & Chryſoſtomo, Iſidoro

Digitized by Google

doro Peluſiotæ, eorumque interpretibus, deinde Hieronymo, Lactantio aliisque, medicam ſubinde manum etiam attuliſſe, tum vero profanorum libris ceu pabulo uſum. Similiter enim doctiſſimus Hombergius ſuſpicatur, Heſychium v. *διετὴς, δι' ὅλȣ τȣ̃ ἔτȣς*, p. 6.
reſpicere ad Matth. II, 16, cujus rei veſtigium, etſi ibi non occurrit, pertinebit tamen ad curam Io. Chriſtiani Biel in *Heſychio Sacro*, cujus mentio facta nuperrime p. 431. Phavorinus, *δι' ὅλȣ τȣ̃ ἔτȣς*, iterum, *ἀντὶ τȣ̃, δι' ὅλȣ τȣ̃ χρόνȣ*. Ita forte uterque reſpexit eodem, ſi recte auguramur. Sermo autem eſt de tractu anni ſecundi, nec ultra, & de anno illo ſecundo vel cœpto vel adulto. Sicut igitur excluduntur infantes completi biennii, ex mente Knachtbuhlii, ita non intelliguntur tantum a primo anno completo, & infra illum. Neque Heſychius loquitur de iſto termino anni primi: dicendum enim fuiſſet alias, *ἀπ' ἐνιαυσίων, καὶ κατωτέρω*. Sed apud Callimachum & Sophoclem plane non exprimitur vel initium, vel alius terminus temporis. Apud Theocritum autem in Idyll. 10 bene adjicitur, *σχεδόν*. Porro
οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι ſunt Noſtro tales *ἐν ἑαυτοῖς*. Diceres 13.
tamen manſuetos, humiles & ſimplices corde *τῇ καρδίᾳ*, collocari in commate 5 & 8. Deinde ſublimiore ſenſu occurrere *τῷ πνεύματι* Joh. XI, 33 & XIII, 21. Sicut & *ἠγαλλιάσατο ἐν πνεύματι*, Luc. X, 21. Sed analogia quædam ſenſus latere videtur in eodem præmio bis promiſſo, comm. 3 & 10, regno ſcilicet cœlorum. Verba Pauli, Act. XX, 22, *δεδεμένος τῷ πνεύματι*, vix poterunt divelli a commate 23. Futura enim ignorabat *ἐν ἑαυτῷ*,
quæque ipſi adeo revelabantur. Duplex ſenſus affertur verbo- 14.
rum Matth. V, 13 *ἐν τίνι*, quorum alteri favet omnino Marcus, IX, 50. Sed Matthæus & Lucas utrumque admittunt. De Auguſtino obſervat Jo. Fellus ad Cyprianum, f. 232, eum hic omittere interrogationem, & ſatis tamen commode procedere eam lectionem, nec abhorrere a textu Græco. Certe varios Codices, etiam Græcos V. T. & N. contulit paſſim Auguſtinus cum Latinis, neque aliam Latinam, N. T. inprimis, verſionem prætulit Italæ, quam primus ipſe titulo iſto ornavit, & diſerte laudat *de doctrin. Chriſt. l. 2 c. 14*. Apud Heſiodum Theog. v. 613 *παρελ-*
θεῖν, quod occurrit Matth. V, 18, non putem ſignificationem ha- 15.

bere decipiendi. Dicit, neminem poſſe effugere vel vitare de-
creta Dei. Idem ait Homerus, Iliad. α v. 134. Affine id autem
eſt præteritioni, de qua & Theocritum Idyll. 16 accipio; ne diſ-
cedamus nimium ab etymo. *λύειν* & *καταλύειν* diſtinguit No-
p. 16. ſter ad Matth. V, 19. Ubi conferri par erit Joh. II, 19, V, 13, VII, 23,
X, 35. Viciſſim in Gloſſis, *διαλύειν* eſt etiam *enodare*, & *διελύ-
ετο reſolvit*, *διάλυσις definitio, diſtinctio, deciſio.* Senſu autem
negante locum aliquem tribui violantibus præcepta minima, vi-
derunt Spanhemius, Hammondus, Auguſtinus etiam & Theo-
phylactus, quorum ibi loca adducuntur. Redundat *ἀπὸ σοῦ*
Matth. V, 42, ex mente Hombergii, quia Scriptores profani ita
19. loquantur. Adde tamen etiam Luc. VI, 34, 35. Et ad Matth. VI,
20. 2 nominabimus Lightfootum f. 297, 298. Jam & Phavorinus
διασαλπίζω τὰ πεπραγμένα, ἀντὶ τοῦ διαφημίζω. Locus Plu-
tarchi de Solone utique exponitur recte de *μισθῷ τῆς ἡδονῆς*, non
21. autem *τῆς τροφῆς*. Et mercedem hanc alimentorum prohibet
lex ipſa Solonis, non demum pater. Idem Plutarchus *de de-
fect. orac.* f. 433 loquitur imperſonaliter, *οὐδὲν ἀπέχει, τὴν μαν-
τικὴν ἀναθυμίασιν ἀναπληροῦν τὰ μανά*, *non repugnat, (non eſt
diſſentaneum) facultatem divinandi implere laxiora & apte con-
cinnare*, quaſi ſcriptum eſſet *οὐδὲν ἀπηχές*. Polybius, *τοσοῦτον
ἀπέχον, τοῦ ῥέπειν ταῖς γνώμαις ἐπὶ τὸ ποιεῖν τι τῶν λεγομένων,
tam procul aberant, ut inclinarent ad parendum mandatis* &c.
Iſocrates *Archid.* *τοσοῦτον δ᾽ ἀπέχω, τοῦ ποιεῖν τι τῶν προςαττο-
μένων*, *tantum abſum, ut faciam quicquam imperatorum.* Et
hæc eſt una ex ſignificationibus receptis, quæ a prohibitione acti-
va multum diſtat. Sed neque Suidas eam inſinuat. Phavori-
nus equidem dixit, *ἄπεσχεν, ἐκώλυεν*, ſed citra fidem autorum.
Apud Pindarum malim, *a tenebricoſo abſtinens*, *ἀπέχων*, *vitupe-
rio*, pro *ſummovens.* Id enim paulo minus congruit cum iis,
quæ ſequuntur, *κλέος ἐτήτυμον αἰνέσω, οὐχ ὑπερβάλλων, lauda-
bo verum decus, modum non excedens.* Locus Herodiani L. 6,
c. 13 fruſtra quæritur. Eodem vero ſenſu Dionyſius Halicarn.
οὐδεὶς με ἀφέξει φόβος, nullo abſtinebor terrore. LXX Interpretes
ſuppeditant nobis hic loca plura Gen. XLIII, 23, *καὶ τὸ ἀργύριον
ὑμῶν εὐδοκιμοῦν ἀπέχω, habeo.* Num. XXXII, 19, *ἀπέχομεν τὰς*
κλη-

Digitized by Google

πλήρεις ἡμῶν. Et teſtimonio Lucæ VI, 24 in eadem cauſa ſubſtituam Philipp. IV, 18, *ἀπέχω δὲ πάντα.* Callimachi Epigramma 58 jam eſt apud Suidam. Duo vero loca Syneſii præterea attulit Gatakerus ad Antoninum f. 135. Et Stephanus adhuc plura ex Plutarcho ipſo, τὸν καρπὸν ἀπέχειν, & τὰ διδασκαλεῖα, & τὸν μισθόν, digna omnia ut evolvantur. Laudat Hombergius ſuo jure Dialogum Socratis & Alcibiadis apud Platonem. Epigramma Græcum, cujus ibi mentio, exhibet Anthologia Lib. 1 f. 41, Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ --- ἄμμι δίδε. Vidi etiam ac legi Dialogum integrum; quumque Socrates bis dixerit, virum illum, de quo loquitur, mirifico erga Alcibiadem affectu eſſe & cura, facile heriolabatur hic, ipſum illum eſſe fortaſſis Socratem: ideoque coronam impoſuit capiti ejus. Et ſtatim reſpondet Socrates, veluti lætabundus, ἀλλὰ δέχομαι καὶ τοῦτο, *accipio & hoc, & quicquid a te præterea datum mihi fuit alias, atque in illorum contemplatione mihi complaceo.* Propius accedit, quod percupit etiam victor fieri & triumphator reliquorum Alcibiadis amatorum. In alia ergo omnia ivit Io. Serranus, fateri putans Socratem, ipſum ſe etiam ignorare doctorem illum divinum, & eadem, qua Alcibiades, ceterique, dubitatione & defectu ſcientiæ percelli, ac ſibimet diſcendum antea, ut alios doceret. Nam quod ait Socrates, οὐκ ἐνελάττιον κλύδωνι τοῦ Κρέοντος εἶναι δοκῶ, ad dubiam inter amatores Alcibiadis referendum palmam dixerim; atque adeo ſcopus iſte Platonis a textu noſtro non parum recedit. Multa tamen ibi egregie dicuntur de eo caſu, ſi Deus precantem percontaretur, *an ei civitatis Athenienſis imperium ſatis futurum eſſet?* deinde, *an imperium omnium Græcorum?* denique, *vel univerſa etiam Europa? & num ille permutare velit animam ſuam iſtis omnibus?* Tom. 2 Opp. f. 141. Interpres Plutarchi *de audiendis poetis*, *Xylander*, incidit in cenſuram Noſtri, quod ἡμερίδα verterit *partem*, non *vitem*. Sed docent nos variæ, quæ ad calcem adjiciuntur Tomi II, Lectiones, ſcriptum alibi fuiſſe, μερίδα, *partem*, fol. 14. Johannes Pricæus communicare poterat cum Hombergio, Matth. VI, 19, etiam ad oram Gloſſarii ſui annotatum fuiſſe a Claudio Sarravio, ἓν διὰ δυοῖν latere in textu. Neque fugiebat, opinor, Noſtrum, quid

p. 26.

27.

29.

hic

hic attulerit Hammondus, non refragante Cl. Clerico. De veſtitu Judæorum, quando cum cura is ageret Matth. IX, 16, mirer,
p. 38. non ſuccurriſſe, quæ tradit doctiſſimus Braunius ex Chryſoſtomo, Theophylacto, aliis, L. 1 c. 16 n. 17 & c. 17 n. 2 *de Veſtit. Sacerd. Hebr.* Inde enim conſtat quodammodo, quid fuerit in Palæſtina, *δύο ῥάκη συμβάλλειν*, *duas telas vel plagulas committere, aut jungere, & ex iis veſtimenta texere*, quidque *ἱμάτια*, tunica, pallium, toga Judæorum, L. 2 c. 5 n. 10 ſeqq; Sed & Druſius animadvertit, *πλήρωμα* hac in re eſſe vocabulum proprium, atque adeo ulterius excutiendum. Jam lectionem ab
42. Hammondo allatam Matth. IX, 36 *ἐσκυλμένοι*, pro *ἐκλελυμένοι* tacens repudiavit Hombergius, ni fallor. Poſtquam autem huic loco major adhuc lux acceſſit per induſtriam diligentiſſimi Millii ibidem & in proleg. §. 1178, ſententiam Noſtri præſtolabamur non immerito. Ibidem liberaliter adduxit loca Profanorum de verbo *ἐῤῥιμμένοι*, quibus præmittenda tamen videntur, Matth. XV, 30, & XXVII, 5, Luc. IV, 35, Act. XXII, 23 & XXVII, 43; ſed & LXX Eſ. XXXIII, 12. Jer. XIV, 16. Emphaſin ullam idem non quærendam
43. cenſuit in verbo *ἐκβάλῃ ἐργάτας* Matt. IX, 38. Varias autem illas, quas iterum ex profanis depromit, ſignificationes reducas non male ad primam & propriam, neq; ab illa facile abeundum. Nam & Matth XXV, 27 *βαλεῖν τὸ ἀργύριον τοῖς τραπεζίταις*, & Luc. X, 35 *ἐκβαλὼν δύο δηνάρια*, congrue dicitur ad ſubſtantivum *βαλάντιον*, Lucæ ſuetum. Ex illo ejicitur argentum, dum ſolvitur. Similiter Libanius *βάλλειν ὀβολὸν*, *ſolvere*. Sed & *ἐκβολὴ τοῦ ὀνόματος*, quæ fiebat in excommunicatione, ſpectat huc Luc. VI, 22 & Joh. IX, 34, 35. ibiq; videndus Dodwel. Diſſert. Cypr. V, 18. Sicut igitur non repugnat, paſtorem *ἐκβάλλειν τὰ ἴδια πρόβατα*, i. e. *totum gregem* v. g. *mille ovium*, Joh. X, 4, ita conſentaneum etiam eſt, rogari Dominum meſſis, *ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας* multos in meſſem ſuam, tam amplam utpote & copioſam, ut a paucis operariis non poſſit adminiſtrari, ſed exercitum quaſi aliquem requirat, emphaſi ex Pſ. LXIIX, 12 repetenda. Quicquid ſit horum, ſentio faciliores longe nobis progreſſus hic fore, ſi Verſione Itala genuina frueremur ubique. Fuitque doctiſſimo Millio perſuaſum, revocari etiamnum poſſe eam maxi-

Digitized by Google

ma ex parte, *Prolegom. n. 379*, eam, inquam, quæ jam ab ipſis propemodum Apoſtolorum temporibus adornata fuerit ad optimos Codices Græcos, ſolisque forte Apoſtolorum ipſorum authenticis dignitate inferiores, *n. 826, 1325 & 1471.* Hæc autem Verſio tam religioſe fere Græca ſequitur, ut raro ab ea recte, & cum judicio receſſum arbitretur Millius, ac ne quidem minus Latina, quæ in ea occurrunt, lubens ipſe mutarit, multo minus barbara & obſoleta. Hæc enim non ex interpretis oſcitantia proveniſſe, ſed conſulto, & de induſtria ab eo fuiſſe Interprete ita collocata, ut ſe textus Græci ſedulo ac moroſe tenacem oſtenderet, *n. 544, 1128, 1130.* Et hinc *referrem illam Italicam, ceu ad exemplaria primæva compoſitam, ſumma*, inquit *n. 1334, veneratione proſequimur, ejusque vel ſemeſa MSS. fragmenta qualibet auro contra non cara ducimus.* Quumque in Matthæo illa verſio fidi inprimis interpretis partes caſte & fideliter adeo expreſſerit, ut ex ipſa puritas fontium Græcorum notabiliter corroboretur, *n. 513*, deſinam conari quicquam ulterius, donec illam viderimus aliquando. Æque enim neceſſaria eſt in hoc genere ſtudiorum, uti Codex Florentinus in diſciplina Juris utramque facit paginam.

JO. ALBERTI FABRICII, SS. THEOL. D. & Prof. Publ. Menologium ſive libellus de Menſibus, centum circiter populorum menſes recenſens atque inter ſe conferens.

Hamburgi, ſumtu Chriſtiani Liebezeit, 1712, 8.

Plag. 13.

CUm magna ſit annorum adeoque & menſium inter diverſas gentes varietas, ſive ea ex interiore conſtitutione, ſive ex appellatione eorum æſtimetur, atque hæc res non poſſit non offendere illos, qui in legendis antiquis vel recentioribus diverſarum Gentium monimentis verſantur, Cl. Autor de his etiam literis, ut de plurimis aliis, bene mereri voluit, miſſis in compendium iis, quæ de argumento non minus nobili quam jucundo dici poterant. Præmiſſis itaque illis, quæ de ipſa Menſium ratione generatim teneri debebant, v. c. de diſtinctione menſium in Natu-

rales & Civiles, de Menſium Solarium Menſis Lunaris Periodici & Synodici, phaſeosque ejus ratione, de anno item menſtruo, quem alii tribus, quatuor alii, imo ſex & decem menſibus conſtare voluerunt, de Menſibus Civilibus, & intercalaribus, ut & Menſe Natali Mundi, de quo variæ afferuntur eruditorum ſententiæ; variorum populorum menſes, ſuis ſingulos nominibus recenſet, & cum noſtris comparat. Accedunt ſubinde obſervationes variæ, ac præterea laudantur magna copia Scriptores, qui data opera de illis gentium Menſibus expoſuerunt. Initium faciunt Menſes Hebræorum, quales partim ante exitum ex Ægypto, partim poſt illum, partim poſt Captivitatem Babylonicam, partim noſtra ætate numerari & appellari conſueverunt. Mireris hic inprimis, fieri potuiſſe, ut ejusdem menſis nomen diverſa pronunciandi ſcribendique ratione tam varias formas induere potuerit, ut interdum priſtinum habitum vix per umbram referat. In calce exſtant Indices Gentium, Menſium & Scriptorum, quorum beneficio uſus eximiæ collectionis magis expeditus redditur.

CASUS MEDICO-CHIRURGICUS DE EFfractura Cranii & ſubſecutis gravisſimis ſymptomatibus ex voto curatis, Autore D. JOH. MATTHIA MULLERO, M Francof. Phyſico Cunzelſavii ad Cocheram ordinario, Academiæ Leopoldinæ Imperialis Naturæ Curioſorum Collega, Gorgias dicto.

Suevo-Hallæ, impenſis Autoris, 1712, 8.

Conſtat 18 plag.

MUlta equidem variaque hactenus meditabatur Vir Clariſſimus, quibus induſtriam ſuam dexteritatem atque in Arte Medica peritiam in orbis literati notitiam perferre, Academiæq; Naturæ Curioſorum, quam Imperator Auguſtiſſimus protegere annuit, ſuoque nunc de nomine Carolinam nuncupari vult clementiſſime, probare ſe poſſe confidebat, niſi obſtacula quædam fuiſſent oppoſita, ob quæ conſilium mutare, laborumque ſuorum ſpecimen tantum impræſentiarum divulgare fuerit coactus.

Hi-

Digitized by Google

Hiſtoria igitur morbi, quam jam communicat, breviter ita ſe habet. Ruſtico in terra Suevo-Hallenſi 20 annorum, menſe Octobri anni 1706 equus ungulam ſolea ferrea munitam tam atrociter fronti impegit, ut non tantum os frontale cum ſuperiori naſi & oſſis ethmoidei parte confringeretur, ſed etiam huic ſubterjacens cerebrum ejusque proceſſus pupillares, nec non oculus dexter, inſigniter concuterentur & contunderentur. Quo facto ingens ſubſequebatur vulneris hæmorrhagia, ſubitaneus in terram prolapſus, omnis ſenſus atque motus (excepta reſpiratione, eaque tamen difficili) ſuſpenſio, membrorum laxorum concidentia, aphania, ſtertor &c. Et licet apoplexia aliquantum ſolveretur, capitis tamen gravitas, ſomnolentia, rerum oblivio, vertigo, torpor, &c. illius metum de novo incutiebant. Interea aliquot per Chirurgum eximebantur oſſicula: quarto die phrenitis accedebat, ſeu febris cum deliriis, vigiliis, &c. ſexto floccos carpebat æger, dentibus ſtridebat, & tendinum ſubſultus in carpis obſervabantur; epilepticæ itaque convulſiones vix præcaveri poterant. Nono deliria, inducias hactenus concedentia, revertebantur, cum animi deliquiis, reliquis ſymptomatibus perennibus fere comitibus. Aderat inſimul cephalalgia, ophthalmia, oculi dextri procidentia, & amavroſis, ut & carunculæ majoris per effracta oſſicula dilaceratio, una cum olfactus diminutione. Ad graviſſima hæc ſymptomata eradicanda omnem navaverat operam Autor Clariſſimus, licet initio fere nulla, poſtea anceps, decimo demum tertio die aliqualis valetudinis recuperandæ affulſerit ſpes; ubi ſcilicet interni affectus ſenſim atque ſenſim imminuti & poſtea plane ſublati, ut & vires reſtauratæ ſunt. Viſionis equidem in oculo dextro reſtiſtutio admodum difficulter contigit, in tertia enim demum hebdomade viſum, initio plane ablatum, protracto ophthalmicorum uſu tandem aliqualem recepit æger. Poſtquam etiam oſſis ſpongioſi proceſſus, criſtam galli referens, ſeparatus atque temporis progreſſu cum aliis viginti aliquot oſſiculis diverſæ magnitudinis exemtus eſſet, cranii foramen carne obductum cute tegebatur. Et ſic priſtinam, quantum ratione faciei, formæ, viſus, olfactus &c. fieri potuit, recuperavit ſanitatem ruſticus.

cus. In hoc caſu enodando ea uſus eſt Autor methodo, ut membro I partes affectas exhibuerit, II ſymptomata explicaverit, & III mediorum mentionem fecerit, quæ fuerunt adhibita. Additæ ſunt ſingulis membris notæ, de capite ejusque affectibus, plurimorum Autorum locos Anatomicos & Practicos ſiſtentes; imo in calce libri caſuum Medico-Chirurgicorum de capitis præcipue paſſionibus rariorum, Deo benedicente feliciter curatorum, Decas, una cum Autorum horumque allegatorum librorum & rerum indicibus conſpicitur. Illorum I varias ſedis ſeu ſeſſionis in cranio ſpecies, II Contrafiſſuram, III Phrenitidem, poſt capitis percuſſionem, IV Delirium Melancholicum, V Febrem acutam cum vehementisſimis convulſionibus, VI Epilepſiam poſt paſſionem hyſtericam, VII Epilepſiam ſecundi gradus cantatoriam, IIX Epilepſiam ſecundi gradus aliam rariorem, IX Convulſionem ſpasmodicam, & X Ozœnam ſiſtit. Quorum argumenta nominaſſe ſufficiat.

EROTEMA POLITICO-PHILOLOGICUM An ſtudium Geometriæ Rempublicam adminiſtranti obſtaculo ſit, an adminiculo? Deciſum a FERDINANDO ERNESTO Comite ab HERBERSTEIN.

Vetero-Pragæ, apud Wolffgangum Wickhart, 1712, 8. Conſtat plag. 4.

CUm Acta hæc abunde loquantur, quantum Illuſtriſſimus Autor Mathemata, Geometriam præſertim, in delitiis habeat; haud mirum videri poterit, quod in illorum dementiam calamum ſtrinxerit, qui ſtudium Mathematicum ad negotia civilia tractanda ineptos reddere homines delirant. Utitur autem ſtylo ſatyrico & ſententioſo, vaſtamque in antiquitatibus & hiſtoria eruditionem prodit. Primum objectiones proponit: deinde ad eas reſpondet. Objicitur itaque, quod nulla omnino ſcientia conducat iis, quibus Reip. adminiſtratio curæ cordique eſſe debet, ſi Jurisprudentiam uſualem excipias. Minime omnium Politico prodeſſe Geometriam, cujus potius ſtudium humile ac inane perſona ejus indignum cenſeri debeat. Immo Geometriæ ſtudium pernicioſum eſſe, cum tempus

pus eodem prodigatur & ingenium corrumpatur, ut ſocietatis humanæ curis vacare non poſſit. Exemplo eſſe *Alphonſum* X Caſtellæ Regem, qui magnus Aſtronomus, Rex idem non magnus fuerit. Reſponſurus teſtimoniis Scripturæ Sap. VI & Platonis atque Plutarchi probat, omnes in univerſum ſcientias Remp. adminiſtrandi utiles eſſe, atque adeo etiam Geometriam, ſororio quippe vinculo cum reliquis connexam, ipſisque inſueta adminicula ſubinde ſuppeditantem. A Theologis enim ſacras litteras felicius tractari *Euclide* guſtato, *Baſilii*, *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Scoti* atque *Toſtati* exemplis potiſſimum probat. Quantum Jurisprudentia Geometriæ debeat, docuiſſe *Dicæarchum*; quantum Philoſophia, *Pythagoram* & poſt plerosque alios veterum nuper *Carteſium* atque *Moretum*, heri *Leibnitium* atque *Wolfium* noſtrum; quantum Medicina, *Hippocratem*. Ad civilem doctrinam perdiſcendam eandem prodeſſe, exemplo Græciæ veteris confirmat. Geometriæ ſtudium cultore quocunque dignisſimum eſſe, evincere conatur argumentis petitis ab ejus 1 origine, quippe ad Nili ripas Deum ſanguinis nacta autorem, *Mercurium Trismegiſtum*, avos deinceps per Reges numeret; 2 a materia, numero nempe, pondere atque menſura, quibus commercia nitantur; 3 ab effectu, quod ſcilicet regna metiatur, caſtra metetur, arenas ſupputet, montes trutinet &c. Idem ad clavum Reip. ſedenti eſſe utilisſimum contendit, quia mentes ad humanitatem fingit efficitque ſubtiles, tum & cautas, attentas, ſedulas. Illo tempus minime prodigi exiſtimat a Geometra gubernatore, cum hæc tantum otia ſint, non negotia. Inſanum Geometram neminem ſe noſſe profitetur; ageometras vero plurimos. Geometras non eſſe tam bliteos, ut ludi & fori diſcrimina ignorent; ut obvium quodlibet domus negotium *Euclidis* lingua tractent cum vulgo, ſeu contemplationum ſuarum margaritas ante porcos projiciant. Ad *Alphonſi* exemplum reſpondet, unam hirundinem non facere ver, nec omnino concedit, *Alphonſum* adeo male imperaſſe. Affert exempla alia in contrarium, *Hermetem* puta *Trismegiſtum*, *Cyrum*, *Alcibiadem*, *Hieronem*, *Julium*, *Auguſtum*, *Adrianum*, *Carolum M. Carolum*

Digitized by Google

lum V, *Rudolphum II*, *Leopoldum I.* Tandem ad teſtimonia *Socratis*, *Platonis*, *Xenocratis*, *Ariſtippi Junioris*, *Philonis*, *Plutarchi*, *Quintiliani* provocat & coronidem impoſiturus fabellam *Æſopicæ* parallelam carmine Heroico canit, quæ ad explicandum diſſertationis epilogum potiſſimum facit, quo ignorantia adverſariorum contemtu potius, quam refutatione digna judicatur.

DAMIANI SCOGNAMIGLIO, MEDICI Neapolitani, de planarum æquationum reſolutione Epiſtolæ ad Illuſtrisſimum & Excellentisſimum D. Paulum Francone, Saliceti Marchionem.

Neapoli, apud Joannem Roſellium, 1711, 4.
Conſtat plag. 2½.

CUm Illuſtris Marchio *Paulus Francone* in colloquio de rebus Geometricis aſſeruiſſet, Elementum decimum *Euclidis*, præſertim propoſitiones XVIII & XIX, ſimpliciori ratione tradi poſſe; *Damianus Scognamiglio* ea de re meditatus deprehendit, duas illas propoſitiones eſſe theorematis Pythagorici ſeu penultimæ Elementi primi corollaria. Quoniam vero hæc materia ſcripto non ſufficiebat; tractatulum de æquationum planarum ſeu quadraticarum reſolutione addidit. Hinc enatum eſt breve opuſculum, quod Illuſtris *Magliabecchi* munere ad nos pervenit. Propoſitiones illas aliter enunciat quam *Euclides*, ad hypothenuſam trianguli rectanguli applicans parallelogrammum, deficiens figura quadrata, æquale quadrato dimidii unius cathetorum, hypothenuſa in propoſitione XVIII in partes commenſurabiles, in XIX in incommenſurabiles diviſa. Unde in caſu primo concludit, latus reliquum eſſe hypothenuſæ commenſurabile, in altero incommenſurabile. Utramque propoſitionem etiam invertit. Has propoſitiones inventas arbitratur, reſoluto problemate numerico: propoſitum numerum in duas partes dividere, ut rectangulum ſub ipſis contentum ſit æquale numero dato. Ubi ſimul oſtendit, quomodo reſolutio inſtituenda, ut habeatur triangulum rectangulum numeris explicabile. Quoniam vero illius problematis reſolutio quadratica eſt,

est, formulas æquationum quadraticarum generaliter solvit. Sed cum hæc dudum notissima sint; ea de re plura dicere prohibemur.

THE YOUNG GENTLEMAN'S ASTRONOMY, Chronology and Dialing,

h. e.

TYROCINIUM ASTRONOMICUM, CHRONOlogicum & Gnomonicum; Autore EDUARDO WELLS, D. & Rectore Scholæ Cotesbaci in Leicestria.

Londini, apud Jacobum Knapton, 1712, 8.

Constat plag. 20½.

CUm Autor in tyronum gratiam libellos istos conscripserit; in Astronomia nonnisi stellarum phænomena recenset ac usum globi cœlestis declarat, in Chronologia partes temporis cum cyclis & computo paschali cyclico exponit, in Gnomonica horologia primaria & ex declinantibus facillima delineare docet, demonstrationibus ubique omissis.

INCERTI MONACHI WEISSENBURGENsis Catechesis Theotisca seculo IX conscripta, nunc vero in lucem edita, ut & Monumenta catechetica varia Theotisca. Omnia in unum collegit, ac præfatione, interpretatione & commentatione critica illustravit, catecheses item ejusdem generis, cum Marquardi Freheri notis olim evulgatas, addidit JO. GEORGIUS ECCARDUS, Histor. in Acad. Jul. Prof. & Academiæ Scientiarum Regiæ Berolinensis Socius.

Lipsiæ, impensis Nic. Fœrsteri, Bibliop. Aul. Hanov. 1712, 8.

Plag. 14.

VAria venerandæ antiquitatis monimenta in hoc volumine collegit Celeb. *Eccardus*, inter quæ primum obtinet locum *Catechesis Theotisca* ex antiquo Codice seculi IX, qui in Guelferbytana bibliotheca reperitur, descripta. Continet illa orationem Dominicam cum explicatione, recensionem peccato-

rum criminaliu n, Symbolum Apoſtolicum & Athanaſianum
& Gloria in excelſis, quare Noſter Catecheſeos nomen huic
opuſculo dedit, quia ſcil. ea continet, quæ præcipue ab homine
chriſtiano ſunt tenenda. Omnium iſtorum rationem in erudita
p. 10. Præfatione ſuppeditat. Situm eſt autem Weiſſenburgenſe mo-
naſterium, a Dagoberto Franciæ Rege a C. 624 fundatum, juxta
Weiſſenburgum urbem imperialem, non procul a Rheno ad
11. Lauteram fluvium, quare & Cl. *Eccardus* conjici poſſe putat, au-
torem operis eſſe Rabanum Maurum Archi-Ep. Moguntinum,
quia ſub ejus diœceſi ſitum erat illud monaſterium. Vero tamen
12. ſimilius eſſe ait, autorem eſſe Otfridum Weiſſenburgenſem, qui
Evangelia nobis dedit, & Grammaticam, de quo contra Tri-
13,14. themium quædam obſervantur. Oratio iſta Dominica, quam di-
ximus, adjunctam habet expoſitionem, qua uſus eſſe videtur
Lutherus noſter, quia exacte cum illa convenit, cujus rei uni-
61. cum ſpecimen addimus: *Giuuibit ſi namo thin. Gotes namo
iſt ſimbles giuuibit, auh thanne uuir thiz quedhem, thanne bit-
tem uuir, thaz ſin namo in uns mannom uuerdhe giuuibit,
thurub goudiu uuerc*, h. e. *Dei nomen eſt ſemper ſanctificatum,
& cum nos hoc dicimus, tum precamur, ut ejus nomen in no-
bis hominibus fiat ſanctificatum per bona opera.* De quarta quo-
que petitione ejusque antiquis expoſitionibus prolixus eſt No-
15 ſ. ſter. Ut paucis nos expediamus, quidam cum B. Luthero quo-
tidianum, alii ſpiritualem panem intelligunt. Catechumeni
19,20. porro docebantur, quænam ſint peccata criminalia, ut ex eo-
rum inſpectione probare ſuam vitam poſſent, quare brevis eo-
64,65. rum abacus ſequitur, cujus en hoc ſpecimen: Vitia carnis, *acu-
ſti therlichamen.* Immunditia, *unhreinitha.* Fornicatio,
huar. Iræ, *nidha.* Homicidia, *manslagon.* Adulteria, *mer-
huara* &c. De ultimo verbo præterea hoc notamus, non ha-
buiſſe antiquos Germanos vocem, qua adulterium denotarent,
quare illud expreſſerunt *merhuara*, quod plus eſſet quam forni-
23. catio ſeu ſcortatio. De Symbolis porro agit Præfatio, & de Atha-
27. naſiano præcipue, cujus cauſa Noſter contra Voſſium pugnat,
qui dixerat illud ſaltem ſeculo XII in notitiam hominum veniſ-
ſe. Noſter multis teſtimoniis ex ſeculi VIII & ſeqq. Autori-

bus

Digitized by Google

bus probat, illud jam tum in uſu fuiſſe. Monimento huic Catechetico adjecit Cl. Editor alia ſimilis argumenti, quorum hi ſunt tituli: *Exhortatio ad plebem Chriſtianam* lingua Latina & Francica conſcripta, quam e MS. Caſſellano, quod olim Fuldenſis monaſterii fuerat, edidit Hottingerus in Hiſtoria Eccleſ. N. T. & Diet. von Stade in Specimine lectionum Francicarum. Apparet ex ea, quam Celeb. Eccardus Caroli M. aut Ludovici Pii temporibus adſcribit, jam tunc ſuſceptorum fuiſſe, ut filios ſuos ſpirituales Symbolum & Orationem Dominicam docerent. *Abrenunciatio diaboli & fidei profeſſio*, quam Lucas Holſtenius & plures alii prodiderant. *Oratio Dominica & Confeſſio fidei Theotisca*, quam Noſter Notkero monacho S. Galli adſcribit, quia ſtylus a Pſalterio ab ipſo converſo non multum abludit. *Expoſitio in Orationem Dominicam & confeſſio fidei*, a Lambecio in Bibliotheca Vindobonenſi edita, quam Noſter Keroni vindicat, ſtatuitque, nomen ejus ex Notkero eſſe abbreviatum. *Paraphraſis vetuſta ſymboli* a Boxhornio in Hiſtoria univerſali edita. *Symbolum veteris Alamannorum Eccleſiæ*, quod a Stumpfio & Goldaſto jam luci publicæ erat expoſitum. *Duæ formulæ confeſſionis* coram Sacerdote pro ſimplicioribus. Appendicis loco adjectæ ſunt *Verſio vetuſta Orationis Dominicæ & Symboli Apoſtolici* cum notis Freheri, quam ex Codice S. Galli 1609 ediderat: item *Verſio Anglo-Saxonica Decalogi, Orationis Dominicæ & Symboli* ab eodem Frehero A. 1610 cum notis publicata. Jam quoque pergendum eſt ad notas Cl. Editoris, in quibus ille ſedulo in vocabulorum occurrentium origines inquirit, variasque ex iisdem antiquitates dilucidat. Sic agit de verbo *faren*, quod notat *pergere, ire*, unde eſt *ferren. fern, procul*, & *farend*, proficiſcens: inde *die farenden Schüler*, ſcholaſtici vagantes, quondam nomen ſortiti ſunt, qui pallio ſcholaſtico confiſi, nec alio itineris ſubſidio inſtructi dicebant, Daß ſie auf den Mantel fuhren / h. e. quod iter faciant, ſpes ſuas in pallium ſive habitum Scholaſticum collocantes, ob cujus reverentiam & tuti ab inſultibus eſſent, & victum a vulgo reciperent. Vox *huor* deducitur ab *horo, ſordes, cœnum*, quod ejusmodi perſonæ quæſtum exerceant ſordidiſſimum. Vox *eiter* olim notavit *venenum*, unde

[Marginal references, in order: p. 74. – 77. – 79. – 81. – 86. – 90. – 93, 96. – 187. – 199. – 104. – 121. – 123.]

Anglo-Saxonibus *atter*, *ſerpens*, quod nos dicimus *otter*, & per proſtheſin τȣ̃ *n Natter*. *Eiter* vero, quod hodie *tabum* notat, derivatur ab *eiden*, *urere*, unde *etterneſſel* genus urticæ, quod maxime urit. Occaſione vocis *an*, qua olim hodieque dicitur
114. Soli exponere *an die Sonne hangen*, aperitur quoque fons, ex quo emanavit fabula de variis rebus a ſanctis hominibus miraculoſe aeri aut radio Solari appenſis, quale quid fabuloſe de Ildefonſo Epiſc. Meldenſi, Lucano Epiſc. Sabionenſi, Florentino Epiſc. Argentinenſi & aliis narratur. Hoc denique Lectores noſtros ce-
59. 110. lare non poſſumus, promiſiſſe Editorem Celeb. *Opus magnum Originum & Antiquitatum Germanicarum*, quod ut felicibus auſpiciis ad finem quamprimum perducat, eſt quod publico nomine vovemus.

THEATRUM FATI, SIVE NOTITIA ſcriptorum de providentia, fortuna & fato; Autore PETRO FRID. ARPE.

Roterodami, typis Fritſchii & Bœhmii, 1712, 8.
Plag. 7.

VExatisſimum in Philoſophorum ſcholis de providentia, fortuna & fato argumentum tractaturus Cl. Autor, ut facilior ad ipſum opus aditus pandatur, notitiam Scriptorum hujus materiæ præmittit. Theologicas diſceptationes ſtudio negligit, imo & ex Philoſophis præcipuos potius quam omnes affert. *Initio* ab Hermete facto Græcos, inque his Democritum, Pythagoræos, Stoicos, Epicuræos, Cyrenaicos, Platonicos & Peripateticos recenſet; hinc ad Romanos, ab his ad Chriſtianos veteres pariter & recentiores pergit, ultimo incertæ ætatis Scriptores Diſſertationesque Academicas adjiciens. De illis præterea, qui aliquod inter eruditos nomen conſecuti ſunt, varia ſubjicit, quæ ad vitam & merita in rem literariam pertinent. Inprimis accuratus eſt in notandis iis, quæ occaſione Quæſtionis epiſtolicæ de vitæ termino fatali, Dordraci 1634, 8 a Jo. Beverovicio, Med. D. Senatore & Patricio Dordraceno, vulgatæ, diſputata ſunt. Ceterum ſatis plena & diſtincta eſt hæc collectio, ac de induſtria Cl. Autoris teſtatur, quam tamen, quod in his rebus uſu venit, fefellit

fellit Christiani Dippelii Fatum Fatuum vernacula lingua Amstelodami ante tres circiter annos in 8 editum, nisi forte hujus mentio destinato consilio prætermissa videatur. Nec omitti forte debebat B. Jac. Thomasius, qui in diss. XIII de Stoica Mundi exustione *de Fato Stoico*, & in sequentibus de alio Fatorum genere erudite commentatur. Id quoque observare fas esto, quod, quæ pag. 99 *Joh. Schmidio*, Dicographo Norimberg. tribuitur diss. de Fatalitate Temporum, illa sit Professoris apud nos Eloquentiæ ordinarii & Theologiæ extraordinarii meritissimi.

PHÆDRI FABULARUM ÆSOPIARUM Libri V, quibus accesserunt Symposius, Gabriæ & Antonini Liberalis fabulæ, & Publii Syri sententiæ, cum commentariis IO. GEORGII WALCHII.

Lipsiæ, apud Io. Ludovicum Gleditschium & M. G. Weidmannum, 1713, 12.

1 Alph.

Præter Dedicationem ad Viros Cl. Olearium, Schurzfleischium, Struvium, Præfationem præmisit Cl. Editor, qua de officio interpretis disserit. Qui veteris Latii autores interpretatur, ei duo observanda esse existimat, partim officium emendationis, partim explicationis, ut ipsos scriptores probe emendatos genuinis commentariis illustret. Quod præfamen Dissertatio de stylo Phædri excipit, quæ cum naturam styli Romani ex veterum solidis principiis illustratam exponit; tum ipsam Phædri scribendi indolem ejusque Latinitatem verbosius tractat. Ipsum Phædrum emendationibus, notis Philologicis & Criticis, quæ interdum uberiores sunt, dilucidavit, & varia loca, quæ integritate sua carere videbantur, restituere annisus est. Antonini Liberalis fabulis, quas præter Berkelium Munckerus quoque edidit, emendationes tantum Berkelii subjecit; notas autem dimisit, ne earum accessione justa forma libri corrumperetur. Ceterum in Præfatione librum *de falso & merito suspectis prajudiciis Latina lingua* promisit, quem adhuc exspectamus.

NOVA LITERARIA EX ANGLIA.

LOndini Actorum Publicorum, quæ cura Thomæ Rymer prodeunt, Tomus XIII, ad annum usque 1523 pertingens, nuperrime prodiit & singulari munificentia Illustrissimi Domini CAROLI HALLIFAXII ad nos pervenit. Prodiit ibidem titulus operis eximii, duobus in fol. tomis proxime prodituri, scil. *Processus judiciarius in foro Ecclesiastico-Civili-Anglicano, ceteris hucusque uberior: una cum instrumentorum formulis accuratissimis, diligenter collectis, fideliter expressis & apte dispositis; per* Thomam Ougthon, *almæ Curiæ Cantuariensis de Arcubus London Procuratorum Generalium unum, nec non a multis retro annis in suprema Curia Delegatorum officium Registrarii Regii peragentem.* In eo Autor non tantum modum procedendi in negotiis & litibus, quæ in variis Angliæ curiis agitantur, commonstrabit, verum & decreta & sententias judicum, instrumenta, acta, formulas, in archivis inde a temporibus Henrici VIII in hunc usque diem exstantes, cum observationibus suis & Indice copioso exhibebit. Quod opus uti Archi-Episcopi & Episcopi Angliæ plerique omnes, ut & Viri spectatæ autoritatis alii, præmissis in Specimine nominibus suis, commendarunt, ita exteris quoque pergratum futurum, nulli dubitamus. Vidimus & Specimen aliud Gallico idiomate in Anglia vulgatum, in quo promittitur Collectio Gallica variorum Scriptorum fide dignissimorum ac rariorum, qui Ecclesiæ Romanæ tyrannidem, quam hactenus persecutione, cædibus, inquisitionibus exercuit, describunt; sed de eo opere, quod quendam D. Bray moliri ferunt, uberius dictum est in Actis Erud. Germanicis Sect. VII. Prostat præterea Dionis Cassii Græce & Latine in Anglia recudendi Specimen, e quo patet, Virum doctissimum *Oddy* notulas passim additurum. Clementem Alexandrinum Oxonii sub finem hujus anni proditurum spes est, ibidemque Cl. Hudsonus, jam tandem Josephum prelo subjecit, nova versione donatum, & cum MS. Vaticano aliisque diligenter collatum.

Prostat Suppl. Tom. V Sectio VIII.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno MDCCXII.

HISTOIRE GENEALOGIQUE ET CHRO-nologique &c.

h. e.

HISTORIA GENEALOGICA ET CHRO-nologica Familiæ Regiæ Gallicæ, & magnorum officialium Coronæ, Domusque Regiæ; Autore ANSHELMO, Patre Augustino Discalceato.

Tomi II.

Parisiis, apud Hilarium Foucault, 1712, fol. ch. aug. Alph. 20 plag. 13.

OPus hoc præstantissimum primum prodiit A. 1674, magno tum applausu exceptum. Quod Autor, qui, antequam seculo se abdicaret, vocatus est Petrus Guibours, postea multo studio revidit, correxit atq; auxit, morte vero A. 1694 die 17 Jan. præventus ipse denuo edere non potuit, sed Amico cuipiam suo, qui Auditor est in Camera Regia Rationum nomenque suum latere voluit, schedas suas curamque librum hunc corrigendi, supplendi & ad novissima tempora continuandi reliquit. Hujus studio & industriæ novam hanc atque elegantissimam editionem debemus, qui se omnia ex monimentis fide dignis Archivorum, Ecclesiarum, Bibliothecarum, aliisque deprompsisse testatur. Quamvis vero non omnes omnino, maxime inter exteros, Genealogiarum Nobilitatis Gallicæ, inprimis inferioris, multum curiosi sint, reperient tamen hi etiam permulta, quæ scire juvabit, in historia, genealogia & chronologia Regum Galliæ & ex eorum stirpe descendentium Imperatorum

ratorum Occidentis, Regum Auſtraſiæ, Neapoleos & Siciliæ, Aquitaniæ, Navarræ, Hungariæ, Portugalliæ, itemque Ducum Burgundiæ, Britanniæ minoris aliorumque: in quibus Autorem non raro a communibus Genealogorum & Chronologorum ſententiis diſcedere, ſubinde obſervavimus. Ubi de ſupremis officialibus Coronæ agitur, Autor rationem muneris ipſorum & antiquam & hodiernam exponit, additis ſubinde diplomatibus ex antiquitate erutis, e quibus aliqua, quæ ad illuſtrandam originem & rationem officiorum, quibus Principes Imperii Romano-Germanici hereditario jure funguntur, pertinent, deſumi poſſunt, cum hæc officia maximam partem e temporibus Imperatorum Carolingorum ortum ceperint. In fine operis reperiuntur ſtatuta & Catalogus Equitum, Commendatorum & Officialium Ordinis S. Spiritus; in quo pariter genealogiæ ipſorum accurate illuſtrantur. Ceterum illud in univerſum fatendum eſt, nullam facile in Gallia nobiliorem familiam vel olim floruiſſe vel hodieque florere, cujus vel genealogias vel rerum ab illuſtrioribus Viris geſtarum compendium hic deſideres. Quin potius librum utiliſſimum, e quo ſpecimina depromere vix licet, harum delitiarum cupidis apprime commendamus.

PAPAL USURPATION AND PERSECUTION.

h. e.

PAPALE DOMINIUM ET PERSECUTIO, antiquis & recentioribus temporibus tam in Principes quam plebem exercita, Tomis II.

Tomus I.

Londini, apud Joſ. Downing, 1712, fol.

Alph. 4 plag. 5.

TOtum hoc opus, quod Gallice proditurum exiſtimavimus Menſe ſuperiore p. 528, ex variis tractatibus, olim ſeorſim editis, conſtat, qui cum raro hodie obvii eſſent, conſultum putavit quidam D. Bray Anglice uno illos volumine junctos in publicum proferre, atque ſic, ut inſcriptio præ ſe fert, *Martyrologium* quoddam *continuatum* exhibere. Tomus I, qui hucdum lucem vidit

Digitized by Google

vidit, constat duabus partibus, quarum prior ostendit, quæ bella & vexationes, annitentibus Pontificibus & Clero Romano adversus Principes & Regna excitatæ sint. Pars hæc sequentes sistit tractatus: 1) *Franc. Guicciardini* succinctam historiam originis & progressus potestatis Papalis, quæ per fraudem ex lib. IV Historiæ ab eodem scriptæ sublata, deinde vero a Nobili Florentino restituta, & ex Latino contextu, qui in calce Historiæ Papatus Heideggeri legitur, Anglice hic conversa est. 2) *Thomæ Barlovii*, Episcopi quondam Lincoln. *Papatum*, sive Principia Ecclesiæ Romanæ perniciosa omnibus, ac speciatim Regibus Protestantium & Magistratibus. 3) *Petri Molinæi* Senioris, historicam dissertationem dominii sive tyrannidis Papalis in Principes, jussu Jacobi I contra Card. Perronium scriptam, & ex ejusdem tract. de Novitate Papatus excerptam. 4) Supplementum illius libri a filio Molinæi adjectum. 5) Anonymi scriptum tempore Conjurationis Pulverariæ editum, quo variæ doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, in Principes injuriæ, factaque his principiis respondentia enarrantur. 6) Miserrimum Protestantium in Anglia statum, sub Principe Pontificiis sacris addicto, si quis ad Regiam dignitatem evehatur. 7) *Bullas varias*, quibus Principes, nunc Pontificiis, nunc Protestantibus addicti, a Papa dejecti sunt, si hæreticis, quos vocant, ullo modo faverint: ex Bullario Magno Romano. 8) *Pet. Molinæi*, Canonici *Ecclesiæ Christi*, Vindicias religionis Protestantium respectu obedientiæ Magistratibus & Principibus præstandæ, contra libellum Jesuitæ, qui dictus est *Philanax Anglicus*. Pars II repræsentat *Joh. Pauli Perrini* Lugdunensis Historiam veterum & recentiorum Waldensium in Partes V distinctam. Tomus II, qui ex parte jam prelum reliquit, primo loco exhibet succinctam historiam X vexationum, quas Waldenses recentiores pertulerunt, ex Legero & Morlando potissimum excerptam, ac continuatam ex historia persecutionis vallium Pedemontii, quæ prodiit Oxon. 1688. Reliquæ hujus Tomi partes similiter ceteras calamitates, quæ Protestantibus in Italia & Alpibus, in Gallia & tractu Aurelianensi, in Magna Britannia & Hibernia, in Palatinatu & Circulis Imperii, Bohemia & Silesia, Hungaria, Transsylvania & Polonia oblatæ

 sunt

ſunt, quibus ſubjicietur tandem hiſtoria Inquiſitionis in Hiſpania & Portugallia receptæ.

GEOGRAPHIÆ VETERIS SCRIPTORES *Græci Minores.*

Vol. III & IV.

Oxoniæ, e theatro Sheldoniano, 1712, 8.

Alph. 2 pl. 14.

CL. Editor, Johannes Hudſon, Bibliothecæ Bodlejanæ, quæ Oxonii eſt, Bibliothecarius, optimo conſilio ſuperioribus duobus Geographorum Tomis ſubjunxit binos hos poſtremos, iisq; comprehendit nonnulla, quæ lucem hucdum *non viderant.* Volumine itaq; III exhibentur Excerpta e Dionyſii Byzantii Anaplo Boſpori Thracii, ex lat. verſione Pet. Gyllii, quæ in hujus commentatione de Boſporo Thracio legitur. Græca enim prorſus periiſſe videntur Cl. Editori, cum ne ipſi quidem Holſtenio illorum uſus in promtu fuiſſe videatur, quod ex Annotationibus ejus in Gyllii Topographiam CPoleos, quas a Cl. Chriſtiano Godofredo Gœtzio noſtro accepit, apparet. Excerpta autem tantum eſſe Dionyſii, non opus integrum, colligitur ex fragmento quodam Dionyſii hujus, quod Car. du Fresne in limine CPoleos Chriſtianæ exhibuit. Poſt hæc conſpicitur Ariani ſeu potius Anonymi Deſcriptio Ponti Euxini ex Scymno, Arriano, Marciano & aliis collecta, quam Holſtenius olim ad editionem paraverat, autore Lambecio in Comm. in Bibl. Vindob. T. I p. 109, nunc autem in manus Cl. Editoris, beneficio Cl. Fabricii, incidit. Sequuntur Excerpta ex Georgii Medici Chryſococcæ Syntaxi Perſarum, quæ ab Iſmaele Bullialdo primum edita, nunc ope 2 MSS. Bodlejanorum emendatius prodeunt. Hinc videbis Claudii Ptolemæi Tabulam Urbium inſignium ex Cod. Barocciano nunc primum editam, & varietatibus lectionum, ex aliis Codd. erutarum, munitam. Latus illi claudit Anonymi *Expoſitio totius mundi & Gentium*, cujus Latina verſio in lucem olim prolata eſt a Jac. Gothofredo, additis ex ingenio Græcis & nova eaque elegantiori & magis Latina verſione, quæ tamen, relicta tantum

verſione

versione antiqua, hic omisit Cl. Editor. Postea conspiciuntur Variæ Lectiones in Geographum Ravennatem, ex Codice Bibl. Vatic. collectæ. Illis adjungitur *Ptolemæi Arabia* ex Cod. MS. optimo emendata & olim prelo parata a Joh. Gravio, cui etiam debetur proxime sequens *Abulfedæ Ismaelis* descriptio Chorasmiæ & Mawaralnahræ h. e. regionum extra fluvium Oxum, ex variis Codd. inter se collatis emendata, & Latina versione instructa. In præfatione de Abulfeda & hoc ejus scripto nonnulla commentatur Gravius. Excipit hæc ejusdem *Abulfedæ* Descriptio Arabiæ ab eodem Gravio una cum binis Tabulis Geographicis una Nassir Eddini, altera Olug Beigi Tartari edita, quibus nunc primum accedit Tabula Longitudinis & Latitudinis quarundam urbium ex MS. Cod. Biblioth. Joannensium Oxon. Calcem occupat Claudii Ptolemæi Ἔκθεσις Κανονικὴ τῶν Ἀστερισμῶν sive *Catalogus stellarum fixarum*, a V. C. *Edmundo Hallejo* integritati & nitori suo restitutus.

Volumen IV unum exhibet *Dionysium Periegetem*, cum iis, quæ huc pertinent, inter quæ primo loco collocata est *Henrici Dodwelli*, Viri de his literis optime promeriti, dissertatio de hoc Dionysio, ejusque ætate & patria. In hac observes, Dionysium nostrum a *Characeno* illo, cujus meminit Plinius H. N. VI, 27 esse diversum, cum noster patriæ hujus suæ, si talis esset, mentionem fuisset facturus, quam non fecit, alia etiam evincant, eum Imperii Romani civem fuisse, quod & Romam urbium omnium matrem agnoscit, & Romanis victoriam a Parthis relatam gratulatur: vide §. 1. Nostrum post Domitianum scripsisse, apparet ex v. 209, ubi mentio fit Nasamonum deletorum, quod non a *Scipione* vel *Cæsare*, sed a *Domitiano* factum esse evincit Autor usque ad p. 8, ubi multa ad historiam hujus gentis pertinentia leguntur. Eundem scripsisse ante, quam Parthi a Persis debellati essent, Autori nostro ex iis, quæ de utraque gente retulit, manifestum esse videtur. Cumque idem Parthos ab aliquo Romanorum Imperatore victos scribat v. 1052, hic vero rectissime omnium Trajanus putetur, post hunc etiam vixisse dicendus est: vide §. 6. Ex illa quoque phrasi, qua Roma ab eo *Mater urbium* & metropolis civitatum dicitur, conficit, ante Caracallam

carmen non eſſe ſcriptum; neque ante *Septimium Severum*, quia ab eodem urbs Byzantina mœnibus mulctata refertur, idemque confirmatur ex eo, quod ſub *Alexandro Severo*, ne nomen quidem *Byzantii* tulerit, ſed *Antoninæ*, & ſub *Gallieno* demum Byzantii nomen receperit una cum muro: ex quo id tandem conficitur, ſub Gallieno Dionyſium ſcripſiſſe: vide §. 7-11. His confectis, Cl. Autor disquirere aggreditur, quis Dionyſius hujus carminis ſit conditor, cum hujus nominis plures a veteribus commemorentur. Removet igitur *Dionyſium Byzantium*, qui non Περιήγησιν, ſed Ανάπλουν tantum Boſpori Thracii, & quidem oratione ſoluta deſcripſit. §. 13. Removet etiam §. 14 *Dionyſium Mitylenæum*, qui alias *Scytobrachion* dictus eſt, noſtro omnino antiquior, cujus ſcilicet meminit Suetonius. Neque huc pertinent *Dionyſius Mileſius* Hiſtoricus, & *Dionyſius* Muſonii filius, qui uterque περιήγησιν Οἰκουμένης ſcripſerunt, v. §. 15 & 16. Cumque unus tantum commemoretur a Suida Dionyſius, qui carmine Epico περιήγησιν orbis delineaverit, nempe *Dionyſius Corinthius*, non dubitandum videtur, hunc eſſe noſtri Carminis conditorem. Id quod confirmant recentiorum ex medio ævo ſcripta, quæ unius tantum, & quidem noſtri Periegetæ, meminerunt: quod ut evincat accuratiſſimus Scriptor diſſertationis, plures, qui eum laudarunt, ad partes vocat §. 18, & §. 19 oſtendit, quod, quamvis nonnulli loci, ex Periegeta noſtro allegati, a noſtrorum Codd. lectione abeant, ne ſuſpicionem quidem illi moveant Periegetæ, a noſtro diverſi. Quod dicendum etiam eſt de loco *Stephani* voce Ἰόπη, qui Dionyſium advocat, fortaſſe Periegeten, ſed non carmine Epico uſum, adeoque nec noſtrum. Aliud vero ſtatuendum eſt de Jo. Tzetza, qui ubi de Amazonibus diſſerit, Periegeſeos meminit, & quidem noſtræ, non alius, quod Voſſio fuit perſuaſum, v. §. 21. Quæ enim varietas inter verba Dionyſii & Tzetzæ obſervatur, illa memoriæ Tzetzæ labanti tribuenda eſt, præcipue cum ſolemne iſti ſit, veterum loca ex memoria recitare, quod exemplis variis Dodvvellus oſtendit §. 22. Idem Stephanus alibi, ubi de urbe Emiſena tradit, *Dionyſii Poetæ* teſtimonium advocat, qui a noſtro poterat videri diſtinguendus, quoniam nulla hujus urbis mentio in carmine

Digitized by Google

mine ejus ſuperſtite exſtat. At enimvero non præter rationem vox ποιητὴς in Stephano ſuſpecta eſt, qua nunquam alibi utitur, ne quidem cum de Baſſaricorum autore, vere Poeta, qui hic ceteroquin omnium optime intelligi poterat, ſermo eſt. Proinde ex ſcriptionis compendio nata merito putatur, quod per ποιητὴς interpretatus eſt quidam, cum περιηγητὴς legi deberet. Quod ad locum ipſum attinet, excidit ille non ſolum ex noſtris, verum etiam ex antiquiſſimis nonnullis Codd. quibus v. c. *Euſtathius* & *Priſcianus* uſi ſunt; neq; tamen prorſus periit. Namque Feſti Avieni Paraphraſis Latina conſervavit integrum, ex qua etiam ad v. 919 Dionyſii revocandum eſſe ſapienter monuit Salmaſius ad Vopiſc. Aurelianum c. XXV, vid. §. 23. Hæc obſervatio Noſtrum eo deducit, ut novo argumento ſuam de ſcriptoris ætate ſententiam confirmet, atque adeo eum ſub Imp. *Elagabalo* ſcripſiſſe ſtatuat. In illo enim loco, a Feſto conſervato, mentio fit Templi Emiſenorum tanquam præſtantiſſimi, atque hoc ipſum Elagabalo dicatum fuiſſe, ex loco Vopiſci laudato apparet, vide §. 24. Negari quidem non poteſt, Paraphraſtas Dionyſii in reddendis ejus verbis & ſententiis magna licentia uſos eſſe, hoc tamen in loco Avienus ea repetiiſſe fide optima videtur, quæ Codex obtulerat, v. §. 25, præcipue cum Codd. quidam MSS. manifeſta quædam textus Dionyſii eo in loco, ad quem Avienus lacunam ſupplet, & mutilati & mutati argumenta ſecum ferant, ut eruditiſſimus diſſertationis Autor non dubitet, manu medica hic opus eſſe, quam idem huic loco adhibet §. 26. Poſtquam igitur Noſter ætatem Dionyſii ad liquidum deduxit, ad patriam ejus progreditur, & deſerit Euſtathium, ad v. 1 exiſtimantem, Dionyſium Alexandrinum fuiſſe, quod a Libya periegeſeos exordium duxerit. Sic enim evincere poteras Strabonem Amaſenum non ex Aſia ſed Europa ortum fuiſſe, cum is ab Europa faciat initium, vide §. 27. Illi vero inprimis hic hallucinantur, qui, cum Dionyſium Plinianum a noſtro non diverſum falſo putarent, quem Plinius Charace Spaſinis ortum retulit, perſuadere ſibi potuerunt, Dionyſium noſtrum facile ab hac urbe Alexandrinum dici potuiſſe, quia illa *Charace* nomen Alexandriæ olim tulerit. Ex hiſtoria enim apparet, Alexandriæ nomen diu ante, quam Dionyſius Plinianus

nianus naſceretur, urbi *Charace* ademtum fuiſſe, v. §. 28. Non firmius eſt argumentum, quo adductus Suidas noſtrum facit *Bithynum*, quia ſcilicet *Rhebam* fluvium aliquoties laudat. Hoc enim minus eſt probabile, propterea quod nullius urbis juxta Rhebam ſitæ, quæ natalis illi eſſe potuerit, meminerit. Fluvii itaque hujus non tanquam loci ſui natalis mentionem fecit, ſed potius quod regioni cuidam nempe *Rhebantiæ* & genti *Rhebæorum* nomen dederat, v. §. 29. Alia ratione Cl. *Hillus* patriam Dionyſii, quam putat Byzantium, conjectura aſſequi conatus eſt, provocans ad particulam ὑπὲρ, quam apud Geographos ad patriam cujusq; reſpectum habere putat, idque pro quatuor Cœli cardinibus, ut ſcilicet Septentrionem verſus ea ὑπὲρ cenſuerint Geographi, quæ ſua patria propius ad Septentrionem acceſſerunt, ea ad Meridiem ὑπὲρ, quæ patriæ ſuæ reſpectu magis ad Meridiem declinarunt. Eandem porro putat rationem obtinere in Orientali & Occidentali plaga, cujus tamen aſſertionis nullum affert nec afferre poteſt exemplum. Et ſane veteres illi particulam ὑπὲρ de Septentrionali & Auſtrali plaga uſurpant propter *Hyperboreos* a Poetis commemoratos, per quos gentes *Scythiæ Borealiores* intelligi Noſter probat §. 30 & 31. Proinde Dionyſius in particula ὑπὲρ non patriæ ſuæ ſed lineæ περιηγήσεως rationem habuit, quod oſtenditur §. 32 & 33. Suam denique ſententiam, qua *Dionyſium Corinthium* fuiſſe putat, confirmat §. 34. *Unicus*, inquit, *memoratur a veteribus Dionyſius Corinthius, qui Orbis περιήγησιν ἐπικῶς deſcripſerit. Nec plures apud veteres uno Poeta περιηγητῶν nomine advocantur. Nec aliunde quam ex uno hujus Periegeſeos Autore celeberrimo Carmina Periegetica in teſtimonium adducuntur. Nec ſuam ipſe patriam neglexit, ſed ſub* Ἐφύρης *nomine celebravit v. 421, & quidem eo bimaris portus elogio v. 420, quo etiam apud alios celebratur. Patriam tamen agnoſcit Romam, cui patria alia conferri non potuit; cum communis illa eſſet orbis Romani univerſi patria.* Hæc de prævia Celeberrimi Dodvvelli diſſertatione ſufficiant. Quod ad ipſam hanc Dionyſii editionem, jam anno CIↃIↃCCX e Theatro Sheldoniano vulgatam, attinet, Dionyſii carmen ipſum cum addita Latina verſione & ſubjectis con-

contextui Euſtathii commentariis exhibetur. Hinc ſequitur *Priſciani Periegeſis* & *Ruſi Feſti Avieni* Ora Maritima; porro Anonymi Paraphraſis Græca in Dionyſii Periegeſin, præterea παρεμβολὴ ex Scholiis quibusdam ἀνεκδότοις in eandem, & ἀποσπασμάτια quædam Γεωγραφικὰ itidem ἀνέκδοτα, hinc ἀποσπασμάτιον ex Conſtantino Porphyrogeneta. Scholia illa ἀνέκδοτα Illuſtris Bignonii beneficio nactus eſt ex Cod. Regio Cl. Editor, quæ non integre, ſed ex parte edenda cenſuit, quod in plerisque ab Euſtathio parum diſcrepent. Succedunt p. 46 ſq. Variæ Lectiones & Annotationes in Dionyſii Periegeſin, quibus interſperſæ ſunt Lucæ Holſtenii in Dionyſium notæ antehac ἀνέκδοτοι. Sequuntur Variæ Lectiones, Emendationes & Notæ ad Euſtathium, ac denique conjecturæ quædam & Emendationes ad Avienum. Novæ etiam Tabulæ Geographicæ quatuor prioribus accuratiores a Cl. Edmundo Hallejo elaboratæ, exhibentur, quibus egregie illuſtratur Dionyſius. Ceterum Cl. Editor in Præfatione teſtatur, conſilium olim fuiſſe, Nicephori Gregoræ in Dionyſium commentationem edendi, ſed mutaſſe ſe ſententiam, quod Nicephorus hoc ſolum præſtiterat, ut Periegeta carmine liberaretur, ejusque ex oratione bona ligata fieret ſoluta non bona.

JACOBI PERIZONII ÆGYPTIACARUM Originum & Temporum antiquiſſimorum Inveſtigatio.

Lugduni Batavorum, ap. Jo. van der Linden, Jun. 1711, 8.
Alph. 1 pl. 11.

POſtquam eruditiſſimi *Perizonii* Origines Babylonicas Suppl. T. V Sect. VIII recenſuimus, addimus nunc hanc Ægyptiacarum rerum inveſtigationem, in qua *Marshami* Chronologiam funditus evertit, & *Uſſerii*, *Cappelli*, *Pezronii*, aliorumque rationes examinavit & confutavit. Cap. I commemorata Ægyptiæ gentis & regni antiquitate ſacris & profanis Scriptoribus teſtata, Ægypti nomen ortum eſſe putat a nigredine terræ, fluvii, & hominum, adeoque ex nomine Græco γὺψ, Ἄιγυψ, & Αἰγυπιὸς, quod Græcis *vulturem* ſignificat, fuſci coloris avem. Inde ergo interpoſita litera τ, ut ſolet poſt π, factum eſſe Ἄι-

P. 3. (margin, beside "Cap. I commemorata Æ-")
13. (margin, beside "vii, & hominum")

p. 14. γυπτος, & Αἰγύπτιος, de Rege, & de fluvio, & de populo iſtius terræ, quia fuſci & ſubnigri erant coloris, æque ac vultures. Ne vero de hac vocis ſignificatione dubitemus, notat, Græcos in Gloſſis Αἰγύπτιον expoſuiſſe Μέλαν *Nigrum*, & Euſtathium Αἰγυπτιάσαι interpretatum eſſe ἐπικαῦσαι *adurere*. Latinis etiam *ſubvulturium corpus* & *ſubaquilinum* adhuc minus
16. eſſe, quam ſubnigrum apud Plautum. Cap. II diſſerit de immenſa & abſona antiquitate, ab Ægyptiis jactata, & a rerum Ægyptiacarum ſcriptoribus immenſum in modum aucta, obſervatque ex Ægyptiorum Chronologia nihil certi poſſe conſtitui, & miratur, Viros doctos non modo continuam Regum ſeriem
26. ex illis Ægyptiorum Dynaſtiis & Chronicis confeciſſe, ſed & ad certa tempora ſingulos retuliſſe, quaſi in media *rerum clariſſimarum* ac notiſſimi temporis luce verſarentur. Cap. III docet, Chronologiam ex ſolis Regum nominibus, & annorum nu-
27, 28. meris confectam eſſe incertiſſimam, quia numeri, unica olim litera notati, facile potuerint excidere aut turbari: at longe certiorem eſſe illam, quæ ex Synchroniſmo rerum hiſtoricarum conſtituatur. Hoc ipſum Cap. IV oſtendit ſigillatim de Ægyptiorum Chronologia, in qua maxima varietas, diſcrepantia & confuſio reperitur. Quod ut manifeſtum fiat, confert ipſas
33, 34. Dynaſtias veteris Chronici, quod memorat Syncellus p. 51, &
35. Manethonis, unde ſua habent Africanus, & Euſebius, ſicuti ex
61. his porro Syncellus. Cap. V Manethonis Dynaſtias, quas Scaliger tantopere extollit, longe ſupra initium mundi, imo plus ſeculis XIII, adſcendere docet, rejicitque Eratoſthenis Catalo-
63. gum Regum Thebanorum, quem Marshamus laudat, & conſtanter ſequitur, quia nihil ille juvet in Chronologia & Hiſtoria Ægyptiorum ordinanda. Illum enim Indicem, ex ſacris literis Urbis Dioſpolitanæ ſumtum, & juſſu Regis Ptolemæi Evergetæ ex Ægyptia in Græcam linguam translatum, nihil continere ait,
64. niſi mera Regum nomina, & ſingulorum regni annos, probatque contra Marshamum, Menem non fuiſſe Chamum, ſed longe recentiorem, & primum Ægyptiorum poſt Meſtræos vel
69. Heroas Regem ab Hiſtoricis traditum, qui univerſam forte tenuerit Ægyptum, quæ antea diverſos, ſed complures ſimul habuerit

buerit Regulos. Cap. VI pergit Cl. Autor in refellendo Marſhamo, qui perperam nectat quaſi proximos ſucceſſores Regibus p. 81.
Thebanis Eratoſthenis Reges Dioſpolitanos Dynaſtiæ duodevigeſimæ Manethonis, ut hypotheſin ſuam tueatur,qua ex Mene 82.
fecit Chamum, & ex Seſoſtri Seſacum. Probat vero Autor, Dioſpolitanos Reges Manethonis tempore, & ipſo regno diverſos 83, 88.
fuiſſe ab urbis Thebanæ Regibus. Cap. VII contra eundem Marſhamum evincit, compluresManethonis Dynaſtias in unum tempus ſimul conferri non poſſe. 94.
Cap. VIII agit de celeberrimo illo Herodoti Seſoſtri, contenditque contra Marſhamum & Jo.Clericum, 115.
eum non fuiſſe Siſacum Ægypti Regem,qui tempore Rehabeami 106.
Hieroſolyma oppugnavit 1 Reg. XIV, 25, & oſtendit, ipſum Joſephum ſatis habuiſſe exploratum,celebrem illum Ægypti Regem, qui Aſiam ſuis victoriis peragraverit, fuiſſe antiquiorem Siſaco. 111.
Ubi Cl. Perizonius ad adverſariorum argumentum a ſilentio S. Scripturæ ſumtum, quæ nullius Ægypti Regis, qui in Palæſtinam moverit, mentionem fecit præter Siſaci, & dein Nechonis, reſpondet, Seſoſtridis res forte accidiſſe tempore Judicum, 114.
vel potius ſervitutis, qua Iſraelitæ Palæſtinis reliquis, vel aliis fuerint ſubjecti. 116.
Quo pacto una cum ſuis Dominis tranſiiſſent in poteſtatem Seſoſtridis. Hancque cauſam eſſe ſatis idoneam, quare in Annalibus Iſraelitarum nihil de victoria Seſoſtridis legatur, cum præſertim Syria Palæſtina dicatur a Seſoſtride ἀμαχητὶ ſubacta. 120, 121.
Cap. IX provocat ad ſuffragia Græcorum, ac ipſius Manethonis Ægyptii, qui Seſoſtrim uno 122, 127.
conſenſu antiquiorem faciunt bello Trojano, quorum ſententiam Autor inde confirmat, quod Siſaci hiſtoria in S. Scriptura 129.
neutiquam congruat cum Seſoſtride, nec Aſſyriaci Imperii ſucceſſio patiatur ad tam ſera tempora demitti expeditionem & imperium Seſoſtridis. Colligit ergo, falſam eſſe Marſhami Chro- 133.
nologiam, hac Seſoſtridis æque ac Menis ætate, tanquam præ- 134.
cipuo aut unico fundamento ſubnixam. Cumque Cl. Abbas Pezronius jactaverit, ſe Dynaſtias Manethonis ita ordinaſſe, ut nihil opponi poſſit, Noſter ejus rationes toto Cap. X examinat 136.
& refellit. Tandem cum Conringius,Stillingfleetus,aliique rejiciant Manethonis Dynaſtias, tanquam incertas & fabuloſas, & 161, 162.

Hero-

Herodoti Chronologiam præferant, Cap. XI oſtendit, neque ex
p. 180, 204. hac Herodoti, neque ex Diodori Sic. narratione certi quidquam hauriri poſſe, ad Chronologiam Ægyptiorum, ante Pſammetichum, Pharaonis Nechonis Patrem, per ſuos annos recte ordinandam. Miratur igitur Cap. XII, Viros doctiſſimos Jaco-
181. bum Cappellum & Uſſerium, atque, qui his præivit, Euſebium, certos annos ſingulis antiquiſſimorum Regum adſcripſiſſe, & de paucorum annorum diſcrepantia alios aliquando refutaſſe, vel
182. correxiſſe, quum pariter nullis idoneis aut probabilibus principiis niterentur. Refutatis ita aliorum ſententiis, Cap. XIII
204. qualemcunque rerum Ægyptiacarum ſeriem, ex ſynchroniſmis hiſtoricis tantum conficiendam, & facta factis potius conferenda eſſe cenſet, quam annos annis, quod inter τὰ ἀδύνατα refert.
206. Exiſtimat quippe, Ægyptios ſacerdotes, ac Manethonem imprimis, immane quantum auxiſſe ſua tempora, ut tanto antiquiores aliis haberentur gentibus, & forſan Hebræa potiſſimum, cujus antiquitas ab ipſa mundi origine in S. Literis legitur repetita. Ceterum in conſtituendis rebus & ſynchroniſmis Ægyptiorum initium ducit, non a primis Regibus, in quibus nullum omnino habet idoneum probandi quidquam documentum, ſed ab ultimis, qui jam liquida & certa ratione ex Sacra, imo & Græca hi-
207. ſtoria probari poſſunt. Arripit ergo Pharaonem Nechonem, qui ultimis annis Joſiæ vixit, eumque vicit, ſed dein tempore Joachimi, filii Joſiæ, a Nebucadnezare viciſſim fuit victus, 2 Reg. XXIII & Jerem. XLVI, 2. Ab hoc Nechone, Pſammetichi filio & ſucceſſore, ad ſuperiora progreſſus, invenit *Soum* Regem Ægypti, quem Hoſeas, ultimus Iſraelitarum Rex, ad auxilium ſibi ferendum contra Salmanaſſarem invitavit, 2 Reg. XVII, 4. Idem ille *Sous* in Hiskiæ hiſtoria, 2 Reg. XVIII, 21, intelligi videtur, quia inter utrumque bellum Salmanaſſaris cum Hoſea, &
208. Sennacheribi cum Hiskia vix *decem*, immo ſecundum Autorem noſtrum, vix *octo* anni, fuerint interjecti. Hunc autem *Soum*, cum Dynaſtiis Manethonis, & cum Herodoto comparatum, pleriſque videri *Seuechum* fuiſſe, Regem ſecundum Dynaſtiæ XXV, certe *Sethonem* Herodoti. Noſter vero ſuſpicatur, *Soum*
212. S. Scripturæ, & *Sethonem* Herodoti, fuiſſe *Zetum*, ultimum Dynaſtiæ

Digitized by Google

naſtiæ XXIII Regem, & ita *Seuechum* relinquit Æthiopum Dynaſtiæ. Per *Sargonem*, Eſaiæ XX, 1, non Senacheribum, ſed p. 216,217.
Eſarhaddonem intelligendum eſſe putat, qui, capta jam Babylone, progreſſus in Judæam, aditum ſibi voluerit capta Asdodo patefacere, etiam in Ægyptum & Æthiopiam, ſicuti mox Manaſſen Regem Judææ cepit & Babylonem abduxit. Cap. XIV a *Soo* ad ſuperiora aſcendenti primus Autori in S. Scriptura occurrit *Siſacus*, Rex Ægypti, tempore Salomonis & Re- 222.
habeami, primusque, ut videtur, XXI Dynaſtiæ Rex, Smedes, ac 225.
deceſſoris ſui inimicus, 1 Reg. XI, 40, certe non ejusdem fami- 226.
liæ, cujus ille homo. *Venephes*, proximus ante *Smedem*, ſive *Siſacum*, ei videtur fuiſſe *Vaphres*, ſocer Salomonis, & ultimus Dynaſtiæ XX Rex. Inde Cap. XV ad tempus Belli Trojani pro- 238.
greditur, quod incidiſſe exiſtimat in Dynaſtiam XIX, cujus primus Rex fuerit *Sethos*, Græcis *Proteus* dictus, cujus filius *Rameſ-* 249.
ſis, vel *Ramſis*, ſub quo Plinius captum dicit Ilium. Cap. XVI de *Seſoſtride* ex profeſſo agit, multisq; probat argumentis, ejus ætatem nec ad tempora Rehabeami dejiciendam, nec ad tempora ſu- 263.
pra Moſen, ſed ad tempora Judicum Hebræorum, vel ad illud intervallum, quod inter exitum Iſraelitarum ex Ægypto & Bellum Trojanum interceſſit, referendam eſſe. Viderì enim Se- 275.
ſoſtrim occupaſſe Palæſtinam, quando Iſraelitæ a Cananæis, & eorum Rege Jabino in ſervitutem erant redacti. Numeros 1 Reg. VI, 1 manifeſte corruptos, & pro ſumma annorum 480 reſtituendos cenſet 580 annos. Cap. XVII Seſoſtridis filium incer- 277, 278.
tum eſſe ait, ſuſpicaturque, imperium ejus neutiquam fuiſſe 298.
diuturnum, ſed cum eo deſiiſſe, plane uti Attilæ & Timurlani accidit. Sacram enim Hebrææ gentis hiſtoriam non admittere 305.
durantem diu Ægyptiorum potentiam, quippe cujus nullum veſtigium ante Salomonis tempora occurrat. Nec credibile eſſe, 298.
gentes adeo recens domitas, cum audirent mortuum Seſoſtrin, & filium ejus ac ſucceſſorem hominem eſſe ignavum & imbellem, jugum novum non excuſſiſſe. Nec dubitat Autor, quin Ninus aliquandiu poſt Seſoſtridis demum mortem Aſſyriæ ſuæ nomen extulerit in celebritatem, & magnam partem Aſiæ ſibi ſubjecerit. Hinc progreditur Cap. XVIII ad exitum Moſis & Iſrae-

p. 312. Israelitarum ex Ægypto, ostenditque, veteres fere omnes ad
313. tempora Inachi Argivi, & Amosios Ægyptii, primi Dynastiæ
XVIII Regis, eum retulisse. Ipse vero infra p. 378 vix audet
definire, sub quo proprie Ægyptiorum Rege Israelitæ seu Pastores exierint ex Ægypto. Crediderit tamen Amosin, seu Tethmosin, primum Manethoni Dynastiæ XVIII Regem, primum etiam fuisse Regem post Israelitarum ex Ægypto exitum. Cum-
315. 317. que Pastores illos, quorum Dynastias Manetho refert, ab Israe-
329. litis diversos fuisse, plerique censeant eruditi, Noster cum Josepho plane eosdem putat, eamque sententiam multis argumentis Cap. XIX confirmat, existimans, Manethonem Ægyptium, a quo solo nobis hæc Pastorum historia relicta, odio ductum adversus Judæos, quorum historiam & origines desiderabat Rex sui temporis Ptolemeus Philadelphus, eam consulto corrupisse, ne
354, 355. Israelitæ in iis agnoscerentur. Cap. XX discrepantiam quarundam circumstantiarum, a Marshamo oppositam, removet, dubiumq; a misera Israelitarum servitute, & Pastorum imperio in Ægyptios exercito sumtum, ita diluit, ut nullum fuisse Pastorum
378, 379. regnum credat, & illud æque, ac eorum nomina & successionem, a Manethone videri confictum. Cui fictioni forte occasionem
372. dederint Josephi potentia & plagæ per Mosen Ægyptiis inflictæ. Posse etiam per primos illos Reges Pastores intelligi illos
379. Reges Ægyptios, qui Josepho & Israelitis Pastoribus faverint, sicuti Christiani dicebantur per ignominiam ab Ethnicis Impe-
382. ratores, Alexander Severus & Philippi, quia Christianis favebant, licet ipsi minime Christiani essent. Pyramidum originem Cap. XXI refert ad Israelitas cum Josepho, qui tradit, Ægyptios
387. coegisse Judæorum progenitores etiam Πυραμίδας ἀνοικοδομεῖν. Ipsum Pyramidum nomen ex lingua Ægyptia deducit, in qua
393. Viri illustres dicebantur Πιρώμεις. Πίρωμιν autem Herodotum Græce interpretatum esse καλὸν κἀγαθόν. Fuisse igitur Pyramides Regum, hoc est, illustrissimorum istic hominum, & qui
394. vel maxime Πιρώμεις seu καλοὶ κἀγαθοὶ haberi volebant, quasi arces; certe thesauros, & sepulcra. Quin ipsam vocem *Pharao* seu *Pharo* ejusdem forsan originis & significationis esse pu-
395. tat. Cap. XXII docet, e primis XIV vel XV Manethonis Dynastiis,

ſtiis, ante adventum Paſtorum, nihil certi erui poſſe ad Hiſtori-
am aut Chronologiam cum aliarum gentium hiſtoriis compa-
randam, immo confictas eas videri, ad antiquitatem gentis 396.
Ægyptiæ extollendam. Supra enim Cap. XIV & XVII clariſſime 228, 229.
oſtendit, multos Reges primarum Dynaſtiarum ex ſequentibus 309, 310.
ſumtos, iisdem nominibus, ordine, factis, quod ſane non exi-
guum eſt malæ fidei argumentum. Tandem cum poſt Pharao-
nem Nechonem, unde Cl. Autor initium cepit, & ad ſuperiora
Ægyptiacæ hiſtoriæ tempora recte ordinanda progreſſus eſt, exi-
gua tantum ſuperſit veteris Ægyptiorum Regni lacinia, multis
difficultatibus implicita, illam etiam Cap. XXIII & XXIV dili-
genter excutit, de eaque ſcriptores ſacros atque profanos in
qualemcunque concordiam redigere ſtudet.

J. LE MORT, CHYMIÆ ET MEDICINÆ Profeſſoris Ordinarii, Facies ac Pulchritudo Chymiæ ab affictis maculis purificata, ad veras naturæ & ſuæ artis leges exornata.

Lugduni Batavorum, ex officina Luchtmanniana, 1712, 8.
Alphab. 1 plag. 5½.

CUm Cl. *Freindii* Prælectiones Chymicas in Actis An. 1710 recenſeremus, merito nobis improbandum videbatur, quod cum Cl. *Keilio* vim quandam attractricem poſtliminio in Philoſophiam introduceret, & monuimus in Actis Anni ſuperioris p. 221, novis qualitatum occultarum patronis in autoritate Viri ſummi, *Iſaaci Nevvtoni*, qui nunquam ſine laude nominandus, nihil præſidii ſupereſſe. Neque nobis unquam probatum eſt illorum ſtudium, qui vel non ſatis evoluta pro demonſtrationibus Mathematicis venditarunt, vel principia Mathematica ex præcipitantia ad alias diſciplinas applicarunt, tam perfectam theoriam nondum admittentes. Prius haud obſcure indicavimus in Actis A. 1711 p. 391 & 489, itemque in Actis hujus ipſius anni p. 28; poſterius vero in Actis A. 1711 p. 222. Utrumque argumentum ex inſtituto tractandum ſibi propoſuit Cl. *Le Mort*, quamvis non ea moderatione, qua nos uſi ſumus. Invehitur enim capite primo & ſecundo in Mathematicos principia ſua ad alias ſcientias

& artes

Digitized by Google

& artes applicantes, ac in toto opere *Freindii* vim attractricem impugnat, omnemque ejus de chymia doctrinam examini severiori subjicit. In priori præsertim argumento affectui nimium
Cap. 1. indulget, ejusque candorem merito desideramus. Non digna judicamus scommata, quæ sui minime compos in Mathematicos evomit, ut hic recenseantur: satis enim norunt intelligentes, quantum illorum labores ad philosophiam naturalem & artes perficiendas contulerint. Sufficit vel solas evolvere disciplinas, quæ sub Matheseos impuræ seu applicatæ nomine celebrantur, quales sunt Optica cum Dioptrica & Catoptrica, Astronomia, Mechanica, Statica, Hydrostatica, Hydraulica, Aerometria. Sed hæc facile condonabit Lector æquus Autori, de re prorsus ignorata
2. judicanti. Patet enim, ipsum ignorare terminos, quos primos discunt tyrones Mathematicorum sacris initiandi. Cum enim *Freindius* ex elementis *Euclidis* citasset theorema; corpora similia esse in ratione triplicata homologorum laterum: nescit Noster, quidnam Geometris dicatur corpus & quænam corpora Geometrica ipsis vocentur similia. Desiderat enim signa evidenter clara & distincta, quibus similitudines corporum rite dignoscere possimus. Quasi vero ea non jam dudum tradiderit *Euclides!* Corpus Geometricum cum Physico pessime confundens porro desiderat, ut demonstretur, quot puncta & lineæ requirantur in materia metallica, minerali, lapidea, animali, vegetabili, ut inde fiant corpora similia cum suis attributis & accidentibus necessariis, ex sensu aut opere fluentibus, ut sciatur, illud esse sulphureæ, salinæ, aqueæ & terreæ substantiæ. Similiter cum *Freindius* ex Mechanica adduxisset theorema; quantitates motuum oriri ex ratione quantitatis materiæ & celeritatis composita: nescit Noster, quid hic dicatur materia, quid celeritas. Per quantitatem enim materiæ eam intelligi suspicatur, quæ sub terræ, salis, aquæ titulo obvenit, præcipue autem caput mortuum seu terram damnatam Chymicorum: per celeritatem vero, quod non solummodo ad independentiam magnam raritatemque suæ materiæ, levioris inde factæ, cogitur ad viciniæ suarum superficierum & massularum distinctarum mutationem indefessam variam fertur; sed quod veluti animatum ad vitalem quendam volutum

con-

continuum ac fluiditatem rapitur, torrentis inſtar volubilis, ſeſe ſenſibus noſtris offerens, cum alteratione quadam levi aut gravi ſuccedente in ipſius materiæ partibus, ſuperficiebus, attributis &c. Quæ quam abſona ſint, nobis non monentibus, norunt Matheſeos tyrones. Similiter ipſe profitetur, ſe ignorare, quidnam per ſpecifice gravius velit *Freindius*, quaſi vero adeo obſcurus eſſet terminus, qui etiam extra Matheſin in omnium fere ore eſt. Nos quidem optaſſemus, ut Cl. Autor agnoviſſet, ſe reliquorum terminorum ſignificatum totamque Matheſin æque ignorare, nec ea, quæ ignorat, refutare decreviſſet, tanta inprimis animi acerbitate, ut a convitiis ſibi temperare non potuerit. Candori adverſum eſſe judicamus, quod paucas illas propoſitiones, quas *Freindius* ad ſolvenda phænomena quædam chymica adhibet, pro præcipuis Mathematicorum regulis venditet, præſertim cum nonniſi tertia earum pars, tres nempe priores, Mathematicis probentur; reliquæ vero de vi attractrice in Matheſin non ſint admiſſæ. Adſunt indicia alia, quæ nunc præterimus. Quod alterum argumentum attinet, totus in eo eſt, ut oſtendat, *Freindium* nullius operationis chymicæ genuinam notionem habere, & exempla adduxiſſe, vel falſa, vel ad rem præſentem non facientia, vel ex trivio ſumta. Nos ea potiſſimum delibabimus, quæ theſibus *Freindianis* a nobis in Actis A. 1710 p. 424 & ſeqq. propoſitis contradicunt. Ægre igitur fert, quod *Freindius* dixerit, principia Chymica hactenus fuiſſe nulla, ipſumque ſibi contradicere arbitratur, dum hoc non obſtante concedit, artem chymicam amplam ſatis & laboratam haberi. Qua occaſione de principiis chymicorum, ſale, aqua, oleo, terra & ſpiritu diſſerit. Negat calcinationem fieri per liquationem: ſolum enim aeris & aquæ acceſſum in plerisque metallis ſufficere calcinationi legitimæ abſolvendæ. Calcinari etiam metalla in Sole in limaturam redacta, in aere detenta & ſponte humectata. Fuſionem igitur fieri non ob neceſſitatem aſſequendæ calcinationis, ſed ut in majori quantitate calx obtineatur. Hydrargyri calcinationem non ita facilem eſſe monet, ac *Freindio* videatur. Hunc vero meliora de calcinatione edocturus eam definit per operationem, quæ fit in ſolidiſſimis corporibus, ope

Cap. 3.

4.

ignis cœleſtis & terreſtris, ſalino-ſulphuream materiam ſecum apportantibus, eam latentem in materia ipſa ſuſcitantibus, ad fluorem majorem auxilio illo deducendis.
Cap. 5. In deſtillatione negat aquam poſſe adeo rarefieri, ut aerem levitate vincat. Hoc enim admiſſo, impoſſibile ipſi videtur, ut vapores in guttas roridas iterum colligantur. Et abſurditatem inductione probaturus quærit, an veſica inflata ſpecificam amittat gravitatem? an pluma leviſſima aquæ graviſſimæ acidæ innatans in deſtillatione ſit præceſſura? Non dubitamus, quin *Freindius* prius affirmaturus ſit, ſi veſica fortiter infletur, ut indureſcat, & aer intus contentus ſit ambiente denſior: ad poſterius vero reſponſurus ſit, id expanſioni aquæ a ſe demonſtratæ propter non intellecta principia hydroſtatica objici. Ipſe credit deſtillationem omnem fieri per aquam & oleum, ope ignis & aeris rarefactum, avulſum, propulſum, elevatum.
6. Negat ſublimationem a deſtillatione in eo ſolum differre, quod hæc liquida, illa ſolida tantum pro ſubjecto ſuo agnoſcat: hæc enim, ſi vera eſſent, ex miſcela ſpiritus vini cum ſpiritu urinæ nunquam, ait, fieret corpus ſolidum ſublimationem permittens ſiccam, nec ex oleo vitrioli cum oleo therebinthinæ, aut cum antimonio crudo prodiret ſulphurea ſolida materia ſublimanda. Impulſum ſolum impotentem nimis pronunciat, quam ut ſublimanda graviſſima eo eleventur. Ipſe igitur alia addit impulſum illum juvantia, ignis nempe ac aeris acceſſum majorem & liberiorem, atque folles impulſu flatuum vapores illos graviſſimos de loco in locum propellentium. Exagitat computos Geometricos a *Freindio* in ea materia adductos.
7. Negat, fermentationem eſſe colliqueſcentiam ſolidi in liquido per motum inteſtinum. Liquores enim limpidos turbari inſtante & exiſtente fermentatione. Vina defæcata, ex ſua diaphanei tate rutilantia, ubi motum admittunt inteſtinum, immediate turbari ac materiæ craſſæ & obſcuræ ſeceſſus in iis fieri. Quærit ergo, an hoc ſit colliqueſcere, ubi plane ſoluta, antea viſum ſubterfugientia corpora dejiciuntur. Motum non eſſe adeo paucum, ut ſenſus noſtros non afficiat, probat non modo ex obſcuratione liquorum, ſed potiſſimum ex odore, ſopore, vaſorum clauſorum diſruptione. Nec fermentationem diſſolutionem

nem meram dici poſſe, ſacharum enim, mel & farina in aqua ſoluta ſi filtrentur, ſolutionem abſolutam eſſe: ſed poſtea demum ſubſequi fermentationem, ubi propter motum inteſtinum flocculi, moleculæ, maſſulæ viſibiles fiunt, cum concuſſione & colliſione mutua & reciprocante fluctuatione indefeſſim agentes. Cumque *Freindius* hic quoque qualitatem ſuam occultam ſeu vim attractricem primitivam in auxilium vocet; in ea refutanda prolixam operam collocat. Ipſi fermentatio eſt motus inteſtinus partium ſolidarum leviorum, ſolutarum in aqua, ſpeciali ei motui ſuſcipiendo aptarum, cum rareſcentia utriusque, tam liquidi quam ſolidi, per ſtimulantis aut prementis copioſi aeris acceſſum, elaſticitatem validam exercentis, ſuo ingreſſu fluctuatione partium utrarumque promoventis. Impugnat digeſtionem eſſe ſolutionem & in digeſtione ignem culinarem adeſſe debere. Cap. 8.
Prius probat per digeſtionem ſolidorum, nullo liquido cinctorum, qualia recenſet calces & ſulphura metallorum & mineralium. Addit exempla alia contrarium ſuadentia. Poſterius inde confirmat, quia ad digeſtionem abſolvendam Chymici ſæpius utuntur fimo, corticibus quercus, fœno madido, immo ipſo Sole. Ipſe igitur digeſtionem definit, quod ſit ea operatio, qua, mediante calore vix æquante aut ſuperante irradiationem Solis æſtivi, corporum ſolidorum texturæ ſenſim diſponuntur ad majorem rarefactionem, ſolutionem, ſeceſſum, adunationem. De præcipitatione *Freindium* nihil aliud afferre ait, 9.
niſi quod dudum ſtatuerint Chymici etiam ignobiles. Inſtillationem liquoris ad præcipitationem non eſſe neceſſariam ſtatuit, quia lamina cuprea ſicca & ſolida præcipitat ſolutionem argenti; lamina ferrea cuprum ſolutum, argentum vivum pleraque metalla. Definit ipſe præcipitationem, quod ſit ſeceſſus coactus partium ſolidarum, liquido antehac innatantium. Contra definitionem cryſtalliſationis *Freindianam*, quod fiat ex ſale 10.
in aqua ſoluto, dein filtrato, poſtea evaporato, hanc inſtantiam affert, quod oleum vitrioli, ſpiritus cornu cervi aliaque per ſe in cryſtallos abeant. Omni experientiæ contraria pronunciat, quod ſalia volatilia figi debeant, antequam in cryſtallos mutari poſſint, & quæ ſunt hujus furfuris alia. Ipſe cryſtalliſationem oriri

ſtatuit

ſtatuit ex copulatione vel congelatione plurium ſuperficieculorum ſalino-terreſtrium in liquido quocunque non in ſolutione

Cap. 11, 12. mera aquea. Abſolutis controverſiis *Freindianis*, coronidis loco oſtendit acidum, alcali & muriaticum eſſe ſalia mere naturalia, & Medicinam non eſſe commendandam, niſi quæ ſit tota empirica, longa experientia acquiſita. Ceterum in hoc libro multa reperiuntur experimenta chymica Autori ipſi explorata.

OBSERVATIONS OF VARIOUS EMINENT CURES of ſcrophulous Diſtempers &c.

h. e.

OBSERVATIONES DE VARIIS SINGULARIBUS curationibus ſcrofularum aliorumque agnatorum morborum, qui vulgo Mali Regii nomine veniunt, tumorum puta, ulcerum, cariei oſſium, cæcitatis & tabis &c.

Autore D. GIBBS.

Londini, apud W. Innys & Philippum Yeo, 1712, 8.

Plag. $6\frac{1}{2}$.

CUm nonnemo Autoris famam, quam in curandis ſtrumis aliisque morbis agnatis conſecutus fuerat, ideo laceſſeret, ne pretium promiſſum pro curatione filiæ feliciter facta ſolvere teneretur; ipſe tandem id conſilii cepit, ut in brevi aliquo Tractatu peritiam ſuam publice comprobaret. Melius autem ſcopum ſuum aſſecutus fuiſſet, ſi non tantum theoriam expoſuiſſet, ſed inſuper methodum curandi, qua cum ſucceſſu utitur, cum cautelis practicis addidiſſet. Cauſam ſcrofularum, tumorum, ulcerum, cariei oſſium aliorumque iſtiusmodi morborum ſtatuit acidum, quo lympha in glandulis lymphaticis coagulatur. Unde multos morbos eosdem cum ſcrofulis eſſe agnoſcit, omnesque propemodum corporis partes malo iſto corripi poſſe ſtatuit, quia glandulæ lymphaticæ ubique occurrunt. Varia ſymptomata recenſet ab iſto malo procedentia, quæ inter cæcitatem refert, & propriis obſervationibus dicta confirmat. Rejicit celeberrimi *Etmülleri* methodum curandi ſtrumas, remediis diſcutientibus utentis: quia multa damna inde oriri expertus,

ſi materia

Digitized by Google

ſi materia peccans ad alias corporis partes abigitur. Quoniam vero acidum lympham in glandulis lymphaticis coagulat; de his & ſecretione animali diſſerit & quædam affert aliis nondum obſervata. Monſtrat nempe novum glandularum uſum, in earum conſtrictione conſiſtentem, qua liquorum ſecretorum particulæ ad firmiorem cohæſionem adducuntur, ut fluidum reſultet, quod ſanguini nondum inerat. Provocat ad experimentum. Gutta bilis ſanguini permixta eum amarum reddit. Si igitur bilis ſecerneretur a ſanguine, qualis poſt ſecretionem apparet, amarus eſſe deberet. Hanc glandularum conſtrictionem ſpiritibus animalibus adſcribit, quos cum vaporibus liquorum fermenteſcentium comparat. Ab iis igitur fibræ intumeſcunt & ideo ſecundum longitudinem contrahuntur. Unde conſequitur, ob ſpirituum defectum glandulas relaxari. Quare cum ſpirituum operationes maximam partem ceſſent in ſomno; cibo nondum concocto ſi quis cubitum eat, chylum nondum elaboratum ad ſanguinem tranſire colligit. Eandem rationem reddit, cur lympha nondum elaborata ſecernatur, ſtrumis materiam præbitura. Lympham compoſitam arbitratur ex ſale volatili & aliquo ſulphure, fluido aqueo innatantibus. Sale volatili exhalante, lympham fieri ſpiſſiorem & ab acido coagulari, quemadmodum lac ab aceto coagulatur. Acidum illud conſtare ex particulis admodum exiguis, acutis & rigidis, quoniam oſſa ipſa arrodunt. Effectus malos coagulationis memoratæ fuſius deſcribit. In omnibus vero iſtiusmodi caſibus, ubi lympha coagulatur, Mercurialia rejicit, quæ nihil profuiſſe obſervatione ſingulari docet. Suam medendi methodum (quod nos dolere ſupra jam confeſſi ſumus) celat, more plurimis Medicis communi, qui profectum Artis ſalutaris ſuo lucro poſtponunt. Lunæ influxum in corpora infirma exemplis & rationibus parum firmis corroborare nititur. Subjungitur tentamen de ſpiritibus animalibus & curatione convulſionum, una cum altero de forma & qualitatibus particularum eſſentialium in ſalibus & ſulphuribus. Obſervat, opium plurimum conferre ad robur & agilitatem ſpirituum; interdum tamen in iis excitare fermentationem irregularem, immo ſulphur opii interdum enecat ſpiritus,

ritus, ut expanſionem naturalem nunquam recuperare valeant. Salia volatilia alcalina raro excitare fermentum expanſivum ſpirituum. Deliria furioſa corrigi acidis volatilibus & ſpirituoſis. Unde infert, ſpiritus animales eſſe fluidum, quod talium fermentationum & alterationum capax ſit, qualis in ſanguine deprehenditur, & componi ex ſalibus volatilibus partim alcalinis, partim nitroſis, ſulphuribusque rarefactis, paucis quibusdam particulis aqueis admixtis. Eſſentiales ſalis particulæ Autori noſtro ſunt corpuſcula minuta, aliquantum rigida & acuminata. A diverſitate acuminum, pororum, ſuperficierum, rigiditatis & molis ſalium diverſitatem derivat. Quamlibet vero olei vel ſulphuris particulam pro fibra flexili & ductili habet. Hinc lignum ipſi flexile videtur, quia ſulphureæ particulæ inſunt: carbones vero flexiles non ſunt, ſulphure amiſſo. Diverſitatem ſulphurum a diverſa mole, robore, tenuitate, denſitate fibrarum deducit.

BERNHARDI VARENII GEOGRAPHIA Generalis, in qua affectiones generales Telluris explicantur. Adjecta eſt Appendix, præcipua recentiorum inventa ad Geographiam ſpectantia continens, a JACOBO JURIN, A. M. Collegii S. Trinitatis Socio & Scholæ publicæ Novocaſtrenſis Archididaſcalo.

Cantabrigiæ, apud Cornelium Crownfield, 1712, 8 maj.
Alph. 1 plag. 15 Tabb. æn. 9.

NOvam hanc Geographiæ *Varenii* editionem ideo commemoramus, quod *Jacobus Jurin* non modo operam dedit, ut nitide imprimeretur, ſed & ex recentiorum inventis ea addidit, quæ noſtro ævo in ipſa deſiderari poterant. De his igitur Supplementis pauca nobis dicenda ſunt. Ad Cap. 2, quod de variis menſuris agit, notat, talium partium, qualium pes Anglicus eſt 1000, Gallicum eſſe 1066, Rhenanum 1030, Romanum 970. Ad Cap. 3 ex *Job. Baptiſta du Hamel* Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & Commentariis ejusdem Academiæ Scientiarum A. 1700 & 1701 repetit obſervationes de vibrationib9 penduli prope æquatorem tardioribus, monens, quod *Newtonus* atque *Hugeni*-

us ovalem Telluris figuram inde eruerint. Eſt nempe per eorum calculum diameter æquatoris ad diametrum per polos ductam ut 692 ad 689, ita ut illa hanc ſuperet pedibus fere 85, 200 Pariſinis. Ad Cap. 4 exponit methodum, qua *Snellium* ſecuti Mathematici Pariſienſes ſemidiametrum Telluris inveſtigarunt. Cumque quantitatem unius tantum gradus exploraverint, in qua error facile admittitur; *Caſſini* quoque induſtriam commendat in exquirendis 6½ gradibus poſitam & a nobis in Actis A. 1708 p. 232 jam laudatam. Ad Cap. 9 ex Commentariis ſupra laudatis methodum metiendi montium altitudines per barometrum repræſentat. Ad Cap. 18 experimenta *Hallejana* de evaporatione aquarum recenſet, in Actis A. 1705 p. 539 indicata. Ad C. 14 *Keplerianam* de fluxu & refluxu maris hypotheſin a *Newtono* magis excultam explicat; ſed in eo peccat, quod cum quibusdam conterraneis ſuis gravitatem vim vocet, quoad operandi modum nobis ignotam, ab Autore Naturæ corporibus univerſis inditam, qua ad ſe mutuo accedere conantur, hoc eſt, qualitatem occultam: id quod paulo ante & ſæpius improbavimus in his Actis & denuo improbamus, ne ad vetera ignorantiæ aſyla iterum redeatur. Ad Cap. 16 *Hallejo* applaudit de fontium origine detecta, quam in Actis A. 1684 p. 387 exhibuimus. Sed hic objectionibus *Philippi de la Hire* in Actis A. 1706 p. 364 propoſitis reſpondere debebat. Ad Cap. 19 pondus aeris per experimenta tubo *Torricelliano* & antlia pneumatica, ab *Ottone de Guericke*, Conſule Magdeburgenſi inventa, poſtea a *Boylio* quoad ſtructuram externam parumper immutata, ſumta probat. Per *Hauksbeji* experimenta rationem gravitatis ſpecificæ inter aerem & aquam definit ut 1 ad 885. Agit & de vi elaſtica aeris, & quomodo inde altitudo atmoſphæræ determinetur, oſtendit. Diſputat contra *Philippum de la Hire* aſſerentem, quemadmodum annotatum eſt in Actis A. 1710 p. 205, aerem humidum eſſe magis elaſticum ſicco: ſed quæ ex attractionis nova hypotheſi, ſeu potius commento, objicit, non admittet *de la Hire*. Diſputat etiam contra *Parentium*, impugnans ea, quæ in Actis A. 1710 p. 206 rejiciuntur. Tabellam *Caſſini* junioris adjungit, in qua altitudines aeris diverſis barometri depreſſionibus per obſervationes reſpon-

reſpondentes exhibentur. Aeris per calorem expanſionem experimento *Hauksbeji* definit: ubi addi poterat ex Diario Trevoltienſi A. 1705 art. 157 p. 1790 *Nugueri* experimentum, quo aerem ab aqua ebulliente calefactum ad condenſatum eſſe deprehendit ut 47 ad 3, hoc eſt, fere ut 16 ad 1. Phiolam ſcilicet, cui tubus recurvus ex ferro ſtanno obducto affixus erat, aquæ ebullienti immiſit, &, aere ſufficienter expanſo, orificium tubi frigidæ immerſit. Notavit autem in phiala refrigerata aquæ uncias duas, grana ſex, cum integra uncias duas, grana $7\frac{1}{2}$ caperet. Agit quoque de conſtructione thermometri Florentini, ſed ita ut appareat, non expertum ſcribere. Laudat *Hauksbeji* experimentum, quo *Lowthorpium* ſecutus rationem ſinus anguli incidentis ad ſinum refracti in refractione lucis in aere definit ut 1000000 ad *999736*. Ad Cap. 21 ventorum conſtantium hiſtoriam *Halleji* (quam vide in Actis Suppl. Tom. II p. 328) recenſet: ubi & de cauſa ventorum in genere diſquirit. Ad Cap. 26 demonſtrationem paradoxi propoſitionis tertiæ faciliorem a *Dittono* inventam affert. Ad C. 31 *Hugenianum* modum inveniendi locorum longitudines declarat, ſed non omnino approbat, quia motus pendulorum verſus æquatorem retardantur. Tabulam addit longitudinis & latitudinis locorum ex noviſſimis obſervationibus confectam. Ad Cap. 32 varia de projectione globi terreſtris & ad Cap. 38 *Halleji* de acus magneticæ declinatione theoriam, in Actis A. 1687 p. 509 expoſitam, addit.

CONRADI SAM. SCHURZFLEISCHII EPIſtolarum arcanarum varii, politici inprimis, hiſtorici, antiquarii & literarii argumenti Tomus II & ultimus, cura H. L. SCHURZFLEISCHII editus.

Halæ, apud Jo. Godofr. Rengerum, 1711, 8.
Alph. 2.

EST hoc tertium & ultimum volumen Epiſtolarum Schurzfleiſchianarum, quæ ut ſupremis B. Autoris annis ſcriptæ ſunt, ita judicium ſenile & emendatæ Latinitatis florem ad juſtam quaſi maturitatem perductum ubique oſtendunt, ac Mureti, Manutii, Sadoleti & aliorum, qui in hoc genere elaborarunt, elegan-

Digitized by Google

elegantiam referunt ac repræſentant. Etſi vero hoc nomine potiſſimum ſe commendant, tamen nec rerum cognitione dignarum argumentis deſtituuntur. Multa inprimis ad rationem & ſtatum Imperii, qualis fuit ab anno 1690 usque ad A. 1708, quo Autor mortem obiit, ſpectantia comprehendunt, quæ animum patriæ amantem & de ſalute publica ſollicitum produnt. Cap. IX ſodalitatis ad excolendum hiſtoriam Germanicam inſtituendæ meminit, eique operam ſuam a Chriſtiano Franciſco Paullini requiſitam non denegat, ſed pacis tempora, quibus Principes ad præſidia inſtituto huic neceſſaria ſuppeditanda proviſuri ſint, expectanda cenſet. Ep. XVI de Jacobo VI Scotiæ & I Magno Britanniæ Rege memorat, eum a ſtricti gladii conſpectu propterea abhorruiſſe, quod Maria mater ejus paulo ante partum, percuſſoribus Dav. Rizii amaſii ſui, ab Henrico conjuge immiſſis, exterrita fuerit, idque ab omnibus hiſtoriæ ejus ſcriptoribus prætermiſſum, ſed a Digbæo in libro de Sympathia annotatum eſſe, affirmat. Ep. XLII *Amſtelodamum* in antiquis Batavorum annalibus & diplomatibus veterum Hollandiæ Comitum *Amſtelredamme* legi, atque adeo, ſi ratio veteris Scripturæ habenda ſit, *Amſtelredamum* exarari oportere exiſtimat, unde miratur, Jo. Iſ. Pontanum, qui urbis hiſtoriam deſcripſit, vulgarem ſcribendi rationem retinuiſſe. Epp. LX & ſeqq. ex Italia ſcriptis bibliothecas ibi perluſtratas, inprimis Mediceam, Laurentianam, Marcianam, laudat, ac potiſſimum de inſpectis Pandectis Florentinis ſibi gratulatur. Ill. Magliabechii humanitatem & benevolentiam magnis laudibus extollit, qui Florentiæ commoranti inter alia dixit: *ego, ſi eo eſſem loco, ut Magni Ducis poteſtate fungerer, omnes urbis portas clauderem, ne exiret Schurzfleiſchius, cum quo vivere & mori optarem.* Ep. LXII Romæ Ciampinum, Bellorium & Fabrettum, quos paſſim triumviros literatorum Romanorum vocat, ſe conveniſſe gaudet, & ex hujus præcipue ſermonibus multa obſervatu digna refert, quorum nonnulla ipſis Autoris verbis repetimus: *tria millia inſcriptionum inedita nobis oſtendit, Reineſium magnopere laudavit, ſed a P. Servio, qui Roma ei veteres inſcriptiones miſit, non ſemel deceptum affirmavit, eo quod mendoſe interdum deſcripſiſſet. Pyrrhum*

rbum Ligorium appellavit impoſtorem, Capaccium quoque errores admiſiſſe crebros, teſtatus. Lucam Langermannum eodem loco, quo Ligorium, habuit, eumque jam a Reineſio notatum, impoſtoremque nominatum, confirmavit. Suareſium inſuper in Praneſte, neque veterem urbis ſitum calluiſſe, neque idoneas inſcriptiones evolviſſe, profeſſus eſt. Angelonium in numis, non in antiquis inſcriptionibus operam poſuiſſe, quamvis nec in numis per omnia eruditis fecerit ſatis. Gronovium jun. non vidiſſe Romam, & tamen de Roma urbis, & vicini agri, ſitu judicare voluiſſe: ob amicitiam inter ſe Voſſiumque contractam, iratum ſibi & infenſum eſſe. Paulo poſt ex ſermone Raſari Abbatis Rom. refert, Tſchirnhauſium multos codices MSS. in Italia & Sicilia collegiſſe, perplures etiam Spinozæ libros manu exaratos ſibi comparaſſe, ſed hos amico cuidam commodo datos, ab eoque, deprehenſa impietate, combuſtos eſſe. Ep. LXIII & LXVI Noriſium Schelſtrateno in munere curandæ bibliothecæ Vaticanæ Pontificis R. beneficio & voluntate ſucceſſiſſe ſcribit, invitis licet & repugnantibus Patribus Ignatianis, qui propter hiſtoriam Pelagianam invidioſo Janſeniſtæ nomine eum criminati fuerint. Ep. LXIV ex lapidibus villæ Borgheſianæ nonnullas Gruteri inſcriptiones ſupplet & emendat. Ep. CXII Scaligeri notas MSS. in Hipparchum J.G. Grævio petenti mittere recuſat, eas Autoris ſui fama & exiſtimatione non ſatis dignas eſſe, cauſatus. Ep. CXXXV Petavii invidiæ adſcribit, quod Scaligerum inventæ Periodi Julianæ gloria privare ſtudeat, cum Periodus CPtana, quæ ante Scaligerum extiterit, ab illa multum differat. Ep. CLV Samuelis Bocharti, Viri præſtantiſſimi & in conjecturis ſagaciſſimi, librum de Paradiſo intercidiſſe dolet; quod vero Huetius in eodem argumento verſatus eum non nactus fuerit, non temere credendum putat. Ep. CLXXII, a Tenzelio de actis in cauſa Kaufungiana conſultus, ea ſibi in arce Vitembergenſi viſa eſſe profitetur, & Kaufungum a JCtis Lipſienſibus, Fridbergenſibus & Halenſibus una voce & ſententia capitis damnatum eſſe confirmat, adeoque hiſtoriæ illius veritatem extra controverſiam ponit.

Sub finem annectuntur *Supplementa Orthographiæ Romanæ* in proxime præcedenti volumine Epiſtolarum promiſſa, in quibus

juxta

juxta ordinem Alphabeticum proferuntur ea, quæ in Orthographia Schurzfleiſchiana a M. Jo. Dav. Cœlero edita, prætcrita & poſtea demum obſervata ſunt. Ita e. g. *Abſinthium* perperam ſcribi abſynthium, oſtenditur ex origine Græca, quæ ἀψίνθιον tuetur. Mos vero ille, quo I & Y liberius commutantur, ut in vocibus: *Tyberis* pro *Tiberis*, *ſydus* pro *ſidus*, *conſydero* pro *conſidero*, *ancyle* pro *ancile*, *pyrum* pro *pirum*, vitio ſequiorum temporum tribuitur, cum in Italia renaſcentibus literis plerique adhuc minus inſtructi confirmatique eſſent. P. 3 *Ædilicius* rectius ſcribi, quam Ædilitius, cum Aldo Noſter pronunciat, & idem de ſimilibus vocibus accipiendum eſſe, monet, ut: *advecticius*, *tribunicius*, *adventicius*, quæ perperam ſcribuntur: *advectitius*, *tribunitius*, *adventitius*. P. 6, 7 *Ara* antique ſcriptum fuit *aſa*: litera N deinde interpoſita, fieri cœpit *anſa*, & rurſus N melioris ſoni cauſa extruſo formata eſt *ara*, illam altaris partem ſignificans, quam ſupplices tangebant ac prehendebant. Vetuſtæ legis verba ſunt: PELLEX. ASAM. IVNONIS. NE. TAGITO. Ceterum ut βωμὸς & ἐπιβώμιος apud Græcos, ſic apud Latinos *ara* & *altare* differunt. Illa diis inferis & ſuperis, hoc tantum ſuperis, veterum ſuperſtitione, conſecratum erat. P. 14 *Cauſſam* ſemper a Cicerone pro *cauſa* ſcriptum fuiſſe, teſtatur Fabius, idem de Virgilio confirmat Sabinus ad Æn. I v. 8, addita ratione, quod S geminari debeat, quoties vocales longas ſequatur. Hinc & *caſſum*, *diviſſiones*, pro *caſu* & *diviſione* ab eodem exaratum eſſe. P. 15 *Et cetera* recte ſcribi & adhiberi, ſecus ac Cellarius, putat. P. 20 *Divom*, *ſervom*, *ævom* &c. veteres ſcripſiſſe, oſtenditur pro *divum*, *ſervum* &c. quia literam V geminare noluerint. Conſentit Pierius in Virg. Æn. VII, 139. P. 34 *Noxa* & *noxia* ita differunt, ut illa pœnam, hæc culpam ſignificet. P. 39 *poſtumus*, non *poſthumus*. Non enim, ut vulgo putant, ex *poſt* & *humus*, ſed ex antiquo *poſterrumus* nomen hoc contractum eſt. Sed hæc exempli cauſa attuliſſe ſufficiat: plura enim ipſa elegantis libelli lectio ſuppeditabit.

ERRATA.

Pag. 203 lin. 9 pro *Suppl. T. V Sect. V* lege *paulo ante p. 197.*
428 lin. 24 poſt *VIGNOLA* adde *REGULÆ.*
464 lin. pen. lege *Tomo III.*

INDEX

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

ANonymi *Principia Deismi candide exposita.* 266
Logica Sacra & Metaphysica exemplis Theologicis illustrata. 287
D. Bray *Papale dominium & persecutio antiquis & recentioribus temporibus exercita. Tomus I.* 530
Buddei (*Jo. Francisci*) *Commentatio de Concordia Religionis Christianæ, statusque civilis, &c.* 39
Dodwelli (*Henrici*) *Casus olim eminus considerati nunc re ipsa existentis decisio.* 443
Eisenmengeri (*Jo. Andreæ*) *Judaismus detectus Pars I.* 15
Pars II. 169
Feustkingii (*Jo. Henr.*) *Palinodia sacra.* 237
Grabe (*Jo. Ernesti*) *Tentamen circa duo MSpta Arabica & errores Guil. Whiston.* 201
Heineccii (*Jo. Michaelis*) *vera delineatio Ecclesiæ Græcæ quoad antiquum & præsentem statum.* 91
Heumanni (*Christoph. Augusti*) Ἐπίκρισις *in Specimen Commentarii MS. in Jobum Hieronymo tributi.* 21
Hilscheri (*Pauli Christ.*) *Epistola de reliquiis Adami.* 188
Schediasma de Bibliotheca Adami. 188
Hombergk zu Vach (*Jo. Friderici*) *Pererga Sacra.* 385
Hooper (*Georgii*) *de Valentinianorum hæresi conjectura.* 183
Huylenbroucq (*Alphonsi*) *Vindicationes ad librum sub tit. Artes Jesuiticæ, & alios libellos famosos.* 86
S. Irenæi *contra hæreses Libri V ex edit. Renati Massueti.* 173
277
Ittigii (*Thomæ*) *Historia Concilii Nicani.* 330
Langii (*Joachimi*) *Exegesis Epistolarum D. Petri.* 390

Della

Della Lega (*Matth. Berlandi*) *Novum Fœdus ex Græco Italice redditum. Volumen II.* 235
Nicols (*Guilielmi*) *Historia Sacra Libri VII.* 395
Raphson (*Josephi*) *Demonstratio de Deo.* 27
Epistola miscellanea. 62
RaviTæ (*Jo. Philippi*) *Novum Fœdus ex Græco Italice redditum. Volumen II.* 235
Sanctii (*Casparis*) *Commentarii in Librum Job.* 19
Schmidii (*Andreæ*) *Lexicon Ecclesiasticum minus.* 333
Stillingfleeti (*Eduardi*) *Opera omnia. Vol. I & II:* 7
Vol. III. 106
Vol. IV, V & VI. 337
E Wæchtleri (*Christfridi*) *Literis ad J. B M. excerpta.* 512
Weissenburgensis *Monachi incerti Catechesis Theotisca, cum commentario Jo. Georgii Eccardi.* 523
Whistoni (*Guilielmi*) *Responsio ad Petri Allixii Observationes, &c.* 196
Whitby (*Danielis*) *Tractatus de imputatione divina peccati Adami posteris ejus universis in reatum.* 115
Xeres (*Johannis*) *προσφώνησις ad Judæos.* 270

II. Libri Juridici.

BRummeri (*Friderici*) *Opuscula Juridico-Historico-Philologica.* 506
Dodwelli (*Henrici*) *Casus olim eminus considerati, nunc re ipsa existentis Decisio.* 443
Gundlingii (*Nic. Hier.*) *de efficientia metus Liber singularis.* 210
Ludewig (*Jo. Petri*) *Differentia Juris Romani & Germanici.* 323
L. B. de Pufendorf (*Samuelis*) *de Jure Naturæ & Gentium Libri VIII Germanice versi, cum Not. N. Herzii & J. Barbeyrac.* 31
Schraderi (*Martini*) *Tractatus de causis Fori Ecclesiastici.* 89
Schwederi (*Christoph. Herm.*) *Theatrum prætensionum & controversiarum illustrium in Europa.* 285
Struvii (*Burcardi Gotthelfi*) *Syntagma Juris Publici Imperii Rom. Germanici.* 79

Willenberg (*Sam. Frid.*) *Tract. de eo, quod justum est circa excursiones maritimas.* 261

III. Libri Medici & Physici.

ACademiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Ephemerides. Centuria I & II. 344

Anonymi (*F.D.C.*) *brevis in vim centrifugam materiæ æthereæ nullatenus idoneam ad centripetos gravium motus imprimendos Observatio.* 357

Bianchi (*Jo. Baptista*) *Historia Hepatica, seu de hepatis structura, usibus & morbis.* 212

De Fontenelle *Historia Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1709.* 154

D. Gibbs *Observationes de variis curationibus scrofularum & Mali Regii, &c.* 548

Hartsoeker (*Nicolai*) *descriptio duarum libellarum nova ratione descriptarum.* 34

Lancisii (*Jo. Mariæ*) *Dissertatio de nativis & adventitiis Romani cœli qualitatibus, &c.* 326, 468

Leupoldi (*Jacobi*) *Antlia pnevmatica illustrata Continuatio prima.* 365

Machina anamorphotica ad deformandas imagines a speculo cylindrico reformandas. 273, 367

Le Mort (*J.*) *Facies & pulchritudo Chymiæ ab afflictis maculis purificata, &c.* 543

Mulleri (*Jo. Matthiæ*) *Casus Medico-Chirurgicus de Effractura cranii.* 518

Paxton (*P.*) *Specimen Physico-Medicum de corpore humano & ejus morbis.* 69

Poleni (*Johannis*) *Dialogus de Verticibus cœlestibus.* 420

Preuss (*Maximiliani*) *Vulnerum aliarumque læsionum Sciagraphia.* 356

Agendorum apud agros Ilias in nuce. 473

Vallisnerii (*Antonii*) *Cogitata & experimenta circa opinatum cerebrum petrefactum &c.* 372

Verduc

Verduc (*Jo. Baptiſtæ*) *Opera Chirurgica.* 416

IV. Libri Mathematici.

ANonymi (*F. D. C.*) *Brevis in vim centrifugam materiæ æthereæ, nullatenus idoneam ad centripetos gravium motus imprimendos Obſervatio Phyſico-Mathematica.* 357
Bernoulli (*Johannis*) *Angulorum arcuumque Sectio indefinita per formulam univerſalem expreſſa ſine ſerierum auxilio &c.* 274
de eadem Sectione Continuatio. 329
Bion (*Nicolai*) *Tractatus de conſtructione & præcipuis uſibus inſtrumentorum Mathematicorum.* 223
De Champdoré (*Dury*) *Nova editio Jac. Barozzii de Vignola Regul. V Ordinum Architecturæ.* 428
De Fontenelle *Hiſtoria Academiæ Regiæ ſcientiarum Anni 1709.* 154
Gauppenii (*Johannis*) *Gnomonica mechanica univerſalis.* 35
Grandi (*Guidonis*) *de infinitis infinitorum & infinite parvorum ordinibus Disquiſitio Geometrica.* 221
Hartſœker (*Nicolai*) *Deſcriptio duarum libellarum nova ratione conſtructarum.* 34
Heinrich (*Chriſtophori*) *Obſervatio Eclipſis Lunaris.* 128
Com. ab Herberſtein (*Ferd. Ern.*) *Erotema; an ſtudium Geometriæ Remp. adminiſtranti obſtaculo ſit, an adminiculo?* 520
Jurin (*Jacobi*) *Appendix ad Bernh. Varenii Geographiam, recentiorum inventa Geographica continens.* 550
Kirchii (*Godofredi*) *vidua.* *Vide* Winckelmannia.
Leibnitii (*Godofredi Guil.*) *Obſervatio, quod rationes ſive proportiones non habeant locum circa quantitates nihilo minores, & de vero ſenſu Methodi infiniteſimalis.* 167
Leupoldi (*Jacobi*) *Machina anamorphotica ad deformandas imagines, a ſpeculo cylindrico reformandas.* 273, 367
Liebknecht (*Jo. Georgii*) *Geographia generalis Elementa.* 368
Newtoni (*Iſaaci*) *Analyſis per quantitatum ſeries, fluxiones ac differentias, &c.* 74
Pelicani (*Wenceslai Joſephi*) *Arithmeticus perfectus, qui tria numerare neſcit, &c.* 129

Polcni

Poleni (*Johannis*) *Dialogus de vorticibus cœlestibus.* 420
Quadratura circuli Archimedis & Hippocratis Chii analytice expressa. 420
Scognamiglio (*Damiani*) *de planarum æquationum resolutione Epistola ad D. Paulum Francone.* 522
Sutherland (*Guilielmi*) *Architectorum navalium Adsitor.* 130
Varenii (*Bernhardi*) *Geographia generalis, cum Appendice Jac. Jurin.* 550
Varignonii (*Petri*) *Responsio ad P. Grandini librum de infinitis infinitorum.* 154
De Vignola (*Jac. Barozzii*) *Regula quinque Ordinum Architecturæ.* 428
Wells (*Eduardi*) *Tyrocinium Astronomicum, Chronologicum & Gnomonicum.* 523
Winkelmanniæ (*Mariæ Margarethæ*) *Præparatio ad oppositionem magnam, &c.* 77

V. Libri Historici, Geographici &c.

Abdua (*Stephanus*) *Justo Vicecomiti secundæ Romæ defensori, profligatori Admonitionem & Sal.* 478
Ackeri (*Jo. Henrici*) *Appendix ad vitam & testamentum Francisci Petrarchæ.* 384
Allatii (*Leonis*) *Apes Urbanæ.* 42
Anonymi Apologia pro Johanne Basilide II M. Duce Moscoviæ. 231
Thesaurus Numismatum modernorum sæculi XVIII. 233
P. Anshelmi *Historia Genealogica & Chronologica familiæ Regiæ Gallicæ & Officialium coronæ. Tomi II.* 529
Arpe (*Petri Frid.*) *Theatrum Fati seu notitia Scriptorum de providentia, fortuna & fato.* 526
Banduri (*Anselmi*) *Imperium Orientale, sive Antiquitates Constantinopolitanæ. Tomus I.* 45
Basnagii (*Jacobi*) *Historia Judæorum suo autori & pristinæ conditioni restituta.* 43
Battely (*Johannis*) *Antiquitates Rutupinæ.* 185

D. Bray

D. Bray *Papale dominium & persecutio tam in Principes, quam plebem exercita. Tomus I.* 530
Brummeri (*Friderici*) *Opuscula Juridico-historico-philologica.* 506
Crescimbeni (*Jo. Marii*) *Commentarii in historiam Poeseos Etruscæ. Vol. II Pars I & II.* 43
Dewerdeck (*Godofredi*) *Silesia Numismatica.* 241
Dlugoffi (*Johannis*) *Historiæ Polonicæ Tomus I seu Libri XII.* 302
Fabricii (*Jo. Alberti*) *Menologium sive libellus de mensibus centum circiter populorum.* 517
Gronovii (*Jacobi*) *Decreta Romana & Asiatica, e Josepho expuncta, restituta.* 411
Suidæ aliquot loca emendata. 411
Hammelmanni (*Hermanni*) *Opera Genealogico-Historica de Westphalia & Saxonia Inf.* 193
Hermanni (*Leonh. Dav.*) *Maslographia.* 471
Hilscheri (*Pauli Christ.*) *Epistola de reliquiis Adami.* 188
Schediasma de Bibliotheca Adami. 188
Hudson (*Johannis*) *Geographiæ veteris Scriptores Græci Minores. Vol III & IV.* 532
Imperialis (*Johannis*) *Museum Historicum.* 42
Josephi *Decreta Romana & Asiatica restituta.* 411
Junckeri (*Christiani*) *Manuductio ad Geographiam medii ævi.* 371
Kettneri (*Frid. Ernesti*) *Antiquitates Quedlinburgenses.* 378
Leibnitii (*Godofredi Guilielmi*) *Scriptorum Brunsuicensia illustrantium Tomus II.* 49
Tomus III. 138
Liebknecht (*Jo. Georgii*) *Elementa Geographiæ generalis.* 368
Longinus *vide* Dlugossus.
Matthæi (*Dominici Barnabæ*) *Commentarii historici de antiqua urbe Tusculo, hodie Fracato dicta.* 498
Perizonii (*Jacobi*) *Ægyptiarum originum & temporum antiquissimorum investigatio.* 537
Reimmanni (*Jac. Frid.*) *Recensio specialis Bibliothecæ Vindobonensis a P. Lambecio & D. Nesselio congestæ.* 400

Riccobaldi (*Romualdi*) *Apologia Diarii Italici Bernh. Montfauconii contra Observationes Fr. Ficoronii.* 396
Richardi (*Barthol. Christiani*) *Historia Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis.* 402
Rymer (*Thomæ*) *Fœdera, Conventiones, Literæ & cujuscunque generis Acta publica Anglicana. Tomus IX.* 97
Schurzfleischii (*Henr. Leonhardi*) *Notitia Bibliotheca Principalis Vinariensis.* 402
Schwederi (*Christoph. Herm.*) *Theatrum Historicum prætensionum & controversiarum illustrium in Europa.* 285
Sequester *vide* Vibius.
Struvii (*Burchardi Gotthelff*) *de Germanici Imperii mutationibus Notitia brevis.* 240
Strype (*Johannis*) *Vita Matthæi Parkeri, Archiep. Cantuar.* 433
Valbonnasii *Commentarii ad instruendam Historiam Delphinatus.* 491
Valsechi (*Virginii*) *de M. Aurelii Antonini Elagabili Tribunitia Potestate V Dissertatio.* 408
Varenii (*Bernhardi*) *Geographia.* 550
Variorum Vitæ selectæ illustrium Virorum, ut & Helenæ Cornaræ & Cassandræ Fidelis. 131
Velleji Paterculi *quæ supersunt cum var. Lect. & Notis.* 209
ex Edit. J. G. Walchii. 383
Vibius Sequester *de Fluminibus, fontibus, lacubus, nemoribus, paludibus, montibus, gentibus, quorum apud Poëtas mentio fit, cum Not. Fr. Hesselii.* 120
Vicecomitis (*Justi*) *Mediolanum secunda Roma, Dissertatio Apologetica.* 474
pro Bernardino Corio, Mediol. Historico, Dissertatio. 502
Coloniæ Ticinia Romanæ commentum exsufflatum. 504
Zaluski (*Andreæ Chrysostomi*) *Epistolæ Historico-familiares. Tomus I.* 296
Tomus II. 450
Zernecke (*Jac. Henr.*) *Nucleus Chronici Thorunensis.* 300

VI. Li-

Digitized by Google

VI. Libri Miscellanei.

Ackeri (*Jo. Henr.*) *Opuscula Eloquentiæ. Fasciculus I.* 288
Anonymi Thesaurus Numismatum modernorum hujus sæculi. 233
Grammatica Anglo-Saxonica e Hickesiano Thesauro excerpta. 286
Logica & Metaphysica exemplis Theologicis illustrata. 287
Antonini Liberalis *Fabulæ.* 527
Barnesii (*Josuæ*) *Editio Homeri Iliadis & Odyssea.* 1, 54, 308
Bedford (*Arturi*) *ingens Musicæ abusus ostensus.* 134
Bentleji (*Richardi*) *Notæ & emendationes in Q. Horatium Flaccum.* 481
De Besser (*Johannis*) *Scripta prosa oratione & Carmina.* 87
Buddei (*Jo. Francisci*) *Dissertationum Pars IV.* 39
Cellarii (*Christophori*) *Dissertationes Academicæ.* 190
Crescimbeni (*Jo. Marii*) *Commentarii in Historiam poeseos Etruscæ. Vol. II Pars I & II.* 43
Dewerdeck (*Godofredi*) *Silesia Numismatica.* 241
Fabricii (*Jo. Alberti*) *Menologium sive libellus de mensibus &c.* 517
Frisch (*Jo. Leonhardi*) *Novum Dictionarium Gallo-Germanicum & Germano-Gallicum.* 41
Gabriæ *Fabulæ.* 527
Gebhardi (*Jani*) *Variar. Lect. & emendat. in Livium Specimen.* 406
Hardevuyst (*Aloysii*) *Paraphrases Odarum XXIV Q. Horatii Flacci.* 259
Von der Hardt (*Hermanni*) *de juramento per dextræ carpum Commentatio.* 191
Com. ab Herberstein (*Ferd Ern.*) *Erotema Pol. Philologicum; an studium Geometriæ Rempubl. administranti obstaculo sit, an adminiculo?* 520
Hermanni (*Christoph. Aug.*) *Parerga Critica.* 280
Homeri *Ilias & Odyssea ex Ed. Josuæ Barnes.* 1, 54, 308

Homeri *Ilias & Odyssea ex Ed. Jo. Henr. Lederlini & Stephani Bergleri.* 318
Horatius Flaccus *ex recensione & cum not. Rich. Bentleji.* 481
Kœrberi (*Christiani*) *Lexicon Particularum Ebraearum.* 334
Libanii *Sophistæ Epistolarum adhuc non editarum Centuria Selecta, cum Not. J. C. Wolfii.* 83
Nicols (*Gulielmi*) *de Literis inventis Libri VI.* 253
Noel (*Francisci*) *Sinensis Imperii Libri Classici sex Latine translati.* 123, 224.
Phædri *Fabulæ cum notis J. Ge. Walchii.* 527
L. B. de Pufendorf (*Samuelis*) *de jure naturæ & gentium Libri VIII Germanice versi, cum not. N. Hertii & J. Barbeyrac.* 31
Raphson (*Josephi*) *Epistola Miscellanea.* 62
Salmasii (*Claudii*) *ad Chronicon Hieronymi, Eusebii & Paschale variæ Lect. & emendationes.* 402
Schurzfleischii (*Conradi Sam.*) *Epistolæ arcanæ Pars I.* 229
Pars II. 552
(*Henr. Leonh.*) *variar. Lect. & emendat. in Livium a Jano Gebhardo erutarum specimen.* 406
Schyz (*Pontiani*) *Romanum Imperium doctum per Imperium charitatis.* 479
Seligmanni (*Gottlob. Friderici*) *Orationes & Programmata.* 37
Stillingfleeti (*Edwardi*) *Opera omnia. Vol. I & II.* 7
Vol. III. 106
P. Syri *Sententiæ.* 527
Verani (*Cajetani Felicis*) *Pantheon argutæ Elocutionis & omnigenæ eruditionis &c.* 289
Zaluski (*Andr. Chrysostomi*) *Epistolæ Historico-Familiares. Tomus I & II.* 296, 450

INDEX RERUM NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

Abbatissarum *Quedlinburgensium series.* 379
Acicula *deglutita per vias urinæ reddita.* 347

Acidum

Acidum *quid?* 148
in homine quid? 549
lympham coagulat. 549
Acida *vegetabilium & mineralium eadem.* 148, 149
Adamus *in statu innocentiæ ut genus propagasset?* 32
Adami *peccatum cur posteros obliget?* 116, 119
reliquiæ & bibliotheca. 189
Adulatores *num sint pii?* 127
Adulterii *vox apud veteres Germanos nulla.* 524
Adulteria *ut in Delphinatu olim punita?* 494
Adultorum *apud Chinenses doctrina.* 124
Æger *num morbi essentiam determinare valeat?* 70
Ægypti *nomen unde?* 537 *seq.*
Ægyptiorum *chronologia perplexa.* 538
theologia cum Valentinianorum dogmatibus comparata. 184
Æquationes *planæ resolutæ.* 522, 523
Aer *heterogeneus est.* 146
humidus num satis elasticus? 551
Aeris *elasticitas in diversis locis non eadem.* 146
Aerem *comprimendi instrumentum.* 365
Aeris *gravitas probata.* 551
Aeris *altitudo per ejus elaterem determinari potest.* 551
ab aqua ebulliente rarefacti ad condensationem ratio. 552
& aquæ gravitas specifica quanta? 551
Æther *absolute fluidus.* 415
Affectus *quid sint?* 125
Agrorum *figura quænam optima?* 225
Alchymistæ *num in Rep. tolerandi?* 40
Alemanni *unde dicti?* 376
Alexander Severus *cur Christianus dictus?* 542
Alexandrini *Bibliorum Codicis collatio integra absoluta.* 202
De Allatii (*Leonis*) *Apibus Urbanis judicium Bailleti.* 42
Allium *a calculo præservat.* 347
Allodiales *Ducatus num in Germania dentur?* 82
Allodialium *Comitatuum in Germania exempla.* 82
Alphonsus X *Castellæ Rex notatus.* 521
Altare *& ara ut differant?* 555
Amstelodamum *an Amstelredamum scribendum?* 553
Amyraldi *de peccato originali sententia confutata.* 118
Pro Anevrismate *fascia nova.* 417
Angelonius (*Jo. Petrus*) *notatus.* 554

Homeri *Ilias & Odyssea ex Ed. Jo. Henr. Lederlini & Stephani Bergleri.* 318
Horatius Flaccus *ex recensione & cum not. Rich. Bentleji.* 481
Kœrberi (*Christiani*) *Lexicon Particularum Ebraearum.* 334
Libanii *Sophistae Epistolarum adhuc non editarum Centuria Selecta, cum Not. J. C. Wolfii.* 83
Nicols (*Gulielmi*) *de Literis inventis Libri VI.* 253
Noel (*Francisci*) *Sinensis Imperii Libri Classici sex Latine translati.* 123, 224.
Phædri *Fabulae cum notis J. Ge. Walchii.* 527
L. B. de Pufendorf (*Samuelis*) *de jure naturae & gentium Libri VIII Germanice versi, cum not. N. Hertii & J. Barbeyrac.* 31
Raphson (*Josephi*) *Epistola Miscellanea.* 62
Salmasii (*Claudii*) *ad Chronicon Hieronymi, Eusebii & Paschale variae Lect. & emendationes.* 402
Schurzfleischii (*Conradi Sam.*) *Epistolae arcanae Pars I.* 229
Pars II. 552
(*Henr. Leonh.*) *variar. Lect. & emendat. in Livium a Jano Gebbardo erutarum specimen.* 406
Schyz (*Pontiani*) *Romanum Imperium doctum per Imperium charitatis.* 479
Seligmanni (*Gottlob. Friderici*) *Orationes & Programmata.* 37
Stillingfleeti (*Eduardi*) *Opera omnia. Vol. I & II.* 7
Vol. III. 106
P. Syri *Sententiae.* 527
Verani (*Cajetani Felicis*) *Pantheon argutae Elocutionis & omnigenae eruditionis &c.* 289
Zaluski (*Andr. Chrysostomi*) *Epistolae Historico-Familiares. Tomus I & II.* 296, 450

INDEX RERUM NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

ABbatissarum *Quedlinburgensium series.* 379
Acicula *deglutita per vias urina reddita.* 347

Acidum

Acidum *quid?* 148
in homine quid? 549
lympham coagulat. 549
Acida *vegetabilium & mineralium eadem.* 148, 149
Adamus *in statu innocentiæ ut genus propagasset?* 52
Adami *peccatum cur posteros obliget?* 116, 119
reliquiæ & bibliotheca. 189
Adulatores *num sint pii?* 127
Adulterii *vox apud veteres Germanos nulla.* 524
Adulteria *ut in Delphinatu olim punita?* 494
Adultorum *apud Chinenses doctrina.* 124
Æger *num morbi essentiam determinare valeat?* 70
Ægypti *nomen unde?* 537 *seq.*
Ægyptiorum *chronologia perplexa.* 538
theologia cum Valentinianorum dogmatibus comparata. 184
Æquationes *planæ resolutæ.* 522, 523
Aer *heterogeneus est.* 146
humidus num satis elasticus? 551
Aeris *elasticitas in diversis locis non eadem.* 146
Aerem *comprimendi instrumentum.* 365
Aeris *gravitas probata.* 551
Aeris *altitudo per ejus elaterem determinari potest.* 551
ab aqua ebulliente rarefacti ad condensationem ratio. 552
& aquæ gravitas specifica quanta? 551
Æther *absolute fluidus.* 415
Affectus *quid sint?* 125
Agrorum *figura quænam optima?* 225
Alchymistæ *num in Rep. tolerandi?* 40
Alemanni *unde dicti?* 376
Alexander Severus *cur Christianus dictus?* 542
Alexandrini *Bibliorum Codicis collatio integra absoluta.* 202
De Allatii (*Leonis*) *Apibus Urbanis judicium Bailleti.* 42
Allium *a calculo preservat.* 347
Allodiales *Ducatus num in Germania dentur?* 82
Allodialium *Comitatuum in Germania exempla.* 82
Alphonsus X *Castellæ Rex notatus.* 521
Altare *& ara ut differant?* 555
Amstelodamum *an Amstelredamum scribendum?* 553
Amyraldi *de peccato originali sententia confutata.* 118
Pro Anevrismate *fascia nova.* 417
Angelonius (*Jo. Petrus*) *notatus.* 554

Angelos *num adoraverint Judæi?* 414
In Anglicanæ *Eccl. Episcopos modernos num cadat crimen hæreseos?* 446
Anglicani *Schismatis sub Wilhelmo III historia.* 444
Anglo-Saxonica *Grammatica nova.* 286
In Anglo-Saxonicam *linguam merita Matth. Parkeri.* 442
Anguillarum *ovarium.* 349, 350
Angulorum *sectio indefinita.* 274, 329
Anima *rationalis quando fœtui infundatur?* 349
non inextensa. 63, 64, 65
num corrumpatur? 68
Animæ *definitio.* 480
immaterialitas & immortalitas impugnata. 63
immaterialitas asserta. 67
Anni *principium apud Sinas.* 127
Pontificum & Indictionis in instrumentis Delphinatus notati. 497
Antestatus *quis?* 509
De Antiquitate Britanniæ *liber quem Autorem habeat?* 441
Antliæ *pnevmatica apparatus immutatus.* 305
Aqua *fortis cur aurum solvat, non argentum?* 149
regia cur argentum solvat, non aurum? 149
Aqua *num aere levior fieri possit?* 546
Aquæ *unius digiti cubici pondus.* 131
in aerem transelementatio defensa. 370
Romanæ salubres. 328
stagnantes morborum causa. 468
Aquarum *salubrium notæ.* 327
Aquilæ *in Medicina usus.* 349
pinguedo nervina. 349
pernionibus conducit. 349
Ara & *altare ut differant?* 555
Architecturæ *principia.* 130
marinæ defectus. 130
navalis descriptio. 130
Aresius (*Paulus*) *laudatus.* 295
Argenti *in aurum transmutatio.* 149
Arii & *Arianorum dogmata discrepant.* 201
De Ario & *Arianismo singularia.* 331 *seq.*
Arithmetica *decadica non unica.* 129
Arithmeticæ *dyadicæ usus.* 129
De Arnoldo *Lubecensi Leibnitii judicium.* 53
Arpe (*Petr. Frid.*) *notatus.* 527
Astrologia *defensa.* 78
an certa? 78

Astro-

Aſtronomia *phyſica a quibus exculta?* 420
Aſtronomiæ *theorica hiſtoria.* 152
Atheiſmus *confutatus.* 10
Atheiſmi *hodierni cauſa.* 65
Athenarum *elogia.* 85 *ſeq.*
Attentio *ad hiſtoriam naturalem neceſſaria.* 344
Attractrix *vis exploſa.* 543, 551
Auguſti *vox unde?* 325
Pol. Regis electio. 455
apophtegma. 460
Auri *geneſis.* 149
Auſter *quid utilitatis afferat regioni?* 327
num Romæ noxius? 469
Avtomati *ſonus in pariete auditus.* 348
Axioma *Metaphyſicum palmarium.* 29, 30
Azzonis *Marchionis poſteri.* 141

BAconiæ (*Annæ*) *eruditio.* 437
Balaam *quid?* 180
Baldachinus *num Poloniæ Primati conveniat?* 454
Balnei *Equitum ſymbolum.* 38
In Baptismum *blaſphemia Judæorum.* 18
Barlovii (*Thomæ*) *liber ſub tit.* Papatus *recuſus.* 531
Barneſius (*Joſua*) *notatus.* 3 *ſq* 56 *ſq.* 308 *ſq.* 321 *ſq.*
Barometrum *in eclipſi Solari invariatum.* 350
Barometra *non alterantur frigore & calore.* 145
Barometricæ *obſervationes variæ.* 145
Bartoloccius *notatus.* 414
Baſilidis II (*Jo.*) *Apologia.* 231 *ſq.*
Basnagii (*Jac.*) *Hiſtoria Judaica integritati reſtituta.* 413
Bedford (*Arturus*) *notatus.* 137
Belli *jus num Status Imperii habeant inter ſe?* 211
Benedictinis *num debeatur Chriſtianismi in Anglia propagatio?* 343
Benſſerade (*Iſaacus*) *laudatus.* 89
Bergenſis *Ducatus Jagelloni in feudum oblatus.* 305
Bertucci (*Baſilii*) *obitus.* 95
De Beſſer (*Johannes*) *laudatus.* 88
Bibliothecæ *Vindobonenſis præfectus quis?* 402
Vinarienſis hiſtoria. 403
Matth. Parkeri fata. 442
Ed. Stillingfleeti fata. 9
Germanorum præcipua. 403
Bierum (*Henricus*) *laudatus.* 35
Bilis *quando ex folliculo ſuo effluat?* 216
definitio, ortus & uſus. 216
quantitas in corpore humano. 216

Bilis

Bilis *exuberantis aut deficientis causa.* 219
crassa causa. 219
depravata qualitates. 220
Billingus (*Herm.*) *num fuerit Dux Saxonia?* 377
Bocharti (*Sam.*) *liber de paradiso deperditus.* 554
Bohemiæ *Regum numi.* 242
Boum *fel est sapo naturalis.* 149
Boves *ut cito pingues fiant?* 346
Brandenburgicæ *domus a Columnensibus origo.* 305
Bronchoceles *cura extraordinaria.* 418
Brummeri (*Friderici*) *vita.* 500
Brunsuiga *a quo fundata?* 49
Brunsuicensium & *Estensium Ducum origo eadem.* 141 *seq.*
rerum Scriptores. 49, 138
Buddeus (*Jo. Franc.*) *refutatus.* 175
Bullarum *usus apud Romanos.* 187
Buschius (*Herm.*) *primus Poeta Germanus.* 194
autor Epistolarum obscurorum Virorum. 194

Cachou *quid sit?* 148
Cainat *Arabibus cantatrix.* 135
Calcinatio *ut fiat?* 545
Calculus *vesicæ ex prava diæta.* 417
Calculi *remedia.* 347, 351
Calculi *in felle reperti.* 347
in utero reperti. 348
magni in vesica. 416 *seq.*
Calendarum *fraternitas unde dicta?* 53
Calx *affusa aqua cur incalescat?* 146
Cancrorum *stomachi ut generentur?* 147
Canderis *ortus.* 344
Canonici *uxores alere ab Elisabetha Angl. Regina prohibiti.* 456
Capaccius *notatus.* 554
In Capitis *vulneribus hepatis abscessus unde?* 219
Carnoviensem *Ducatum quo titulo Georgius Marchio a Ludovico R. acceperit?* 249
Carolovicensis *pacis singularia.* 463
Cartesius (*Ren.*) *notatus.* 11
Casimiri (*Jo.*) *Pol. R. ingenium.* 298
abdicatio. 298
epitaphium. 300
Cassianus (*Jo.*) *num Scytha?* 401
Castratione *mania curata.* 347
Celeritas *quid secundum Le Mort?* 544
Cerebrum *petrefactum.* 352
exspuisse quid notet? 278
Chinæ *in regna divisio.* 124
Chirurgicæ *operationes.* 416
Christus *num in summo aere commoretur?* 68, 69

Digitized by Google

Christus *num sit Jesus in Talmud memoratus?* 17
Christi *satisfactio explicata.* 107
mors an consideranda ut pœna? 108
an habuerit rationem sacrificii expiatorii? 109
In Christum *varia Judæorum convitia.* 16 *sq.*
Christiani *cur dicti Alexander Severus & Philippi Impp.* 542
Christianismus *ad conservationem Rerump. multum confert.* 39
contra Judæos defensus. 270 *sq.*
Chronologia *ex synchronismo optime constitui potest.* 538
Chrystallisatio *examinata.* 547, *seq.*
Ad Chylificationem *quid conferat hepar?* 217
Chymiæ *dantur principia.* 545
Cibo *nondum concocto non dormiendum.* 594
Ciceronis *loca quædam emendata.* 282
Cincia *Lex exposita.* 507
Circuli *quadratura per series.* 427 *seq.*
De Clementis XI *Pont. Max. electione omen singulare.* 464
Cleri *parochialis sustentatio legitima explicata.* 111
Clericus (*Jo.*) *refutatus.* 284
notatus. 539
Cochlearum *testa ut formentur?* 147
Cockius *notatus.* 113
Cognitio *sui ad regimen necessaria.* 125
Coli *portio abscissa non lethalis.* 345
Colica *cum vomitu ex numis aureis deglutitis.* 348
Collinsii *commercium literarium commendatum.* 74 *seq.*
In Comaclensi *causa scripta enarrata.* 143
Comazzi (*Jo. Bapt.*) *mors.* 47
Combustio *corporum quousque duraverit?* 400
Cometæ *prædicti.* 78 *seq.*
Cometarum *genera.* 427
Comitatuum *allodialium in Germania exempla.* 82
Comites *Westphaliæ olim Galli.* 193
Comitum *species diversæ.* 377
Comitia *vocis expositio.* 378
Conantium *Societas restituta.* 288
Concordata *inter Martinum V & Henricum V Angl. R.* 99
Conradus *Salicus unde dictus?* 376
Ad Consistoria *quæ causæ spectent?* 89
Constantinopolitani *Concilii Canones contra Origenem num perierint?* 401
Constantinopolitanarum *antiquitatum*

quitatum Scriptores. 486
Continuitatis *lex.* 77
Contii *Princ. (Franc. Lud.) in Polonia fata.* 457-460
Contrafissura. 520
Convulsio *spasmodica.* 520
Corda *duo in uno pullo.* 148
Cordis & *operis veritas ut obtinenda?* 126
Corius *(Bernardinus) defensus.* 503 *seq.*
Corneæ *tunicæ vulnus sanatum.* 147
Corpus *Geometricum quid secundum Le Mort?* 544
solidum ex fluidorum commixtione prodit. 546
Corporis & *mentis analogia.* 64
Correarii *quinam?* 494
Cortex *ad vitam arborum num necessaria?* 150
Cranii *effractura.* 518
Creatura *nulla sine corpore.* 68
Creaturæ *continuo producuntur.* 31
Crellius *refutatus.* 107
Criticæ *officium & regulæ.* 281
Criticorum *vitia.* 282
Crosnensis *aquila quando primum numis Brandenburgicis imponi cœpta?* 249
Cucumerum *semina melones gignunt.* 348
Cucurbitula *contra languorem & deliquium remedium.* 132
Culicũm *generatio.* 349
Curva *celerrimi descensus.* 152
Curvas *quadrandi methodus.* 75 *seq.*
ex datis differentiis differentiarum ordinatarum describendi methodus. 76
De Curvis *Logarithmicis Tractatus MS.* 223
Cygni *ex ovo mira exclusio.* 347
Cystidis *felleæ lapilli.* 347

D. *in inscriptionibus num notet* dedicavit? 397
Deglutita *varia per abscessus prodeuntia.* 419
acicula cum urina reddita. 347
Dei *existentia demonstrata.* 27
intellectus essentiarum radix. 31
Deismus *convictus.* 267
Contra Deliquium *remedium cucurbitula.* 132
Delirium *melancholicum.* 520
Delirii *melancholici causa.* 146
Deliria *furiosa ut curentur?* 550
Delphinatus *historia.* 492
jura & statuta. 494
judicia ut ordinata? 495
Delphini *Imperatoris German. summum imperium agnovere.* 498
Delphinorum *nomen unde?* 493
Demonstrationes *in Metaphysicis hactenus non prostant.* 28

Demon-

Demonstrationes *inanes rejectæ.* 543
Destillatio *ut fiat?* 546
Deus *ad agendum unde determinetur?* 31
Διχοτομεῖν *quid Matth. XXIV, 51?* 26
Didascalia *Catholica ex antiquioribus conflata.* 204
Didascaliæ *Apostolorum Præfatio.* 197
autoritas asserta. 198
negata. 203, 209
Dies *Sinenses.* 127
Digestio *ut fiat?* 547
Dio Cassius *in annis imperii Elagabali defensus.* 409
De Dionysio *Periegete ejusque ætate & patria varia.* 533 *sq.*
De Dionysiis *Scriptoribus variorum sententiæ.* 534 *seq.*
Disciplinæ *practicæ theoreticis præferuntur a Sinis.* 128
Discipuli *olim a Monachis dicti filii.* 122
Dlugossi *(Jo.) vita.* 303
De Dlugossi *(Jo.) scriptis judicium.* 303 *sq.*
Doctorum *quondam in Delphinatu dignitas.* 498
Ad Duellum *Principum provocatio.* 104

E

EBion *aliquis an exstiterit?* 177, 284
Ebionæi *unde dicti?* 177
In Ecclesia *Romana salutis periculum.* 339
Ecclesiastica *jurisdictio in Anglia qualis in relatione ad Regem?* 112 *seq.*
Eclipsis *Solaris barometrum num alteret?* 350
Elagabali *Imp. Imperii anni controversi.* 408
De Elagabali *Imp. Tribunitia potestate V Dissertatio.* 408
De Elbinga *controversia inter Polonos & Brandenburgicos.* 463
Elisabetha *Angl. Reg. a matrimonio abhorret.* 436
Canonicos uxores alere vetat. 436
Empyicorum *pus cur simul & semel evacuare non deceat?* 419
Ens *a se an infinitum?* 30
an unicum? 30
Entis *a se definitio.* 29
Entium *non necessariorum series infinita sufficit.* 29
Epilepsia *notabilis.* 346
per matrimonium curata. 346
post passionem hystericam. 520
secundi gradus. 520
Episcoporum *Angliæ jurisdictio in causis capitalibus.* 113

Episcoporum *Angliæ tempore Wilhelmi III depositorum jus quodnam?* 445
In Episcopos *Angliæ modernos num cadat crimen hæreseos?* 446
Epistolarum *Obscurorum Virorum quis autor?* 194
Equitiariorum *dolus.* 346
Equitum *Balnei symbolum.* 38
ordinis S. Spiritus catalogus. 530
Eratosthenis *Catalogus Regum Thebanorum rejectus.* 538
Essentiarum *radix intellectus divinus.* 31
Estensium & *Brunsuicensium Ducum origo eadem.* 141 *seq.*
Ethica *Sinensium qualis?* 123
Evacuantium *differentiæ.* 71
Euclides *notatus.* 522
Evolutarum *determinandarum methodus generalis.* 151 *seq.*
Eusebius *ab Arianismi suspicione liberatus.* 405
Eusebiani *Chronici emendationes Salmasianæ.* 404

FAbrettus (*Raphael*) *laudatus.* 553
Faciei *color Romanorum commendatus.* 328
Fahrende Schüler *qui?* 525
Falckenbergii (*Jo.*) *fata.* 305
Febris *tertiana per sympathiam curata.* 348
Febris *aucta cum convulsionibus.* 520
Febres *malignæ intermittentes dantur.* 348
Fel *boum saponi simile.* 159
aquilæ euphrasiæ stagmate dilutum visus debilitatem tollit. 349
Felis *pupilla cur ad lumen sub aquis dilatetur?* 153
Felleæ *cystidis lapilli.* 347
Fermenta *glandularum specifica num dentur?* 213 *seq.*
Fermentatio *ut fiat?* 546 *seq.*
Fermentationis *phænomena.* 547
Ferrum *in cineribus animalium.* 148
Inter Feudatarios *majores & minores Delphinatus quid interfit?* 494
Ficoronius (*Franc.*) *notatus.* 397
Filii *a Monachis vocati, qui erant discipuli.* 122
Filiorum *munus.* 226
Finitæ *magnitudinis definitio.* 222
Fistulæ *lacrymalis theoria.* 418
Fixæ *num progrediantur?* 426
Fluida *corporis humani quotuplicia?* 70
Fluxus *menstruus labiorum.* 347
Fœtus *in utero plorans.* 347
Fonticuli *ut operentur?* 417
Fracastorii (*Hieronymi*) *vita.* 132
Francisci I *Gall. R. captivi pactum num fuerit obligatorium?* 211

Frigus

Frigus *Austro spirante unde?* 146
Romanis an noxium? 470
Frigoris *singularia phænomena.* 146
hyemalis explicatio. 349
Fulminis *historia.* 349
Funerum *cultus apud Romanos olim exiguus.* 472
Furor *ex calore nimio.* 345

Gagnier (*Jo.*) *laudatus.* 202
Gallicæ *Nobilitatis Genealogiæ.* 529
Gatakerus (*Thomas*) *notatus.* 230
Gebhardi (*Jani*) *in Livium merita.* 406
Gedanensis *magistratus num dicendus Senatus?* 460
Genealogiæ *Gallicæ.* 529
Geographiæ *objectum, divisio, principia, augmenta, defectus eorumque causa.* 369
Varenii nova editio commendata. 550
medii ævi neglecta præjudicia & impedimenta. 372
principia. 373
Geometræ *celebres recensiti.* 221, 521
Geometria *commendata.* 521
Geometriæ *studium num Politico obsit?* 520
dignitas asserta. 521
Germani *unde dicti?* 376
primi indices librorum scripserunt. 401
Germania & *Imperium Germanicum differunt.* 376
Germaniæ *status antiquus.* 81 *sq.*
Germanicæ *historiæ excolendæ societas.* 553
Germanici & *Romani juris differentiæ.* 323 *sq.*
juris Professio constituenda. 323
Germanorum & *Romanorum consuetudines diversæ.* 324 *sq.*
Bibliotheca præcipua. 403
In Germanos *iniquior Matth. Parkerus.* 441
Giannettasii (*Nic. Parthenii*) *Historia Neapolitana promissa.* 95
Glacies *pauca unde hyeme sæviente?* 146
Glandula *quid?* 213
Glandulæ *duræ meningis.* 350
miliares non sunt necessariæ ad transspirationis insensibilis secretionem. 213
Glandularum *fermenta specifica non dantur.* 213 *sq.*
novus usus. 549.
Gnostici *unde sua hauserint?* 176
Grabius (*Jo. Ern.*) *notatus.* 174
Grabii (*Jo. Ern.*) *mors.* 202

Græci *num literis usi ante Homerum?* 255
Græcæ *ecclesiæ historia.* 91
Grafen *quid notet?* 510
qui dicti fuerint? 510 *seq.*
Grammaticæ *novæ, in scholas Borussiæ introducendæ, promissa.* 41
Grandævi *exemplum.* 308
Grandus (*Guido*) *notatus.* 155, 163 *seq.*
Gratianopoli *Academia quando instituta?* 498
Gratianus Severinus Lipinsky *vero nomine Adrianus von der Linda.* 464
Gravitas *non est vis primitiva.* 551
Gravitatis *causa.* 64, 351, 394
causa vera adhuc latet. 357
aquæ dulcis ad marinam ratio. 131
Gronovius (*Jac.*) *notatus.* 554
Gronovii (*Jac.*) *in Fabrettum odium unde?* 554
De Guagnino (*Alexandro*) *judicium.* 232
Guicciardini (*Franc.*) *historia originis & progressus potestatis Papalis restituta.* 531

HÆmorrhagia *visu curata.* 347
Hæmorrhagia *ex dente extracto orta ut sedata?* 345
Hæmorrhagiæ *remedium.* 346
Hartknochius (*Stephanus*) *longævus.* 308
Hebræorum *numi an dentur genuini?* 415
De Heidensteinio (*Reinoldo*) *judicium.* 232
De Helleniſtica *controversia Schurzfleischii judicium.* 230
De Helmoldo *historico Leibnitii judicium.* 53
Hemiſphæria *evacuata facile separandi modus.* 365
Henricus VII *Imp. num veneno interemtus?* 304
Henrici V *Angliæ R. historia.* 97 *seq.*
Hepar *quid chylificationi tribuat?* 217
sanguinis diverticulum est. 217
Hepatis *vasa lymphatica.* 215
usus. 217
morbi. 217
abscessus in capitis vulneribus unde? 219
obstructiones sunt vel frigidæ vel calidæ. 218
Hepatica *historia.* 212
Heſychii *Sacri specimina.* 431
Hickeſii (*Georgii*) Theſaurus *commendatus.* 286
Hierarchiæ *ecclesiasticæ forma*

secundum jus naturæ & positivum. 12
Circa Hierarchiam *ecclesiasticam varia judicia.* 14
Hieronymus *num autor Commentarii MS. Meibomiani in Jobum.* 24
Historia *naturalis commendata.* 344
— *Polonica cur a Germanis frigide tractetur?* 302
Historiæ *naturalis ratio.* 344
— *sacræ Scriptores.* 395
— *Judæorum Basnagianæ editio Parisiensis qualis?* 413
— *Germanicæ excolendæ Societas.* 553
Hobbesius (*Thomas*) *notatus.* 262
Hœdus *hermaphroditus.* 348
De Von Hof (*Georgio*) *judicium.* 232
Holenmerianismus *defensus.* 31
Hombergi zu Vach (*Jo. Frid.*) *Parerga sacra illustrata.* 512
Homeri *elogia.* 1 *seq.*
— *Commentatores veteres.* 54 *seq.*
— *editio Bergleriana contra Barnesium defensa.* 321
— *stylus singularis.* 310
In Homerum *scholia inedita in Bibl. Lipsiensi Paulina extant.* 316
Hominis *natura ex se bona.* 227
— *partes secundum antiquos tres.* 199
Honestas *Principi commendata.* 127
Horatii *carminum quis ordo?* 482
— *loca explicata & emendata.* 483 *sq.*
Horæ *Sinenses.* 127
Horologiorum *solarium facile fundamentum.* 36
— *usus.* 36
Huetius (*Dan.*) *plagii insimulatus.* 554
Humberti II *Delphinatus Principis vita.* 495 *sq.*
Humorum *crassorum in corpore humano causa.* 203
Hydrargyri *calcinatio difficilis.* 545
Hydrocephalus *admirandus.* 418
Hydrops *pectoris curata.* 345
Hyemis *extraordinaria causa.* 350
Hyemalis *frigoris explicatio.* 349
Hypothebæ *quid?* 309

JAcobus I *Angl. R. cur a stricti gladii conspectu abhorruerit?* 553
Jacobi *Pol. Principis & matris diffidium.* 451
Icteri *duo genera.* 220
Idololatria *num possit consistere cum agnitione unius supremi entis?* 341

Ido-

Idololatria *qualis, si creaturæ tribuatur?* 341
Jesuitæ *defensi.* 87
Jesus *in Talmude memoratus an Christus?* 17
Ignis *figura quænam?* 146
Illuminati *quando & ubi orti?* 340
Imaginaria *in calculo utiliter adhibentur.* 167
Imperandi *leges.* 121
Imperator *num possit creare Reges?* 305
Imperii *Sinici forma.* 228 *sq.*
Imperium *Germanicum & Germania differunt.* 376
De Imperio *Orientali administrando Tractatus varii.* 488
Incendii *præsagium.* 347
Inclytæ *titulus num competat Reip. Poloniæ.* 457
Incolarum *multitudo quid salubritati conferat?* 468
Indices *librorum primi Germani scripserunt.* 401
Infantes *novem una in lucem editi.* 147
Infinitum *continuum non est quantum.* 168
unum an alio magis esse possit? 161
Infiniti *notio.* 168
Infinitæ *magnitudinis definitio.* 222
Infinita *sunt in ratione finitorum.* 223
Infinitorum *diversi ordines.* 222
Infinite *parvi ratio.* 168
parvæ magnitudinis definitio. 222
parvorum symptomata demonstrata. 221
diversi ordines. 222
Inflammabilia *in vacuo accendi possunt.* 366
Instrumenta *ad Geometriam subterraneam necessaria ubi describantur?* 224
Instrumentorum *Geometricorum constructio & usus ubi doceatur?* 223
In Instrumentis *Delphinatus Pontificum anni, nec non anni Indictionis notati.* 497
Interregni *in Polonia A.* 1696 *acta.* 452
Intestini *coli portio abscissa non lethalis.* 345
Johannæ II *Neapolitanæ de Duce Bedfordiæ adoptando consilia.* 101
Johannes III *R. Pol. quod pacta conventa non servaverit, excusatus.* 453
Johannes XXIII *ex Pontifice Cardinalis.* 101
Johannis III *R. Pol. mors & circa eam singularia.* 450
Josephus *notatus.* 255
redintegratus. 411

Josephi

Josephi *Codex Schurzfleischianus.* 231
Irenæus *notatus.* 178, 181 *seq.*
num Latine an Græce scripserit? 178
Irenæi *editio Anglicana notata.* 174
De Irenæi *vita & scriptis dissertatio.* 177
Israelitæ *& Pastores iidem.* 542
Italica *Novi Test. versio antiqua commendata.* 516 *seq.*
Judæorum *commenta & errores.* 15, 160 *sq.*
in Christum blasphemia. 16 *sq.*
in Christianos convitia. 18
jus civium Romanorum explicatum. 412
Juliana *Periodus a quo inventa?* 554
Juliani *Imp. erga Libanium favor.* 85
Juniperæ *bacca in calculo reperta.* 348
Juramentum *per femur explicatur per dextra carpum.* 191
Jura *qui didicerint fere quadragenarii?* 325
Juris *Publici Germ. Syntagma novum.* 79
Jus belli *num status Imperii inter se habeant?* 211
Justini *locus emendatus.* 282

KEpleriana *lex motus Planetarum demonstrata.* 424
Kirchius *laudatus.* 78

LAbia *sanguinem stillantia ex mensium compressione.* 347
Lac *caprinum in pulmonis vulnere probatum.* 419
Lactantius *emendatus.* 282
Lacrymarum *vitrearum phænomenon dubium.* 346
Lacrymas *vitreas frangendi in vacuo ratio.* 365
In Lambecii (*Petri*) *Commentariis de Bibl. Vind. quid probandum vel desiderandum?* 401
Langermannus (*Lucas*) *notatus.* 554
Lapilli *in felle reperti.* 347
in utero. 348
Leibnitius *vindicatus,* 63
Leges *Salicæ unde dictæ?* 376
Le Mort (*J.*) *notatus.* 543 *sq.*
Lenticulæ *palustris semen.* 349, 351
Leupoldus *laudatus.* 365, 367
Lex *Cincia exposita.* 507 *sq.*
Lexicon *navale.* 131
Ecclesiasticum majus promissum. 334
Libanii *epistolas qui edere promiserint?* 83
Operum nova editio promissa. 431
Libellarum *inventarum numerus ingens.* 34

Libellarum *duarum fabrica* 34.35
Lignum *cur flexile?* 551
Ligorius *Vide* Pyrrhus.
Ligula *veteribus quid?* 187
Linearum *tertii ordinis numerus nondum demonstratus.* 76
Linguæ *pici motus explicatus.* 148
Lipinski. *Vide* Gratianus.
Liquores *ut in vacuo commisceantur?* 365
Literarum *inventor quis?* 255
usus. 256
materia, cui impressæ olim. 257
prærogativa præ loquela. 256
Lithotomia *calculorum magnorum non est adornanda.* 416
Livii *variæ Lectiones editæ.* 406
Lollardi *qui dicti?* 97
Londinensis *urbis origo & antiquitas.* 114
Longævitas *Romanorum.* 329
Longinus. *Vide* Dlugossus.
Longitudines *locorum inveniendi ratio Hugeniana improbata.* 552
Lucanus. *Vide* Ocellus.
Luctus *parentum triennalis apud Sinas.* 225, 227
Lugduni *Galliæ appellatio antiqua.* 278
Lumbi *anatome.* 349
Lunæ *obscuratæ color.* 129
influxus assertus. 549
Lymphæ *compositio.* 549
Lymphatica *vasa hepatis.* 215

MAchina *ad emolliendum ossa admodum simplex.* 366
ad examinandam vim, qua pisa intumescunt 366
Melliana commendata. 369
Machinæ *anamorphoticæ.* 274, 367
Machinarum *Theatrum absolutissimum promissum.* 366
Macularum *in Sole motus.* 153
Magliabechii *erga Schurzfleischium propensio singularis* 553
Majestas *num immediate a Deo?* 40
Manethonis *fides suspecta.* 540
Mania *castratione curata.* 347
De Maria *Pol. Regina quædam singularia.* 451
Marshamus *notatus* 538, 539, 542
Martis *limatura cum spiritu vitrioli in vacuo citius ebullit.* 348
Martialia *ut operentur?* 73
Massel *pagus unde dictus?* 473
Massuetus (*Renatus*) *notatus.* 176 *sq.*
Materiæ *quantitas quid juxta Le Mort?* 544
Mathematici *notati.* 543. *seq.*
Mathematum *usus vindicatus.* 544
censores notati. 541

Mathe-

Mathesis *num Rempubl. administranti utilis?* 520 *seq.*
Matricis *læsio non lethalis.* 147
Matrimonium *post resurrectionem cur cesset?* 32
Matthæi *Westmonasteriensis Flores a Matth. Parkero vulgati.* 442
Maurus. *Vide* Rabanus.
Mayerus (*Godofr. David*) *notatus.* 348
(*Jo. Frid.*) *laudatus.* 230
Medicamentorum *differentia.* 71
vis in correctione sangvinis. 71
alterantium a specificis differentia. 72
Medicina *empirica commendata.* 548
Medicinæ *fundamentum certum unde petendum?* 69
ad praxin applicatio. 465
Medico *quid agendum coram ægroto?* 456
Mediolano *secundæ Romæ elogium assertum.* 475, 477 *sq.*
Melones *ex cucumerum seminibus producti.* 348
Memoriæ *singularis exemplum.* 134
Ex Mensium *suppressione labia sanguinem stillant.* 347
De Mensibus *gentium variis liber.* 517 *seq.*
Mentis *natura explicata.* 65, 66
cum corpore commercium. 67
Menyngis *duræ glandulæ.* 349
Mercurius *sublimatus absque sale communi parari nequit.* 148
num sit compositum quid? 149
Mercurii *forma.* 149
Mercurialibus *quando non utendum?* 549
Metalla *in Sole calcinantur.* 545
Metallorum *principia.* 148
vitrificatio difficilis. 148
Metempsychosis *a Judæis defensa.* 169
Methodus *rationum primarum & ultimarum non differt ab infinitesimali.* 76 *seq.*
Metus *effectus in obligationibus.* 210 *sq.*
Michaelis *Pol. R. fata.* 299
epitaphium. 300
Militiæ *quænam conducant?* 225
Mineralium *venæ Romano agro non nocent.* 469
Ministri *regii requisita.* 226 *sq.*
Molinæi (*Petri*) *contra Papatum scripta recusa.* 531
Montfauconius (*Bernh.*) *defensus.* 397 *seq.*
refutatus. 415
Moralitatis *fundamentum num ex natura actuum humanorum repetendum?* 40

Monorchis *anorchin generat.* 349
Morbus *quid?* 467
Morbi *sub certis speciebus tractari nequeunt.* 70
Eudemii Romæ nulli. 329
Morbificæ *causæ investigatio supervacanea.* 71
Morborum *a vitiis partium differentia.* 217
causæ a fluidis sunt. 70
Le Mort (*J.*) *notatus.* 543 *sq*
Mortis *infelicis origo.* 227
præsagium. 348
Morus (*Jo.*) *Ep. Eliensis laudatus.* 56
Motus *Telluris in Italia assertus.* 421
Solis mechanice inexplicabilis. 422
vertiginis Planetarum unde? 422
Motus *curvilinei ratio* 63. *sq.*
in vacuo producendi ratio. 365
Musæi (*Jo.*) *mors singularis.* 230
Musica *Principi commendata.* 225
Musicæ *apud Sinas dignitas.* 127
inventores. 135, 136
abusus. 136. *sq.*
historia. 135. *sq.*

NApelli *succus sanguinem coagulat.* 345
petroleum antidotum. 345
Nationes *integræ num dentur,* 2
quibus nullus pietatis sensus? 11
Naturalis *hi[illegible]iæ perfectio unde?* 344
Naturalismus *convictus.* 269
Navis *figura optima.* 150
Naumachiæ *Romano aeri non obsunt.* 468
Nazaræorum & *Ebionitarum secta una.* 285
Neapolitana *historia nova promissa.* 95
Nesselius (*Dan.*) *notatus.* 492
Neutrales *num sint, qui hosti merces advehunt?* 264
Nicænum *concilium ubi habitum?* 331
quando cœptum? 331
quis indixerit? 331
Nicæni *Concilii acta quæ extant?* 331
quæ occasio? 331
Nicolaitæ *num unquam extiterint?* 179
quem habeant autorem? 179
Nobilitatis *Gallicæ Genealogia.* 529
Nomina *quæ & quando Romani imposuerint?* 324
Nominum *Roman. & Germanorum diversa ratio.* 324 *seq.*
Noriberga *unde habeat originem?* 376
Norisius (*Henr.*) *a Jesuitis Jansenismi insimulatus.* 554

Norri-

Norrisius *notatus.* 65
Novi *Testamenti versio antiqua Italica commendata.* 516 *seq.*
Numerus *infinitus non datur.* 168
Numi *aurei in intestinis diu asservati.* 348
Henrici V Angl. R. Rothomagi cusi. 106
Silesiæ. 241 *sq.*
Bohemiæ Regum. 242
Silesiæ Ducum. 243
Urbium. 251
Hebræorum an dentur genuini? 415
De Numis *Silesiæ Scriptores* 241
Numismatica *historia Seculi XVIII nova.* 233
Nux *juglans accensa hamorrhagiam sistit.* 345

OBedientiæ *vox factionem notat.* 100
Obsessio *dæmoniaca ficta.* 346
Obstructiones *hepatis sunt vel frigidæ vel calidæ.* 218
Ocellus Lucanus *num autor libri* de universo? 10
Oculi *vulnus curatum.* 147
prolapsus admirandus 418
Oculorum *cancrorum generatio.* 147
De Oderbornio (*Paulo*) *judicium.* 232
Odia *hominum ut Evitentur?* 128
Offensi *ab aliis officium.* 226
Officia *quotidiana.* 127
Old-Castelli (*Jo.*) *militis, Wiclefitæ, doctrina & fata* 97 *sq.*
Olei *particulæ quales?* 550
Ophidii *anatome.* 349
Opium *ut evacuationes quasdam sistat, alias augeat?* 73
Opii *effectus.* 549
Oporinus (*Jo.*) *Paracelsi famulus & amanuensis.* 134
Orbes *vitreos pressura aeris frangendi modus.* 365
Ordinis *S. Spiritus Equitum Catalogus.* 530
Orthographiæ *ratio.* 554 *sq.*
Ossium *cariei causa.* 548
Ovarium *anguillarum descriptum.* 350 *seq.*
Ovarii *muliebris vesiculæ cur ovula dicendæ?* 148
Ovi *cygnei mira fœcunditas.* 347
Ovula *in testiculis maris reperta.* 148
Ovidii *locus emendatus.* 283
Ozæna. 520

PApatus *structura exposita.* 235 *sq.*
De Paracelso (*Theophr.*) *singularia.* 133 *sq.*
Parenchyma *quid?* 213
Parentius *notatus.* 551
Parkeri (*Matthæi*) *vita.* 434 *sq.*
animus in Germanos iniquior. 441
Parreiræ *bravæ descriptio.* 557

Digitized by Google

Partus *novem infantum.* 147
Pasqualigi (*Vincentii*) *mors.* 47
Pastores & *Israelitæ iidem.* 542
Pastorum *Regnum confictum.* 542
Pathologia. 416
Paullini (*Christ.Franc.*) *mors & encomium.* 335
Peccati *originalis descriptio.* 117
De Peccato *originali variorum sententiæ confutatæ.* 118 *seq.*
Pectoris *hydrops ex abusu vini & spirituum adustorum curatus.* 345
Pediculus *pulsatorius.* 348
Penis *magnitudo monstrosa.* 349
Periodus *Juliana a quo inventa?* 554
Pes *Gallicus, Rhenanus, Romanus cum Anglico comparatus.* 550
Petrolium *contra virus napelli antidotum.* 345
De Pfeiferi (*Jo.Phil.*) *Antiquitatibus Græcis judicium.* 133
Philosophus *num munera accipere a Principe debeat?* 225
non nisi invitatus Principem accedere debet. 225
Phrenitis *post cranii percussionem.* 520
Physica *cœlestis a quibus exculta?*
Pibracii (*Fabricii*) *casus singularis.* 133
Pici *lingua motu explicatus.* 148
Pinguedo *aquilæ nervina est.* 349
pernionibus conducit. 349
Piratarum *jus.* 262
Piraticæ *origo.* 262
Placæi *de peccato originali sententia confutata.* 118 *sq.*
Planetæ *habitabiles.* 68
tardius æthere incedunt. 421
secundarii cur motu vertiginis carere videantur? 424
pluribus inæqualitatibus obnoxii quam primarii. 426
Planetarum *motus ex tellure observati.* 152
magnitudo non pendet a Systemate vorticum. 421
orbita cur ad eclipticam inclinata? 426
secundariorum distantiæ magis mutantur, quam primariorum. 424
Plantarum *monstrosarum genesis.* 150, 155
succus nutritius ut circuletur? 150
Poeseos *Italicæ historia.* 43
usus apud veteres. 136
Poeta *Germanus quis primus?* 195
Poetarum *Provincialium vita.* 43
in aulis Principum educatorum exempla. 81
veterum imitationes. 150

Digitized by Google

Poloniæ *epitaphium satyricum.* 299
Resp.num inclyta *an serenissima dicenda?* 457
Polonica *historia cur a Germanis frigide tractetur?* 302
Polonorum *historici in rebus Russicis suspecti.* 232
recensiti. 306
avaritia. 458
Polybii *historia excerpta ad Lib. XIX superfunt.* 401
Polypus *narium ex earum vellicatione.* 418
Pontanus (*Jo.If.*) *notatus.* 553
Positivi *ad privativum ratio imaginaria.* 168
Pouparti *elogium.* 153 *seq.*
De Præcedentia *inter Moschum & Polonum in pace Carolovicensi controversia.* 462
Præcipitatio *chymica explicata.* 547
Præda *in bello cujus sit?* 265
Prædictiones *eventu comprobata.* 346
Prætensionum *illustrium Theatrum novum.* 285
Princeps *prior Philosophum invisere debet.* 225, 227
Principis *officia quænam?* 224 *seq.*
exemplum legibus præstat. 228
Problema *staticum solutum.* 153
Processus *Judiciarius Anglicanus promissus.* 528
Promissa *Principibus a subditis extorta num servanda?* 211
Protestantium *fides exposita.* 337
Protheus & *Sethos iidem.* 541
Pudor *naturalis legis instar habendus.* 32
Pufendorfius (*Samuel*) *notatus.* 231
Pulsus *naturaliter intermittentis exemplum.* 349
Purgantium *indicans.* 72
Pyramidum *vox quid denotet?* 542
origo. 542
usus. 542
Pyrrhus Ligorius *impostor.* 554

QVadratura *circuli per series.* 420, 427 *sq.*
Quadraturæ *curvarum methodus.* 75 *sq.*
Quedlinburgi *in templo Servatii quæ serventur rariora?* 381
Quedlinburgensis *historia.* 379

RAbanus Maurus *autor Comm. Meibom. MS. in Jobum.* 24
Rachitidis *causa.* 417
Radziowsky *Pol. Primas tarditatis insimulatus.* 457 *sq.*
avaritiæ & ambitionis accusatus. 461
Raphson (*Jos.*) *notatus.* 28, 29

Ratio-

Rationum *identitatis fundamentum.* 167
Raucedinis *remedia.* 346, 349
causa. 418
Regiminis *boni media & fundamentum.* 225 *sq.*
De Reinesio (*Thoma*) *judicium.* 553
Religio *contra Atheos vindicata.* 10
Rheumaticæ *epidemiæ historia.* 471
Romæ *situs salubris.* 327
morbi endemii nulli. 329
elogium. 85
Romanæ *aquæ salubres.* 328
Romanum *solum salubre.* 328
Romani *cæli qualitates.* 326, 468
venti salubres. 327
Australes num noxii? 469
Romano *aeri non obsunt thermæ?* 468
non obsunt naumachiæ. 468
agro non nocent venæ mineralium. 469
Romanorum *color faciei commendatus.* 328
longævitas. 329
consuetudines a Germanicis diversæ. 324 *sq.*
Romanis *rusticatio num noxia?* 469
Ronconorii (*Alex.*) *mors & encomium.* 336
Rusticatio *num noxia Romanis?* 469
Rutupiæ *descriptæ.* 185 *sq.*
SAbellici (*M. Ant. Coccii*) *stilus notatus.* 396
Sacharum *in tenebris disruptum lumen emittit.* 427
Sacræ *historiæ Scriptores.* 395
Salis *particulæ essentiales quales?* 550
Salium *diversitas unde?* 550
Salicæ *Leges & Conradus Salicus unde dictus?* 376
Salivationis *Mercurialis causa.* 74
De Salmasii *Notis in N. T. singularia.* 231
Salutis *in Ecclesia Romana periculum.* 339
Sancti *chimarici.* 236
Sanctii (*Gasparis*) *Vita.* 20
De Sandero (*Nicolao*) *singularia.* 438
Sanguinis *motus intestini & circularis usus.* 70
Sannazarii (*Jac.*) *modestia.* 132
Sapientis *officium.* 125
Sapientes *in Regno utiles.* 227
Sapientiæ *studiosi finis.* 128
Sargo *Es. XXI, 1 quis?* 541
Satellites *Saturni num plures sint quam quinque?* 421
Satyri *nostro tempore visi.* 346

Scabini

Scabini *unde dicti?* 510
Scepticismus *convictus.* 267
Schismatis *Anglicani sub Wilhelmo III historia.* 444
Schrevelius *notatus.* 308
Schurzfleischii (*Conr. Sam.*) *de doctis quibusdam Italis judicium.* 553
Latinitas commendata. 552
Scriptura S. *ut se ipsam evolvat?* 393
num ex profanis scriptoribus illustranda? 385
Scripturæ S. *autoritas defensa* 267 *seq.*
Scripturæ S. *loca explicata:*
Gen. *II*, 1. 27
IV, 12. 13
21. 135
26. 17
VI, 2 12
3. 33
XVIII, 25. 117
XXIV, 2. 191
XXXI, 27. 135
XLVII, 29. 191
Exod. *XXXII*, 18. 135
Levit. *XVII*, 11. 109
Num. *XIV*, 33. 105
XXIV, 17 *seq.* 272
XXXV, 33. 109
1 *Reg.* *VI*, 1. 541
XIV, 25. 539
XXII, 24. 335
2 *Reg.* *XVIII*, 21 540
3 *Reg.* *I*, 21. 108
Hiob. *XIX*, 23, 24. 255
XXVII, 36. 135
Esa. *VII*, 14. 158
XIX, 11. 135
XX, 1. 541
LIII, 4-7 108
11. 108
Jerem. *XI*, 10. 37
Ezech. *I*, 1. 196
XVIII 20. 108
Dan. *III*, 5. 135
XI, 24 *seq.* 271
Habac. *IV*, 11 291
Zach *VI*, 12. 37
XI, 10. 37
Mich *V*, 1 *sq.* 271
Matth. *I*, 19. 386
II, 16. 513
18. 386
III, 16. 386
V, 13. 513
18. 513. *seq.*
19. 514
22, 29 *sq.* 387
42. 514
VI, 2. 514
8, 16. 387
19. 515
VIII, 7. 108
IX, 16. 516
38. 516
XII, 13. 388
XVI, 6, 11, 22. 180
15. 13
XVIII, 15 *seq.* 13
XIX. 27. 388

Matth.XX,25 seq. 13
XXII, 25. 32
XXIV, 51. 26
XXV, 27. 516
XXVII, 5. 389
XXVIII, 19. 12
Marc. I, 10. 386
V, 41. 389
IX, 22. 389
Luc. II, 29. 389
X, 35. 516
XII, 15. 389
Job. I, 1. 38
9. 33
16. 389
33. 386
XVI, 8. 33
Act. I, 18. 237
25. 390
III, 21. 237, 388
V, 6. 237
VI, 5. 179
20. 179
XVII, 22. 412
XX, 22, 23. 515
XXV, 19. 412
Rom. I, 17. 390
19 seq. 33
V, 7. 390
10. 110
15 seq. 33
1 Cor. VII, 26. 390
XI, 10. 390
Gal. V, 7. 283
VI, 12. 176
Eph. IV, 12. 13
V, 2. 110
1. Tim. V, 11. 447
Tit. I, 13. 447
II, 15. 447
III, 10. 447
1 Petr. II, 24. 108
2 Petr. I, 20. 392 *sq.*
1 Joh. V, 20. 284
Ebr. I, 3. 110
Apoc. II, 15. 447
III, 9. 180
VII, 4. 179
VIII, 11. 180
IX, 11. 180
XI, 8. 180
XVII. 179
XXI, 12. 179
Scolopendræ *sunt vivipara.* 148
Scolopendrarum *analysis chymica.* 148
Scrofularum *causa.* 548
Scrofulis *omnes corporis partes corripiuntur.* 548
Secretio *animalis non fit mechanice.* 214
& motui sanguinis & vasorum structura debetur. 215
Secretionis *animalis necessitas.* 212
Secretionum *indoles.* 549
Sedis *in cranio species.* 520
De Selz *oppido lis antiqua.* 103
Semidiameter *terræ a quibus recentius investigata?* 551

Sensio

Sensio *quid sit?* 63
Sepulcra *totius familiæ num Germani olim exstruxerint?* 472
Serenissima *num dicenda Resp. Poloniæ?* 457
Serum *lactis raucedinem fugat.* 346
Sethos *&* *Proteus iidem.* 541
Sigismundi *Imp. & Henrici V Angl. R. amicitia singularis.* 102
Silesiæ *numi explicati.* 241 *sq.*
Ducum numi. 242
Urbium numi. 251
insigne explicatum. 253
De Silesiæ *numis Scriptores.* 241
Similitudo *corporum Mathematicorum non intellecta.* 544
Simon *Magus cum Simone Gnostico confusus.* 181
De Simonis (*Rich.*) *Historia Critica Schurzfleischii judicium.* 230
Sinenses *in theoreticis minime versati.* 125
Sinici *imperii forma sub familia Cheu.* 228 *seq.*
Sobieskii (*Jo.*) *R. Pol. historia.* 299 *seq.*
Societas *Conantium restituta.* 288
Sociniani *refutati.* 107
Solida *pars affecta anxie non est investiganda.* 467
Solidorum *in sphæras transmutatio.* 150
Sonus *unde?* 153
in pariete dubius. 348
Sous, *Setho & Sevechus num iidem?* 540
Spanhemii (*Ezechielis*) *Numismatum Tomus II promissus.* 480
Spatia *plusquam infinita quænam sint & an dentur?* 155, 221
Spinæ *dorsi fractura mirabilis.* 345
Spinozæ (*Bened.*) *libri quidam combusti.* 554
Spiritus S. *Equitum Ordinis Catalogus.* 530
De Spiritu S. *errores Judæorum.* 17
Spiritus *vini vis expensiva.* 346
animalium quid sint? 549 *seq.*
Spirituum *animalium vitia in quo consistant?* 72
vitia unde? 72, 146
ut corrigenda? 73
Stellas *fixas circumstant mundo nostro similes.* 427
Stillingfleeti (*Eduardi*) *vita.* 7
Bibliotheca quo venerit? 9
Strumæ *non curandæ discutientibus.* 548 *seq.*
Strypii (*Jo.*) *Scripta.* 433

De Suaresii (*Jos. Mar.*) *Praeneste judicium.* 554
Sublimatio *ut differat a destillatione?* 546
Sublimatum *sine vitriolo parari potest.* 148
Succi *nutritii in plantis circulatio impugnata.* 150
Suidæ *loca emendata.* 412
Sulphurum *diversitas unde?* 550
Summum *bonum in quo consistat?* 228
Superioritas *in Germania quotuplex?* 377
Surdo-mutos *loquelam docendi methodus.* 349, 351
Symbolum *Apostolicum num a Patribus Conc. Nicani fabricatum?* 332
De Symbolis *tractatio.* 293
Symbolicæ *artis scriptores recensiti.* 294 *sq.*
Sympathia *curata febris.* 348

T

Taciti *locus integritati restitutus.* 283
explicatus. 376
Talmud *quando in Hispania innotuerit?* 271
Terra *num suffectura hominibus in extremo judicio?* 370
Terræ *motus prædicuntur.* 78
figura non est sphæroidica? 370
Terræ *semediametrum inveniendi methodus.* 370
figura ovalis a quibus detecta? 550 *seq.*
Teschinenses *Duces cur se Duces Majoris Glogoviæ appellent?* 248
Testiculus *osseus.* 347
Testiculorum *vesiculæ.* 148
Tetrarchiæ *quid significent?* 384
Theodicea *Leibnitiana commendata.* 336
Theologia *ut apud varias gentes fuerit introducta?* 10 *sq.*
Theologorum *palinodiæ exempla.* 235
De Theophrasto Paracelso *singularia.* 133 *sq.*
Therapevtæ *qui?* 415
Thermæ *Romano aeri non obsunt.* 468
Thermometrum *in eclipsi Solari variatum.* 350
Thesaurus (*Emanuel*) *laudatus.* 296
Thorunii *familiæ nobiles, virique clari.* 307
Tiberinæ *inundationis caussa.* 469
Ticinum *num secunda Romadictum?* 475
num fuerit colonia Romana? 505
Tinea *repulsa prava symptomata & mortem infert.* 48

Titii (*Gerbardi*) *judicium de Ecclesia Græca editum.* 94
Tributi *æstimatio.* 225
De SS. Trinitate *sententia Guil. Whistoni.* 198 *sq.*
Tschirnhausii *in colligendis libris MStis studium.* 554
De Tsesch (*J. Theod.*) *autor Consilii & mandati Ducalis &c. Jo. Christiano Duci Bregensi vulgo tributi.* 246
Tubingensis *Jubilæi numus.* 248
Tumorum *causa.* 548
Tusculum *urbs quando condita?* 499
unde dicta? 499
an libera ante Romanorum imperium. 500
Tusculi *urbis familiæ illustres.* 500
A Tussi *fractura spinæ dorsi* 345
Tyrocinium *Astronomicum, Chronologicum & Gnomonicum.* 523

V

Vagitus *uterinus incendium præsagiens.* 347
Valentinus *ab Ægyptiis sua dogmata hausit.* 184
Valentini *hæresis explicata.* 175 *sq.*
Venti *Romani salubres.* 327
Vera *toleranter quænam sint?* 168
Veranus (*Cajetanus Felix*) *polygraphus* 289
Via *ad virtutum media commendata.* 125
Vibius Sequester *num autor libri de Fluminibus?* 122
Vibii Sequestri *editiones.* 120
ætas. 120
Vignolæ *editiones variæ recensita?* 428. *sq.*
Villemotius *refutatus.* 423, 425
Vinariensis *bibliothecæ historia.* 403. *seq.*
Vindiciarum *& Assertionis libertatis pro civitate Hildesiensi quis Autor?* 90
Vindobonensi *bibliotheca quis hodie præsit?* 402
Virgilius *num Oppianum sit imitatus?* 137
Vis *attractrix rejecta.* 543
Visu *curata hæmorrhagia.* 346 *seq.*
Vitæ *felicis origo.* 227
Vitia *aliena non propalanda.* 228
Vitri *caustici phænomena.* 148
Vitrificatio *metallorum carbonibus impositorum per vitrum causticum cur non succedat?* 148
Ulcerum *causa.* 548
Voigtelius *commendatus.* 224
Vomitorium *indicans.* 72
Vortex *Solaris descriptus.* 421
æthereus movetur a Sole. 422

Vorticis *circulatio harmonica Leibnitii commendata.* 425
Uratislaviensium *numi.* 252
Urinæ *ponderatio commendata.* 347
Uteri *læsio non lethalis.* 147
Uterinæ *vagina prolapsu laborans pro hermaphrodito habita.* 419
Vulnus *per se lethale quid?* 356
Vulnerum *lethalium aliorumque sciagraphia.* 357

Wallisius (*Jo.*) *notatus.* 168
De Warsevicio (*Christoph.*) *judicium.* 232
Weissenburgensis *Monasterii historia.* 524
Westphali *eruditi.* 194
Westphaliæ *Comites initio fuere Galli.* 193
De Westphalis *scripta varia.* 194 *sq.*
Whistonus (*Guil.*) *refutatus.* 196, 201
Wittekindus *num fuerit Saxoniæ Rex?* 377
Wolfii (*Christiani*) *de hieme A. 1709 dissertatio commendata.* 350

Xeres (*Jonah Ben Jacob*) *vita.* 270
Xun *Principis Sinarum virtutes commendata.* 226 *seq.*
Xyphiæ *piscis anatome.* 349

Zaluski (*Andr. Chrysost.*) *notatus.* 464, 299
Zolmanni (*Phil. Henr.*) *tabula hydrographica commendata.* 377

ERRATA.

Mense Novembri pag. 515 lin. 22 pro ἐλάττον lege ἐλάττονι & pag. 517 lin. 11 pro *referrem* lege *veterem*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google